12

C1-4-4

Rg 2197

Sta Mca de Secco

1820

M.

ANTONII FLAMINII IN LIBRVM PSALMORVM BREVIS EXPLANATIO.

Adiectæ sunt in studiosorum vsum, eiusdem authoris in Psalmos aliquot, suo quæque ordine & loco, Paraphrases.

Item adiectæ sunt in triginta Psalmos Paraphrases, carmine ab eodem conscriptæ, & suo loco positæ.

LVGDVNI,
Apud Gulielmum Rouillium,
sub Scuto Veneto.

1561.

ALEXANDRO FARNESIO, CARdinali ampliſsimo, M. Antonius Flaminius.

S. P. D.

VELIM ita ratio meæ valetudinis tuliſſet, vt eam paraphraſim abſoluere poſſem, quam ſuperioribus annis in diuina Dauidis carmina inſtitueram, & ſanctiſsimo auo tuo Paulo III. Pontif. Max. dicaram. id ego multis cauſis adducor vt cupiam, ſed in primis, quòd eam rem tibi magnæ voluptati futuram mihi non ſemel affirmauit Bernardinus Maphæus, quem tu propter elegantiam doctrinæ, ſummamque fidem, & probitatem meritò chariſsimum habes. quid autem mihi accidere poſsit optabilius, quàm vt tibi ſplendidiſsimo, atque ornatiſsimo viro in re tam pia gratificer? præ-

ſertim cùm tanta ſit magnitudo tuæ liberalitatis, vt me nouis beneficiis ornare nũ quã intermittas, verùm quando ea eſt meæ valetudinis infirmitas, vt, quod debeo, præſtare non valeam: quod poſſum, hanc breuiſsimam explanationem ad te mitto: qua omnes quidem pſalmos perſecutus ſum, ſed ita, vt quæ ſatis perſpicua videntur, non attigerim, obſcura quæque paucis illuſtrare conatus ſim. Id ego ſi effeci, nõ dubito, quin tibi pro tua pietate gratiſsimum fecerim: cùm enim quotidie hos hymnos legas, quo facilius, & melius eos intelliges, hoc libentius leges, & maiorem ex ipſis fructum capies: cumque ſis publicæ vtilitatis amantiſsimus, lætabere opinor, te cauſam fuiſſe, vt ego ea in re præcipuè elaborarim, quæ non parum commodi literarum diuinarũ amatoribus allatura videantur: ſi autem, quod mihi propoſueram, ob rei difficultatem, minus aſſecutus ſum: at certè, quod ſummoperè opto, conſequar, vt, me gratum eſſe, ac tibi deditiſsimum, & tu, & cæteri omnes intelligant: ſed anteaquàm ad ipſam explanationem venias, operæpretium erit, earum rerũ, quæ diſcũtur in his ſanctiſsimis hymnis, ſummam tibi breuiter exponere, vt formam, & ſpeciem huius pulcherrimæ doctrinæ tanquàm in parua tabella adumbratam

poſ

possis intueri: quam si attento, vt debes, animo spectaueris, tua diuina indole fretus audeo affirmare, illam tam mirabiles amores, excitaturá sui, vt hunc aureolũ, & cœlestem libellum de manibus nunquàm sis depositurus, ipsius igitur hæc summa est: Deũ ad declarandam infinitam bonitatẽ suam cœlum, & terrã, & reliqua omnia, quæ amplissimo cœli complexu coërcẽtur, creauisse: illius nutu, & potestate mundum, & res humanas regi, gubernariq;: nihil nos agere aut loqui posse, aut cum animo nostro cogitare, quod ille non sentiat: quocirca non solum ab omni maleficio temperandum esse, sed etiam mentẽ ipsam, & omnem agitationem animi puram, integramq; seruandam, cum præsertim ad tribunal huius iudicis vnicuique totius vitæ reddenda sit ratio: eundem homines virtute, ac pietate præcellentes per varios casus plerunque, & per magnas calamitatum angustias ad vitam ducere beatam, & immortalem: contraque impiis vitæ quidem prosperitates, secundasq; res ad breue tempus facile concedere, sed miserias, & pœnas, quæ scelera eorum sequuntur, sempiterna fore, quæ cũ ita sint neq; illa, quæ bona fortunæ vulgò nominantur, magno æstimanda esse, neq; res incommodas atq; aduersas in malorũ nu-

mero ponendas. Docet præterea hic libellus, omnes mortales omnium generum iniustos, mendaces, vanos, & ipsa inanitate inaniores existere, nisi diuini spiritus afflatu renouentur, atq; in animis corũ pulchritudo illius imaginis instauretur, qua primus homo decoratus est à Deo, & sua culpa spoliatus: quia verò tali, ac tãto munere affecti, atq; ad hunc modũ renati sint, illos in corporibus humanis vitam cœlestẽ imitari, ac diuinæ bonitatis effigiẽ in suis moribus, & factis adumbrare: neq; tamẽ eorũ quemquam tam magnos processus habere in pietate, & iustitia, quin aliquãdo grauius offendat: tanta est vis natiuæ labis, & corruptelæ, cuius reliquiæ semper in viuis manent: ex qua quidem re fieri, vt nemo tampiè, tam sanctè viuat in terris vt vocatus ad tribunal cœleste, suã causam defendere, ac probare possit, si summus ille iudex ab eo velit exigere, quod sibi & meritissimo, & optimo iure debetur, sed illã ex animo pœnitentibus misericordiam tribuere & summa benignitate omnia peccata condonare. Quantus autem existat dolor, & cruciatus hominis pii, si quando longius ab obseruatione legum diuinarũ aberrarit, quàm demisso, ac humili animo peccata sua confiteatur, seque vltro ad illa quouis supplicio luen

luenda offerat, nunquam aliquis ita luculẽter, vt hic sanctissimus vates, explicauit, nemo omnium mortaliũ tã feliciter, quàm ipse in persona sua, imaginem pœnitentis expressit, idẽq; terrores horrificos conscientiæ, iudicium Dei, & irã formidantis, spẽq; cum desperatione atque inferis decertantẽ, & durissima prælia carnis, & spiritus ita describit, vt nõ scribere, sed rẽ oculis subijcere videatur, quis verò alius ardentiores amores excitat rerum cœlestiũ, cunctarũq; virtutum? quis diuiniore orationis copia, & varietate persequitur, quàm iucundi, quàm vberes ac diuturni fructus capiantur ex vero Dei cultu, & perpetua in recta viuẽdi ratione constantia? quis denique alius laudes summi rectoris, atque omnium rerũ domini tam admirabili magniloquentia canit, illasq; tot, ac tantis verborũ, & sentẽtiarũ luminibus illustrat? quàm iuuat videre, vt rex domi, belliq; præstantissimus omnes suas voluptates, & delectationes in Deo positas, & constitutas habeat, vt eum placabilem, benignum, suauem, amabilissimumq; depingat: vt rerum omnium affluentibus copijs, tanquam inops, & rerum omnium egentissimus, misericordiam illius semper imploret: vt rebus afflictis, & capite, ac fortunis vndique oppugnatus, nulli calamita-

tum oneri ſuccumbat, ſed cœleſti præſidio confidens audacter exclamet, Dominus & lux, & ſalus mea eſt, quem igitur metuam? Dominus firmamentum, ac robur eſt vitæ meæ, quis ergo me perterreat? ſi me hoſtiũ caſtra circunſedeant, nõ trepidabit animus meus, ſi præliorum in me vis, & furor inuadat, placida & tranquilla mente conſiſtam. Itaque vir diuinus in ſingulis ferè verſibus exemplo ſuo demõſtrat, in rebus anguſtis, atque aſperis, ad nomen ſanctiſsimum Dei tanquàm ad arcem tutiſsimam ſumma cũ fiducia confugiendum eſſe: ab illo certiſsimam opem expectãdam, qui nullius ſpem fallere poteſt: reliqua omnia præſidia, & adiumẽta inania exiſtere, & pro nihilo ducenda, rebus autẽ proſperis, atq; ad noſtrã voluptatem fluentibus, monet, importunitatem, & ſuperbiam maximopere vitandã eſſe: quicqd domi, vel militiæ fœliciter adminiſtratur, quicquid honeſtè cogitamus, & gerimus, id omne attribuendum miſericordiæ diuinæ, nihil viribus noſtris temerè arrogãdum, ſemper de ſeipſo demiſsè, abiectè, atque humiliter cuique ſentiendum. ſemper gratias benigniſsimo numini agendas, & laudes illius in ore, atq; animo nunquàm nõ habendas. Hæc, & alia multa huius generis, ad piam, & rectam vitæ inſtitutio

tionem vtiliſsima, continentur his hymnis: in quibus etiam multa prædicuntur apertiſsimè de Ieſu Chriſto domino, ac Deo noſtro, de ipſius acerbiſsima nece, de reditu ad vitã, de aſcenſu ad cœlũ, déque ſacerdotio eius, & regno ſempiterno, quorum altero nos Deo reconciliauit, ſe ipſum in cruce immolans, & omnia peccata noſtra ſuo puriſsimo ſanguine delens: altero nos defendit, ac tuetur ab hoſte ſempiterno generis humani, & ſpiritu ſuo regens, & gubernãs ad vitam perducit beatam, & immortalem. Proinde inferuntur etiam prædictiones, de vera cognitione Dei, per vniuerſas terrarũ oras longè, lateq; propaganda, déque piorum Eccleſia ex cũctis gẽtibus in vnũ pulcherrimũ corpus à ſpiritu ſancto coagmẽtanda: cuius corporis caput eſt Ieſus Chriſtus Optimus, & Maximus, verus Deus, & verus homo: cuius ſanctiſsimum numen vtinam vniuerſi mortales ad omnes ſæculorum ætates auguſtè, ſanctéque venerentur & colant.

*

M. ANTONII FLAMINII in paraphrases Præfatio.

HYmnos Dauidis, qui non satis diligenter expressi fuerant de Hebræo, adhibita summa diligentia correximus, & si consilio & opera hominum doctissimorum: sed ita correximus, vt multa nõ immutaremus, quæ tametsi prima specie malè conuersa videãtur ex ea lingua, tamẽ si paulò diligentius attẽdas, sententiam tibi fideliter exprimunt, quamuis verbum pro verbo nõ reddant, quod profectò neq; requirendũ est, neq; ab hominibus eruditis vnquam fuit approbatum. Reliquum est vt obscuritatem huius excellentissimi pœmatis, quantum efficere ac consequi possimus, breui ac dilucida explanatione illustremus. Sed antequam ad eam rem aggrediamur, nõnulla breuiter strictimq; attingẽda esse videntur, quæ tanquam viã atq; aditũ aperiant iis, qui peruenire cupiunt ad scientiã rerũ pulcherrimarũ quæ hoc aureolo & cœlesti Dauidis libro continentur. Primo illud scire oportet, ad libros diuinos plura adhiberi interpretãdi genera. Cumq; omnium genus, quod historicum Theologi vocant, ab apertiore orationis argumẽto nõ recedat, reliquas verò sententias interiores sanctioresq; persequantur, quas Græci tũ ἀλληγορίας, tum ἀναγωγὴν appellãt, animaduerti-

mus

mus Theologos veteres, cùm libros sanctorum patum explanarent, in his reconditis generibus diligenter elaborasse, in communi illo & populari parum esse versatos, quam tamen interpretandi rationem non esse leui momento æstimandam, vel id vnum apertissimè demõstrat, quòd si disputatio de rebus diuinis ac religiõe instituatur, nullam fere vim habent literæ sanctæ, neq; ad confirmandam veritatem, neq; ad falsas opiniones refutandas, si à simplici & vsitata verborũ interpretatione sermo ad arcanas illas sentẽtias trahatur. Vt sanè, si verum fateri volumus, qui fieri potest, vt ad istam rectionem abditamq; scientiam penetres, si tibi vulgaris intelligendi ratio non pateat? Iam verò si quis ab huius vitæ tenebris, & tractatione rerũ humanarum ad literas sanctas sese conferat, non hic statim mea quidẽ sententia cogendus sit, in splẽdorem illum ingentem mysteriorum cælestium acies mentis intendere, ne fortè nimio fulgore perstringatur, & nihil intueri valens referat oculos ad ea quæ tũ reliquit res diuinas aut intelligi posse desperans, aut certè (quod nonnullis accidisse vehemẽter deleo) res commenticias & inanes fabulas existimãs. Itaque assuescat iste primùm in aperto orationis argumento, & sententia, tanquàm in purissimo fonte, imaginem veritatis intueri: deinde paulatim sibi aditum aperiat ad eam intelligendi rationem, quam

Tibe-

Theologi moralem vocant, per quam motus animi turbulentos componat, & res aeternas atque mortales existimare suoq; illas momento ponderare consuescat. Postremò iam animo corroborato, iam mentis acie diligenter etiam atq; etiã perpurgata, oculos ad cælũ tollat, et diuina illa mysteria sole ipso splendidiora tutus contemplctur, & dimisso lacte, solidiore cibo & ambrosia cælesti iam vescatur, animum ad aeternitatem alens solũ Deum intuens atque suspiciens, humana omnia cõtemnens, ac pro nihilo putãs: tales denique ac tantas voluptates percipiens, quales & quantas nemo praeter ipsum cogitare possit. Hæc cùm ego mecum sapè multumq; cogitassem, atque ea vera esse iudicarẽ, cumq; Gilbertus Pont. Veronẽsis homo literarum diuinarum amantissimus, à me summo studio contẽderet, vt hymnos Dauidis breuiter ac dilucidè interpretarer, studiosè eũ laborẽ suscepi, vt omnibus ferè optimis eius libri vnũ in locum conẽctis Commentarijs ex variis ingenijs ea libarẽ, qua ad illam explanandi rationem maximè accõmodata viderentur, quã Theologi veteres Historicam appellant, vulgus hodie literalem vocat. Quòd si quantum studium in eligendis optimis quibusque sententijs adhibebimus, tantùm quoque iudicium à nobis adhibitum fuerit, profectò aliquam spem habeo fore, vt neque nos neque alios huius nostri laboris atque industriæ

pæn

pœniteat. Non negamus tamen nos ex nostro quoque permulta in commune collaturos. Illud certè profitemur, quorundam hominũ iudiciũ non probare, qui in hoc scribendi genere ꝟ ſq; eò ſeſe opinionibus Iudæorum addixerunt, et quaſi conſecrarũt, ꝟt nihil ferè ꝟnquã approbarint, niſi quod ex illorũ turbidis fontibus hauſiſſent: quæ quidem res tantum abeſt à ſanctiſſima profeſſione Chriſtiani, ꝟt nihil magis ei profeſſioni ꝟideatur eſſe contrarium, cùm præſertim nemo de noſtris nõ ſciat, Dauidem honorificẽtiſſimo ꝟatis nomine ob eam rem præcipuè affectũ eſſe, quòd de IESV Deo, deq; eius cultoribus multa prædixit, quorum bona pars ad illud explanandi genus, quod nobis propoſuimus, ſine ꝟlla dubitatione referenda ſit: cuiuſmodi ſunt etiam permulta apud Eſaiam, et cæteros eiuſdem generis ꝟates: At Hebræi huiuſmodi explanationes irrident: quaſi verò id multũ referat, aut de noſtra exiſtimatione actum ſit, ſi genus hominum ſtolidiſſimum, nos noſtraq; nõ probet. Egóne ꝟt placeam genti perditæ, atq; impiæ, committam, ꝟt ea ꝟel ſentiam, ꝟel ſcribã, quæ Chriſto Deo, & hominibus pijs ſanctisq; diſpliceãt? Quòd ſi meꝟ Iudæi ridẽt in Dauidis hymnis myſteria ſanctiſſimæ religionis prædicantẽ: ego cõtrà eorum miſeriam, & inſaniam ꝟehementer deplorabo, quòd in tanta optimarum frugum copia, ſiliquis ꝟercorum ꝟeſci malint, quæ illis nõ famẽ eximunt,

munt, neq; sires animi alūt, sed exhauriūt funditus, & corrumpunt. Verùm vt ad propositum reuertatur oratio, cùm hoc interpretandi negotium suscepissemus, omisimus, tamen magna ex parte explicationem inscriptionū quòd neq; ingenio nostro quicquam reperiebamus quod placeret, neq; nobis interpretes Latini eo in genere satis probabātur, neq; Iudæi ad eam rem aliud quicquam afferebant, præterquàm se suspicari, ijs vocabulis significari partim instrumēta musica, partim numeros & modos, & varios canēdi sonos, quibus sacerdotes hymnorū verba modulabantur. Itaq; ex ea re factum est, vt in ipsis inscriptiōibus sæpè vocabulis Hebraīs vteremur, quod tamen anteà factitatum erat etiā ab ijs hominibus qui ætate nostra hoc opusculū de Hebræo satis magna cum laude conuerterunt. Et quoniam lingua Iudæorū perāgusta est, ac præcisientibus orationis abundat (quæ quidē res mirabile dictu est, quā magnas afferat difficultates ad intelligendum) propterea visum est nobis esse faciendum, vt nōnihil de nostro nōnullis in locis adderemus, quò fieret oratio plena: atq; perfecta. Quæ verò verba ad hunc modum adiecta fuerūt, ea ferè omnia lineis sunt inclusa. Neque verò illud nescire oportet, quæ verborū voces tēpus præteritū, aut instans, aut futurū indicāt, eas voces apud Dauidem ita vim, & notionem inter se communicare, vt præsentia verbis etiā

temp

tempus ſeniens aut præteritum ſignificantibus exprimantur: & quæres euentura prædicuntur earum rerum tempora ſi formam ipſarum ſocum ſpectes, nonnunquàm præteriiſſe ſideatur. Quid? quòd etiã hoc ſerbum, Quoniã, magnas aliquando tenebras offundit oratiõi, niſi præmonitus ſis, eundem ſcriptorem hoc ſocabulo nõ ſolùm ad expoſitionem cauſarum, ſed etiã ad orationis ornatũ, aut rem aſſeueranter affirmandam ſti conſueſſe: eiuſmodi ſunt apud Latinos quidẽ, me herculè, profectò. Iam ſerò mutatio perſonarum loquentium, ſsq; eò crebra eſt in ſatibus ſanctis, ſt aliquando res in ſcena agi ſideatur: ita ſerò latẽs, ac difficilis eſt ad obſerũdum, ſt ſel acutum & perſpicacem fallere poſſit, niſi diligenter animũ aduertas. Illud præter cætera dicendum ſidetur, eos libros ſummæ diligẽtia legendos eſſe, in quibus res à Saule, & Dauide, ac cæteris Hebræorum regibus geſta continentur: quæ quidem hiſtoria nõ ſtilis modò ad intelligẽtiã huius opuſculi, ſed neceſſaria eſt in primis. Verùm ad perceptionẽ rerum diuinarũ nihil aquè opportunũ, nihil tam neceſſariũ exiſtimari debet, quàm animi præparatio diligens ſt maxima cũ reuerẽtia & caſtimonia ad hãc cæleſtem diſciplinam adeamus: & memineri-mus, libros ſanctos eſſe montẽ illum, quò ſi quis accedat in figura hominis ſtiã beluæ gerens, lapidib⁹ interficitur, id eſt, ſnde ſalutẽ ac beatã ſi-

tam-

tam petere debuit, inde perniciem ac certam mi seriā refert. Versatur enim Deus Opt. Max. in monte illo augustissimo, & præcepta saluberrima tradit genti sua. Proinde summum omniū rerum effectorem, et Dominum loquētem audi turus, & in caliginem illam splendidissimā ingressurus, quàm maximè potest, animum abdu cat à cogitatione rerum fragiliū et caducarum, manus, linguam, oculos ab omni intemperantia prohibeat, & sanctissimum nomē assiduè precetur, ab illo intelligēdi facultatem petens. In primis puritatē ac summissionē animi colat, exploratumq; habeat, his tantū gradibus ascendi ad altissimam cognitionem rerū diuinarū: neque enim sapientia mētes impuras, aut superbas, in sua sancta sacraria intromittit. Hæc quidē breuiter attigisse voluimus, quòd ea nō paruo vsui fore videbantur ad intelligendos Dauidis hymnos, nō minùs ferè difficiles, quàm diuinos ac cœlestes. Nūc, ne lōgiùs oratio progressa videatur, iam ad ipsam interpretationē veniendum est: in qua diligēter breuitati seruiemus, qua nihil ab explanatoribus accidere potest optabilius, sed ita seruiemus. Vt quoad ingenij nostri facultas feret, nihil aut redūdet, aut desit: ne si nimium angusti ieiuniq; simus, oratio, quæ luminis adhibendi causa instituta est, ea obscuritatem afferat, & hymnos Dauidis non explanauisse sed simpliciter ex Hebræo conuertisse videamur.

M. AN

M. ANTONII FLAMINII IN LIBRUM PSALMORUM BREVIS EXPLANATIO.

*

ARGVM. PSAL. I.

Omnes quidem natura trahimur, & ducimur ad vitæ beatæ appetitionem, sed plerique mortalium ignorant, in quo illa consistat. Eam rem explicat elegantissimè vir sanctus, vt intelligamus, quem ad finem omnes curæ, & actiones nostræ referendæ sint. Deinde piorum impiorumq; facta collatione demonstrat, quanta supplicia vitiis, quanta virtuti præmia sint constituta.

PSALMVS PRIMVS.

BEATVS vir qui non ambulauit in cõsilio impiorum, & in via peccatorũ nõ stetit, & in cathedra derisorum non sedit.

Sed in lege dominivolũtas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquàm lignum, quod planta-

tum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur.

Non sic impij, sed tãquam puluis, quem proijcit ventus.

Ideo non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum.

Quoniam nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit

EXPLANATIO.

Beatus vir. *Monet ad beatam vitam in primis pertinere, vt eorum consilia fugiamus, qui nos à recto Dei cultu & honesta viuendi ratione conantur abducere.*

Et in via peccatorum. *Rationem viuendi turpem, & vitiosam appellat viã peccatorũ: ea nim vita est via improbis, & flagitiosis ad infeos, & miserias sempiternas. Tunc verò in via peccatorũ non stamus, cùm peccãtes statim resipiscimus, & ad rectum vitæ cursum redimus.*

Et in cathedra derisorum non sedit. *His verbis monet, amicitias, & consuetudines hominum perditorum declinandas esse: sedendi enim nomine congressum, & familiaritatem significari, satis indicant verba illa Psal. 26. Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniquè gerentibus non introibo: odi cœtum malignantium, & cum impijs nõ sedebo. Irrisores autem vocat homines*

mines sceleratos, et nefarios, qui ad id furoris, et miseriæ perducti sunt, vt homines virtutē, & pietatē colentes derideant, & pro nihilo putent. Horum sera, & inutilis pœnitentia pulcherrimè describitur in libro Sapientiæ.

Et erit tanquam lignum quod plantatū est secus decursus aquarū. *Vt enim aqua humore suo vitali arborem educat, atq; confirmat, illamq; latissimorum copia fructuū exornat, ita piorum animus meditatione rerum diuinarum alitur ad æternitatem, vberrimosque virtutum fructus, et illos quidem tempestiuos edit: sapiēs enim suo quæq; tempore agit. Eleganter autem virum pium, & religiosum comparat arbori fœcundæ, vt enim hæc vbertate sua non sibi, sed alijs vtilitatē affert, sic vita illius fructuosa quidem est: sed ita, vt commoditates suas non quærat: tota autem in iuuandis alijs occupata sit. cæteri omnes omnia referre solent ad vtilitatem propriam, nec facile animum inducere possunt, vt aliquid gratuito agant.*

Et omnia quæcunque faciet ptosperabuntur. *Pulcherrimum certè pietatis præmiū: vt scilicet pijs, & bonis omnia vertant in bonum, & quicquid agas, & moliare, prosperos exitus habeat, atque etiā fructum capias ex ijs rebus, quæ detrimentū, & perniciem alijs afferre solent. Hoc ita esse, et diuus Paulus in epist. ad Roma. scripta asseueranter affirmat, et pio-*

rum quisque in se ipso quotidie experitur, cæteri, quo pacto possit hoc fieri, vix suspicari queunt.

Sed tanquam puluis. *Vt enim puluerē, & paleas dissipat ventus, sic furiæ scelerū homines impios, & nefarios exagitant, & quocunq; illos libidinum, & cupiditatum æstus impulerit, eò miseri præcipites ruunt.*

Propterea nō resurgent impij in iudicio. *Vniuersi quidem mortales ad vitam reuocabuntur, cùm* IESVS *Opt. Max. è cælo descendet ad iudicia exercēda, verū impij ad tribunal ipsius non sistentur, quippe de quibus iam sententia pronuntiata sit, vt scriptum est in Euangelio Ioannis: peccatores autem sistentur: illi quidem totius vitæ rationem reddituri sed vnà cū impijs procul à cœtu, & conspectu iustorum hominum consistent. Sic vulgò solent explanare hūc locū. Impios autem interpretātur eos qui vel falsas religiones colunt vt Turcæ, ac Iudæi, vel Deum res humanas curare non existimant, vel etiam funditus omnem naturam, & vim diuinā tollunt. Peccatores intelligi volunt eos, qui veram quidem religionem profitētur, sed flagitiosè, ac turpiter viuunt, cuiusmodi sunt quamplurimi, qui se Christianos numerari volunt, cùm tamē Christi similes in viuēdo esse nolint. Verū illud scire oportet, nomen Hebræū, quod in hoc psalmo quater impij vocabulo expressum est, Latinè impri*

improbum sonare, tametsi aliquando præcipuè impietatis vitiũ significat. Quòd autem verbũ resurgendi in hoc versiculo positum est, fortasse rectius, quod ad vim propriã attinet vocis Hebraeæ, consistendi, aut standi verbum poneretur: sed interpres Latinus Græca, non Hebraea conuertit, vt quãquam multa desiderentur in hoc genere, ipse tamen extra omnem culpam sit ponendus. Hæc cùm ita se habeant, haud scio, an melius sit huius versiculi sententiam sic explanare: Cùm homines improbi, & vitiosi scelerum furijs agitentur, profectò nõ poterunt in iudicio consistere, sed cadent, condemnatiq3, & secluſi à cœtu, & cõcilio piorũ in perpetuas tenebras relegabuntur, cùm summus ille iudex ab ijs rationẽ dictorũ, factorumq3 reposcet. Verbum cadendi & consistendi vsurpat etiam M. Tullius eo modo, quo nos vsurpauimus hoc loco. Apud eundẽ, causa cadere, est litẽ amittere: & comœdus ille Terẽtianus cum dicit, se vix stetisse, nihil aliud dicere voluit, nisi fabulas Cæcilij, quas ipse egerat, vix populi iudicio probatas fuisse. Hæc ego exempla ex scriptoribus elegãtissimis ponere volui, ne quis fortè existimaret, translationẽ, qua nos Dauidem vsum suspicamur, nimis duram, aut insolentem existere.

Quoniam nouit. *Deus bonorum innocentiam, & vitæ sanctimoniã singulariter amat, improborum autem vitã, & mortem summo*

pere detestatur, itaq; vt illi perpetuum florentes, ac beati erunt, sic isti sempiternis supplicijs afficientur.

PARAPHRASIS.

ILle quidem ad beatam vitam certissimus est aditus, diligenter eo munere fungamur, cuius colendi efficiendiq; causa nos Deus sui praestantissimi numinis similes effinxit, & naturā compotem rationis ac cogitationis impertiuit. Hæc autem nobis ea re tributa fuerunt, vt cùm cætera animantium genera ventri pabuloque seruirent, nos colendo Deo rebusq; diuinis contemplandis animū intenderemus: et cū fide iustitiaq; viuētes in terris post incredibili gaudio, et æuo sempiterno frueremur in cælo. Quæ cū ita se habeāt, rectè beata vita cōstituitur in illo, qui ad eam sanctitatem peruenerit, vt non solū ab omni maleficio sese temperet, sed etiam mētem ipsam et agitationē animi, castā inuiolatamq; cōseruet: & repudiato cōsilio impiorum, in recto Dei cultu, puraq; religione perseueret. Itaq; beatus ille, qui nihil flagitiosum aut impiū cogitat, neque vnquā recedit ab honesto, inito consilio peccandi. Quòd si quid aliquādo à nobis sit offensum, dum ab honesta viuendi ratione aberramus, certè danda est enixè opera, vt eò, vnde digressi sumus, quā celerrimè reuertamur. Est enim caput ad bene beateq; viuēdū, vti ne viā improbōrū ingrediamur: proximum, ne diutius

in

in ea cõsistamus, errare enim et labi (vt quidã sapiẽter monet) cõmuni hominum infirmitati: in errato perseuerasse, singulari cuiusque vitio est attributũ. Sed totius improbitatis nulla est capitalior, quàm eorũ, qui non solum ipsi obstinato animo versantur in sceleribus, sed etiã alios pestiferis institutionibus corrumpunt: atque eos deridẽt qui iustitiam & pietatem colũt, & animum exercent in optimis rebus.

Veruntamen ad summum bonum adipiscendũ, non satis est existimandum, si declines malum: nisi etiam virtutem ac pietatẽ colas. Itaque beatum illum iudicamus, qui et sese à vitijs purũ & integrum seruat, & præceptis legum diuinarum studiosè paret, & in ea meditatione dies noctesq; consumit, vt intelligat, quid iubeat Deus quidve prohibeat, qua breuissima via sit in cœlum, quas pœnas improbi pendant, quæ præmia boni consequantur.

Qui ita se gerit, itaque vitam instituit suã, is instar fœcundæ arboris satus ad vberrimos fontes, & flumina sanctæ literarũ diuinarum atquẽ illarum doctrina perpetuò irrigatus, pulcherrimos virtutum fructus, & illos quidẽ tempestiuos feret. Sapiens enim suo quoque tempore agit.

Idemq; semper virebit, neque vllos vnquam æstus formidabit: viri enim sancti, quamuis assiduis calamitatibus premantur, tamen spe

bona sustentati, et fonte salutari Spiritus sanct recreati semper vigent ac florent: & (quo nihil aut præstantius, aut optabilius accidere potest) semper eisdem omnia vertunt in bonum: siquidem res aduersas tolerãter, secundas moderatè ferunt: et si quid ab ijs aliquando peccatũ est: excuscitat ea cura animos, et maiores ad rẽ bene gerendam facit, vt quouis supplicio se dignos putent, nisi culpam admissam maioribus sanct beneficijs.

Explicauimus breuiter, qualibus & quãtis bonis in hac etiam vita fragili, miseraq; fruerentur homines pij, & religiosi. At improborũ, perditorumq; hominum longè dissimilis est ratio, neque enim ij aut florent, aut vllos fructus ferunt, aut pulcherrimis illis muneribus afficiũtur à Deo: sed vt puluerem & paleas dissipat ventus, sic furiæ scelerum homines impios & nefarios exagitant, & quocunque illos libidinũ & cupiditatum æstus impulerit, eò miseri præcipites ruunt.

Proinde illud scire oportet, cũ ex impuris & profligatis hominibus partim falsas religiones colant, partim de Deo, deq; rebus diuinis rectè sentiant, vtrumque horum hominũ genus nouissimis temporibus vnà cũ pijs & sanctis viris ad vitam quidem reuocatum iri: sed hoc interesse, quod alteri, nempe de Deo malè sentientes, non vocabuntur in iudicium, quippe de quibus

bus sententia iam pronuntiata sit, vt scriptum est in Euangelio: alteri autem ad tribunal Christi Dei sistentur, illi quidem totius vitæ rationem relaturi, sed vnà cum impijs à sanctorum hominum cœtu ac consensu procul absistent.

Ob eam verò causam boni in perpetuum florentes ac beati erunt: improbi verò quique sempiternis supplicijs mactabuntur, quia maximus ille omnium rerum moderator et Dominus, innocentiam & vitæ sanctimoniam singulariter amat, chariſsimamque habet: contraque mores perditos profligatosque et impia facta summoperè detestatur.

PARAPHRASIS CARMINE.

Dum nigra iucundos per languida membra sopores
Nox irrigat mortalium,
Tu mecum tacitis hymnos meditare sub vmbris
Cantu Latino barbite
Iesseo quondam heroi modulate, tyranno
Qui siue pulsus à fero
Montibus in solis erraret, siue reuersus
In patriam ditissimas
Vrbes, & latos populos ditione teneret,

Noctes, dieſq; maximo
Cœlicolum regi laudes cantare ſolebat.
At vos beati cœlites,
Eſt tutela quibus vatũ cõmiſſa piorum:
Adeſte quæſo dexteri,
Et quæcunque Syros docuit rex optimus olim,
Per Italas vrbes lyra,
Dum memorare iuuat, facilem concedite cantum,
Rebuſque dignum maximis.

ALIA PARAPHRASIS CARMINE.

Beatus ille, qui nec audit impios,
Nec perſeruerat improbus
Peccare, nec lætatur irriſoribus
Se peſsimis adiungere:
Sed mente pura diligit leges Dei,
Illáſque ſemper cogitat,
Seu ſopore amabili, ſeu lumine
Sol candido terram irrigat.
Qualis perennes orta propter riuulos
Arbor feraces ramulos

Orn

Ornat quotannis fructuum lætissima
Pulcherrimorum copia,
Suumq; honorem seruat omni tempore
Densis amicta frondibus:
Talis piorum est vita, talis omnium
Colentium leges Dei.
Hi quicquid vnquam molientur, exitus
Illo fauente prosperos
Habebit, haud sic improbi: sed puluerem
Vt turbo lætè disicit,
Sic iactat illos impetus libidinum,
Nulloq; consistunt loco.
Ergo supremi iudicis cùm venerint
Tribunal adiustissimum,
Causa cadentes, à bonorum candida
Turba procul miserrimi
Trudentur ima in tartara: quoniã Deus
Mores piorum diligit:
At turpiter qui vitam agit, cruciatibus
Hunc sempiternis afficit.

ARGVM. PSAL. II.

Prædicat coniurationem Iudæorũ contra Iesum Deum, & eius imperiũ canit, & beatam vitã pollicetur iis, qui in eo spes suas reposuerint. Neque verò

rò Petrus, Apostolus modò, sed etiam scriptores apud Hebræos magni in primis, & illustres, hoc carmen ad Christum Deum pertinere confirmant: sed illum Iudæi venturum sperant, nos venisse, & salutem humano generi attulisse non ambigimus. Illud autem scire oportet, nos in explanatione septimi versus secutos esse Ioannem Chrysostomum & Theodorum Antiochenum, atque Hilarium Pictauorum pontificem, Theologos summa authoritate, summaque doctrina, qui eo versu Dauidem vaticinatũ esse reditum Christi ad vitam, asseueranter affiemant, neque dubitant, quin Paulus Apostolus in eadem fuerit sententia, quem Lucas in actis Apostolorum sic loquentem facit: Vobis nuntiamus, quæ promissa fuerant maioribus nostris, ea Deum præstitisse posteris eorum scilicet nobis, Iesu à morte excitato, vt etiam scriptum est in Psalmo secundo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hæc Paulus. Christum verò natum esse cùm ab inferis exurrexit, pulcherrima illa similitudo demonstrat, qua vtitur ipsemet in Euangelio Ioannis, de sua morte & reuocatione ad vitam, ad hunc modum loquens, Mulier (cum parit) in mœstitia est propter maximam vim doloris: ast vbi partum edidit, omnem tristitiam ex animo deponit, ob lætitiæ voluptatem, quam ex puero suscepto maximã capit Et profectò quid aliud reuiuiscere, quàm renasci? Quod si Christus reuiuiscens natus est, quis illum genuit? Nempe Deus, qui ab inferis illum excitauit. Quamobrem Paulus in Epistola, quã scripsit ad Colossenses, eum vocat, πρωτοτοκὸν ἐκ τῶν νεκρῶν, id est, si verbum de verbo exprimere velis, primogenitum ex mortuis. Proinde quod dicitur, Hodie genui te, tẽpus illud indicat, quo tẽpore Iesus ad vitã reuocatus fuit immortalẽ, atque imperio cœlitum atque hominum potitus est. Sed totũ

hunc

hunc locum ſubtiliter & copioſè perſequitur Hilarius in ſuis Commentariis, quem planè legendum cenſeo.

Pſalmus II.

QVare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?

Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

Dirumpamus vincula eorum, & proiicia mus à nobis iugum ipſorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.

Ego autem conſtitui regem meum ſuper Sion montem ſanctum meum. Narrabo decretum.

Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, tanquàm vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite, erudimini qui udicatis terram.

Seruite Domino in timore, & exultate cum tremore.

Osculamini filium, ne forte irascatur, & pereatis de via.

Cùm exarserit in breui ira eius, Beati omnes, qui confidunt in eo.

EXPLANATIO.

Quare fremuerunt gentes. *Hos primos versiculos explanat sanctorum hominum cœtus in actis Apostolorum, his verbis: Domine tu es Deus qui fecisti cœlum, & terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt, qui per os Dauid pueri tui dixisti. Quare fremuerũt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim verè aduersus sanctũ filiũ tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes simul, & Pontius Pilatus cũ gentibus & populis Israël ad faciẽdum quæcunque manus tua, & consilium tuũ prius decreuerat vt fierent.*

Et aduersus Christum eius. *Id est filium, quem pater Iudæorum, & cæterarum nationũ regem constituit.*

Dirumpamus. *Hæc sunt verba impiorum, vincula, & iugum Christi à ceruicibus suis repellentium.*

Qui habitat. *Vaticinatur Dauid irritos fore conatus Iudæorum.*

Tunc loquentur. *Significat excisionem Hierosolymorum, & innumerabiles calamitates,*

qua

quæ Iudæis impendebant.

Ego autem. *Deus inducitur loquēs: intelligo autem, Deum Christo regnum tradidisse, quatenus ille homo est, natura enim Christi diuina regnum semper obtinuit.*

Narrabo decretū. *Christum facit narrantem quid de se decreuerit pater.*

Dominus dixit ad me, filius. *Ioānes Chrysostomus Theodorus Antiochenus, Hilarius Pictauorū Pontifex, & ante eos diuus Paulus in actis Apostolorum affirmāt, Dauidem hoc versu prædicere Christi reditum ad vitam. Itaque hoc verbum hodie, tempus id significat, quo tempore ille ab inferis exurrexerit, atq; imperio cæli, & terræ potitus est. Verū hac de re nos satis copiosè disseruimus in ea paraphrasi, quæ superioribus annis edita est, vnde assumere licebit, quæ ad hunc locum pertinebunt.*

Reges eos in virga ferrea. *Eos videlicet, qui imperiū tuū repudiarint, neque dicto audiētes tibi esse voluerint: virga enim ferrea seueritatē imperandi significat. Sed videtur magis probandi qui verterunt ex Hebræo ad hunc modum: Conteres eos virga ferrea.*

Tanquam vas figuli. *Hoc simili magnitudo supplicij exprimitur. Itaq; Hieremias iussus est, lagunculā fictilē contercre in conspectu populi, et hæc loqui, Hæc dicit Dominus exercituū sic conteram populum istum, & ciuitatē istam,*

vt

& conteritur & vas figuli, quod amplius refici nõ potest.

Ex exultate cum tremore. *Hortatur principes, & reges, & lætẽtur salutari eius imperio, qui extitit & vindex, & parens nostræ libertatis, quique obedientes sibi ad & vitam perducet beatam, & immortalem. Exultandum verò ait cũ tremore, propterea quòd & ipsius misericordiæ confidere cõuenit, ita lenitati coniunctam iustitiam formidare oportet. Quamuis ego libentiùs crediderim, Dauidem de eo loqui timore, quem parit amor, non culpæ sepplicium; quò magis enim quisque alterum ex animo amat, & colit, eò magis vereri solet, ne qua in re animum illius offendat. Hoc timoris genus aduersus Christum, & ipsius patrem ab homine Christiano requiritur in primis.*

Osculamini filium. *Hoc est, illum esse vestrum regem agnoscite, illum summa pietate colite, & veneramini: solemus enim osculandis principum manibus nostram erga eos obseruãtiam testificari.*

Et pereatis de via. *Id est, ne si iustũ eius imperium recusaueritis, Dei in vos iram incitetis, & aberrantes à via, quæ ducit in Cælũ, in maximas, & perpetuas miserias vos proijciatis: id quod breui tempore eueniet, nisi insaniendi, & repugnandi finem facitis.*

PAR

PARAPHRASIS.

QVid sibi vult iste fremitus gentium, & inana concitatio populi? quis tantus furor principes & reges præcipites agit, vt bellum importunum contra Deum, D. ique filium moliantur? & frustra eius vitam, & nomen conẽtur extinguere? qui tertio die, postquàm acerbissimè necatus fuerit, ab inferis exurget, atq; imperiũ cœli ac terrarũ in perpetuũ obtinebit.

Rumpamus (aiunt) vincula legũ, quibus nos isti obstringere moliuntur, & iugũ ipsorũ à cervicibus nostris repellamus. Hæc homines amentissimi petulanter ac temerè iactant.

At summus ille dominus omnium rerum, & moderator Deus, inanes eorum conatus ridet, ac pro nihilo putat.

Scilicet tẽpus video fore, cùm ille sceleribus, & impietate Iudæorum grauiter commotus tecta vrbis & mœnia eorum disturbabit, & gentem impiam ferro, fame, ac peste consumet, & reliquias omnium rerum egestate atque exilio perpetuo mulctabit.

Nimirum, ait Dominus, quẽ vos impij tanquàm perditissimum aliquem latronem in crucem tollere paratis, illum ego vobis regem præficere constitui. At Christus.

Exponam, inquit, omnibus, quid de me decreuerit Deus. Ille quidem, cũ me ab inferis excitaret, hac oratione vsus est: Tu Christe mihi fi-

lius es, Ego te ex ipsa æternitate genui, atq; iterum hodie gigno, dum te ad vitã reuoco, vt pietatem colentibus aditum aperias ad Cœlum, et vitam beatam & immortalem.

Et quoniã crudelissima tyrãnide hostis sempiterni humanum genus liberasti, sub potestatẽ ac ditionem tuam non Iudæos modò, sed omnes nationes terrásque subingo.

Imperium tuum repudiãtes pœna seueritate comprimito, & contumaces ac superbos funditus deleto. His quidẽ verbis affatus est summus ille Deus Christum suum.

At vos, quicunque imperia terrarum obtinetis, hæc percipite quæso diligenter, & ea penitus animis vestris mentibusq; mandate, & cùm intelligatis Iesum omnium mortalium regem constitutũ esse, vltrò illi summa fidelitate seruite, & lætamini salutari eius imperio qui extitit et vindex & parẽs vestræ libertatis, vosq; ad vitam perducet beatã & sempiternam. Sed vestrum gaudium ne sit profusum & immoderatum, sed reuerẽtia metúque pio restrictum, vt enim ipsum misericordiæ confidere conuenit, ita lenitati cõiunctam iustitiã formidare oportet.

Proinde vos in seruitutem filio Dei libentissimis animis dicate, illum summa pietate colite & veneramini: ne si iustum eius imperiũ recusaueritis, Dei in vos iram incitetis: & declinantes de via, quæ ducit in cœlum, in maximas & perpe

perpetuas miserias vos proiiciatis: id quod breui tempore euenieret, nisi insaniendi ac repugnandi finẽ facitis. O beatos & felices, illos qui vltrò se ac sua omnia eius potestati fideiq; cõmiserint.

ARGV. PSAL. III.

Queritur de populo, qui ab imperio suo ad Absalonem defecerat, & filium simul & hostẽ, deinde spe diuini præsidij animum suum mirabiliter confirmat. Ad hunc hymnum, si quid duri nobis inciderit, tanquam ad arcem tutissimam cõfugiendum est, atque horum carminum meditatione mens corroboranda, ne de gradu constantiæ dimoueamur, néve quicquam excellentia præstantiáque Christiani indignum committamus, quem metu mortis exanimari, frangi, & debilitari dolore turpissimum est: cùm præsertim omnia, quæ mala corporis, & fortunæ nominantur, & si falsa visione, ac specie mouent plerosque vehementius, breuia sint & perexigua: bona verò que fortibus, & patientibus parata sunt in cœlo, sempiternis sęculorum ætatibus maneant: & talia sint ac tanta, vt nulla hominum cogitatione queant adumbrari. Itaq; cum rebus aduersis pars illa animi, que natura mollis, & tenera est, se parum fortiter geret: seq; lamentis turpissimè lachrimisq; dedet, presto sit ratio, quæ afflictam, & iacentẽ erigat, illamq; vocibus librorum diuinorũ corroboret ac cõfirmet, vt omnem ignauiam, & infractionẽ animi abiiciẽtes, & Christi fortissimi ducis nostri cõstantiam imitantes, eius regno, & immortalitate digni habeamur.

Psalmus Dauid, cùm fugeret à facie Absalon filij sui. III.

DOmine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt aduer-

sum me.

Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo.

Tu autem Domine protector meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo.

Ego cubabo, & dormiam, méque excitabo, quia Dominus sustentat me.

Non timebo millia populi circundantis mẽ. Exurge Domine, saluum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes inimicos meos in maxilla, dentes peccatorum contriuisti.

Domini est salus, & super populum tuũ benedictio tua.

EXPLANATIO.

Cùm fugeret à facie Absalon. *Hæc historia scripta est in secundo libro Reg. cap. xv.*

Et exaltans caput meum. *Hoc ait, quoniã Deus ipsum ex humili, & infimo loco ad latissimum regiæ dignitatis gradum perduxerat.*

Ego cubabo. *Ego (inquit) deponam omnem solicitudinem, & tranquilla ac quieta mente consistam, propterea quòd video, meã salutem Deo curæ esse: hoc enim significat, cùm dicit, se dormiturum, & sponte sua se excitaturũ. Hæc eadẽ orationis exornatione vsus est in Psalmo quarto*

quarto, ad significandā magnā animi securitatē, cū ait, In pace simul cubabo, & dormiā: & Moses in Leuitico: Dabo (inquit) pacē in finibus vestris: dormietis, et nō erit, qui exterreat. Quē etiā quod in Latinorū est prouerbio, dormire in vtramuis aurem, id eādem sententiam cōtinet.

Quoniam tu percussisti. *Dicit se opē Dei fidenter implorare, propterea quòd is sape aliàs sibi periclitāti auxilio, salutique fuerat, & vim hominū perditorū infregerat, qui vitam ipsius tanquàm immanes belue appetebant.*

Domini est salus. *Id est, solus ex omnibus Deus salutem dare, & conseruare potest: quocirca omnem nostram fiduciā in sola eius misericordia collocare debemus.*

Et super populum tuum benedictio tua. *Populum Dei appellat omnes pios, quos significat non modò saluos, & incolumes à Deo conseruari, sed etiam bonis omnibus augeri atque ornari: sub hoc enim verbo benedictionis, hec sentētia subiecta est.*

PARAPHRASIS.

SVmme pater, quidnam causa putem esse, cur tot è popularibus meis me bello persequātur? cur inquam tanta vis ciuium cōiuratione facta me capite ac fortunis acerrimè oppugnat, cùm neminem neque re, neque verbo vnquàm violarim, cùm omnes paterna pietate semper amplexatus fuerim.

Multi Domine, cùm videant me tam subitò eiectum è ciuitate, non verentur affirmare me tuo penitus auxilio destitutum esse, neque solũ regno tum ab inimicis, sed etiam vita spoliari.

Sed licet, quod cuique libet loquatur, ego quidem certum habeo te mihi præsidio, salutique futurum, id quod pro tua singulari misericordia nunquàm facere destitisti. Tu Domine, cũ ego propter obscuritatem meam in hominum ignoratione versarer, tua benignitate perfecisti, vt consequerer magnam nominis celebritatem, & cum admiratione omnium, regno dignissimu iudicarer.

Tu idem caput meum grauissimis calamitatibus afflictum, & depressum extulisti: neque vnquam supplices manus tetendi ad sanctissimum templum tuum, quin aures attẽtas ad clamorem, & preces meas adhibueris.

Itaque tam firmo præsidio munitus, tàmque salutare, & propitium numen expertus, deponã omnem animi curam, & solicitudinem, & quiete atque tranquilla mente consistã: neque me vel innumerabiles hostium copiæ territabunt. Huc ades ô maxime cœlitum, atque hominum pater, & rex, & in calamitate supplicis tui misericordiam adhibe.

Illam ego pater imploro fidenter, propterea quòd periculis meis nunquàm defuisti.

Tu Saulem acerbissimum, & perpetuum hostem

stem meum funditus euertisti: tu vim, & furorem perditorum hominum, qui vitã meam ferro, atque insidijs appetebant, infregisti.

Quæ cùm ita se habeãt, vos mortales admoneo, nolite confidere vestris ingenijs, aut opibus, aut vlli hominum potentiæ, sed ad Dominum confugite, & omnes spes & cogitationes vestras in eius infinitã misericordia collocate: nã solus Dominus seruare, solus omnibus bonis ornare, & cumulare nos potest. Quòd si Domine & salus, & vita, & omnia bona ab vberrimo fonte benignitatis tuæ ad homines permanãt, aperi quæso, illas manꝰ tuas munificẽtissimas: & populum tuum exple pulcherrimis muneribus tuis.

PARAPHRASIS CARMINE.

Pater beate, quid esse causæ, existimem,
Cur impio bello furens
Me persequatur immerentem ciuitas?
Meam salutem perditam,
Et derelictam populus à tua pater
Benignitate prædicat.
Sed quisque, quod iubet, loquatur, tu deus,
Certúmque præsidium meum es.

Nunquàm fidẽ tuam pia inuoco prece,
Quin vocibus dexter meis
Aures benignas præbeas, & ſupplici
Optata dones omnia.
Ergo quieta mente vtramuis dormiam
In aurem, & hoſtium minas
Ridebo vanas, nullus vllo tempore
Belli tumultus, aut ferox
Me præliorum territabit impetus,
Non ſi trecentis militum
Me vallet hoſtis millibus, & vndique
Mortem minentur omnia.
Exurge vindex ſcelerum, & hoſtium feram
Compeſce vim crudelium:
Qui ſæpe, ſæpiúsque me grauiſſimis
Iam liberaſti caſibus.
Tu perdidiſti Saulem, & omnes impios,
Qui beluarum immanium
Inſtar, ſalutem & ſanguinem meum
hiantibus
Sani appetebant faucibus,

Solus

Solus salutem soluis o dulcissime
Pater, bona omnia sufficis,
Solus colentibus piè numen tuum
Aeterna donas gaudia.

ARGV. PSAL. IIII.

Prædicat misericordiam Dei erga se, & inimicos suos hortatur, vt deponant odia, & libẽti animo se subiiciant eius imperio, quem Deus ipse charissimũ habet, atque amplissimo regis honore, & nomine affecit. Videtur autem hoc carmen initio regni sui composuisse.

Victoria Neginoth, Psal. Dauid IIII.

INuocantẽ me exaudi Deus iustitiæ meę, in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, & exaudi orationẽ meam.

Filij viri vsquequo gloriam meam ad ignominiam? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Et scitote, quòd segregauit Dominus sanctum sibi, Dominus exaudiet me cũ clamauero ad eum.

Contremiscite, & nolite peccare: cogitate cum corde vestro in cubilibus vestris, & tacete.

Sacrificate sacrificia iustitię, & sperate in Domino, multi dicunt: quis ostendit nobis bonum?

Eleua super nos lumẽ vultus tui Domi-

ne dedisti lætitiam in corde meo.

Ex quo tempore frumentum eorum, & vinum eorum multiplicata sunt.

In pace simul cubabo & dormiam.

Quoniam tu Domine solus securum habitare fecisti me.

EXPLANATIO.

Victoria in Neginoth. *De inscriptionibus hymnorũ, et cur in ipsis sæpè vocabulis Hebraïs vsi simus, explicatum est in eo proœmio, quod nostræ paraphrasi præpositum est.*

Deus iustitiæ meæ. *Id est auctor, & custos innocentiæ meæ.*

In tribulatione dilatasti mihi. *Id est, cùm in maximas periculorum angustias adductus essem, tu viam salutis meæ latam effecisti, meq; in tuto, & tranquillo collocasti.*

Filij viri. *Sic appellare solent Hebræi plerunque homines claros, & insignes. Vanitatẽ verò & mẽdacium vocat conatus illorum irritos: & inanes, atque cõsilia contra salutẽ ipsius frustra inita. Sic ficus, & arcus mẽdaces in literis sanctis appellantur, quòd fallãt expectationem: vel potius eos reprehendit, quòd posthabita cura rerum diuinarũ, falsa & inania bona consectẽtur, & omnes cogitationes suas abẽ ciant in res futiles, atque fallaces. Est igitur huius versiculi sentẽtia, vos principes ciuitatis*

appel

appello, quousque tandem abutemini patientia mea? Quousque toto animo, & studio omni incumbetis in eam curam, vt mihi vitã & omnia vitæ ornamenta eripiatis? Quandiu cogitationes vestræ versabũtur in rebus viliſsimis, támque contemptis?

Scitote quòd. *Nolite (inquit) existimare, me humana ope aut cõsilio ad regiã dignitatem peruenisse: ipse enim Deus me multis è millibus electũ genti suæ præfecit: ex quo fit vt qui meũ repuliet imperium: non mihi, sed Deo repugnet. Vocabulum Hebraum, quod interpres Latinus Græcum secutus, sancti verbo exprimere solet, propriè in ijs hominibus ponitur, qui sunt animo benefico, & liberali, & ad iuuandos omnes admodum propenso: talem autẽ decet in primis eum esse, qui regnum administrat.*

Contremiscite. *Monet illos, vt aliquando tandẽ metu diuini numinis à maleficio sese contineant, néve animo præcipiti, & perturbato quicquã gerant, sed silentio noctis, cum mens soluta, & libera, & cæteris omnibus curis vacua est, diligenter exquirãt, & cũ animis suis cõsiderẽt, quid faciendũ fugiendum q; sit: quid verum, & ratio præcipiat in primis, vt omni studio contineãt linguam: quam si quis didicit moderari, maximum certè præsidium sibi ad reliquas virtutes comparauit.*

Sacrificate sacrificia iustitiæ. *Hortatur ini*

inimicos, vt resipiscãt, & peccata sua expient, appellat autem sacrificia iustitiæ illa, quæ cũ fide, & vera pietate fiebãt, vel potius ita vocat ipsius iustitiæ cultum, atq; animi exercitationẽ in optimis rebus quo genere sacrificij nihil excellẽtius, nihil Deo gratius à nobis accidere potest, sic alio in loco laudis sacrificiũ dixit, cùm dicere vellet, hymnos, & studiũ diuinæ bonitatis prædicandæ, & laudibus efferendæ.

Multi dicunt. *Multi quòd viderent Dauidẽ maximis, & assiduis calamitatibus exagitari solitũ, suspicabãtur, eius imperiũ reipublicæ calamitosum fore. itaque cùm iste iam adeptus regiam dignitatem ipsos hortaretur ad obediẽtiam, secum ipsi dicebãt, quis præstabit, vtile nobis fore, vt hic regnum administret? His rebus permotus vir sanctus, Deum precatur vt gentem Hebræam placidis oculis intueatur, suũq; sanctissimum numen tã præsens, tamq; propitium exhibeat, vt omnes intelligãt, ipso regnãte omnia prospera & secunda fore.*

Dedisti lætitiam. *Lætabatur Dauid, quòd initia regni sui magna fertilitas agrorũ cõsecuta foret: ea enim res polliceri videbatur, ipsum dignitate sua non calamitatẽ populo, vt multi suspicabãtur, sed prosperitatem potius allaturũ. Haud equidẽ oblitus sum me aliter hos versiculos interpretatũ esse in paraphrasi, sed vnicuiq; liberũ erit, vtram explanationem sequi malit.*

In

In pace simul cubabo. *Sententia huius versiculi in explanatione Psalmi superioris explicata est.*

PARAPHRASIS.

VOces meas invocantis exaudi sanctissime parens, & custos iustitiæ meæ, & qui vitam meam ex maximis sæpe angustijs & periculis eripuisti, in reliquum etiam tempus miserere supplicis tui, & precationem meam audi.

Vos principes ciuitatis appello, quousq; tandē abutemini patiētia mea? quousq; toto animo, et studio omni incumbetis in eam curā, vt mihi vitam & omnia vitæ ornamēta per summū dedecus, & ignominiā eripiatis? quādiu cogitationes vestras abijcietis ī res inanes atq; fallaces?

Animaduertite oro, quò semper euaserint vestra illa præclara cōsilia, & conatus: quò magis enim me opprimere, & meum nomen obscurare contendistis, eò magis authore Deo factum est, vt apud omnes clarius & admiratione dignus haberer. Quòd si meum caput insidijs appetere pergitis, sic habetote: qui anteà salutē & dignitatem meam semper tutatus est, eundem præsto semper futurum ad eam conseruandam, & pœnas vestræ improbitatis, & perfidiæ exigendas.

Aliquando tandem metu diuini numinis à maleficio vos prohibete, ne vè animo præcipiti, et perturbato quicquàm gerite: sed silentio noctis, cùm mens soluta & libera, & cæteris omnibus

curis

curis vacua est, diligẽter exquirite, & cum animis vestris considerate, quid faciendum fugiendumq; sit, quid verum & ratio præcipiat, in primis omni studio continete linguam, quã si quis didicit moderari, maximũ certè præsidium sibi ad reliquas omnes virtutes comparauit.

Quòd si vobis Deum velitis placatum, & propitium, virtutem colite ac pietatem, atq; animum exercete in optimis rebus, & hoc præstãti genere sacrificij gratiã vobis sanctissimi numinis facilius conciliabitis, quam innumerabiliũ cruore victimarũ: castissimus enim Dei cultus, plenissimaq; sanctitatis religio est, vt illum pura, & integra mente veneremur, atq; eius leges & præceptiones summa diligentia colamus.

Hoc agite, neq; in posterum spes, & cogitationes vestras in rebus fragilibus, & caducis, sed in misericordia Dei locatote: oculi enim eius aspiciunt homines pios, & aures ipsius attentæ sunt ad preces eorum.

Ego quidem omnes ad hunc modum adhortor, sed multi de summi Dei prouidentia, & benignitate dubitantes, aiunt: quis suppeditabit nobis bona?

At ego Domine te suppliciter oro, vt vultu illo tuo splendidissimo nos aspicias: sic enim commoditatibus, & bonis omnibus circumfluemus, quinimò iam experti sumus liberalitatem tuã, iam animum meum incredibili gaudio compleuisti,

tisti, propterea quòd civibus meis largè ac prolixè ea bona impertisti, quæ illi tam vehementer optabant, nã & vino, & frumento, & cæteris omnibus rebus ad vitæ cultum necessarijs abundant, & mihi maximis laboribus & periculis defuncto, placidissima pax & securitas tua benignitate concessa est.

ARGVM. PSAL. V.

Vir sanctus à Saule importunissmo tyranno vehementer exagitatus, Deum suppliciter implorat, vt vim & furorem improborum coerceat, & res piorum afflictas, & propè iacentes recreet atque sustentet.

Victori ad Neginoth, Psalmus Dauid. V.

VErba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam.

Manè instituam ad te (orationem) & suspiciam.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit iuxta te malignus: non permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Vir

Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus, ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos, dirige in cōspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum fraudulentum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè blandiuntur, iudica illos Deus.

Decidant à cogitationibus suis, propter multitudinem præuaricationū suarum ex pelle eos, quoniam rebellauerūt contra te.

Et lætentur omnes qui sperāt in te, in æternum exultabunt: & proteges eos.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligūt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto.

Domine tanquàm scuto bona voluntate tua circundabis eum.

EXPLANATIO.

Mane exaudies. *Hoc ait, quoniam matutinum tempus, & vespertinum lex attribuebat precationibus & sacris faciendis: matutinum verò in primis accommodatum est, quòd ea hora magis vacui sumus à cæteris curis, hinc illud, Deus, Deus meus ad te de luce vigilo, & alio loco,*

loco, *Mane oratio mea præueniet te.*

Mane instituam ad te (orationem) & suspiciam. *Quoniam lingua Iudæorum perangusta est, ac præcisionibus orationis abundat, quæ quidem res mirabile dictu est quã magnas afferat difficultates ad intelligendum, propterea visum est nobis esse faciendũ, vt nonnihil de nostro nonnullis in locis adderemus, quò fieret oratio plena atq; perfecta, quæ verò verba ad hũc modũ adiecta fuerũt, ea ferè omnia lineis sunt inclusa, vt in hoc versiculo factum vides.*

Et suspiciam. *Verbum Hebræum eam vim habet, vt in ijs ponatur, qui oculis obseruãt aliquid expectantes, itaque verba hæc habent hãc sententiam, mane assistam supplex misericordiæ tuæ, & sublatis ad cælum oculis expectabo, dum mihi perdito, & afflicto opem aliquam feras: cùm enim detesteris maleficia & impietatem, certissimam spem habeo, te diutius non passurũ, vt boni exterminentur, & scelerati in tua sancta ciuitate floreant.*

Virum sanguinum. *Hæc omnia quãquam cõmuniter ad improbos referri possunt, tamẽ in Saulẽ præcipuè dicũtur, quem quidem hominẽ fuisse barbarũ, iniustũ crudelem, & omni scelere coopertũ, legimus in libris Regũ. ita q; vaticinatur fore, vt Deus tandem illius scelera, et crudelitatẽ puniat, & omnibus declaret, quantopere detestetur hoc hominũ genus perditissimum.*

Ego autem. *Prædicit, se tãdem sublatis inimicis salvum, et incolumem in sanctam ciuitatem reuersurum.*

Domine deduc. *Quoniam hostes immine-bant semper capiti ipsius, orat Deum vt pro singulari bonitate, quæ ei solet erga homines pios sibi dux, & comes sit in tãtis periculis, neq; permittat, animum suum vlla vi, vel metu inimicorum de recto vitæ curriculo declinare: viam enim Dei appellat eam viuendi rationem, quã Deus requirit à nobis quamq; ille suis sanctissimis legibus præscripsit.*

Sepulchrum patens. *Significat ijs verbis, ex istorum ore prodire verba mortifera, vt de salute illius actũ sit, qui eorum malitiosas blanditias nõ caueat. Dauidem imitatus Hieremias, pharetras hostium nominat sepulchrum patẽs, quòd illorum sagittæ certam perniciem ictibus afferant.*

Tanquàm scuto. *Ait, Deum beneuolentia sua tanquàm scuto firmissimo protegere viros bonos, ac pios, illosque incolumes conseruare ab omnibus telis, & insidijs inimicorum.*

PARAPHRASIS.

VOces meas exaudi misericordiæ parẽs, percipe quaso preces meas, attende verba, & clamorem meũ Rex meus, & Deus meus, tibi enim supplices manus tẽdo, te solum intueor, in te vno omnẽ meam spem, & præsidium repono: meq;

neq; vllum certè intermittam diem, quin te primo diluculo multis cum lachrymis orem, quoad incredibilem misericordiam tuam exorarim.

Aurorâ vix exoriente, cùm mens ab omnibus humanis curis vacua est, animo attẽto atque humili sanctissimum numen tuum venerabor: & sublatis ad cælũ oculis auidissimè expectabo, dum mihi perdito, & afflicto opem aliquam feras.

Cùm enim tibi nihil nisi rectum, castum, & sanctum placeat, certissimam spẽ habeo, te diutius non passurum vt boni exterminentur, & malefici natura atq; omnibus turpitudinis notis insignes in tua sancta ciuitate floreãt. Profectò nunquam in conspectũ tuũ veniẽt, qui iustitiam & leges violãt, atque alteri nocere non intermittunt.

Odisti quicunq; se vitijs, & sceleribus contaminãt: mendaces, vanos fraudulentos funditus euertes: homines barbari, immanes, et humano sanguine cruenti secluſi à cõcilio cælestium sempiternis cruciatibus afficientur.

At ego tandem sublatis hominibus cõscelera tis, et nefarijs pro tua misericordia salu, et incolumis in sanctã ciuitatẽ redibo, & augustissimum templum tuum piè sanctèq; venerabor.

Eheu Domine semper hostes imminent capiti meo, vestigia mea semper obseruant. Itaque ne imprudens in eorũ insidias præcipiter, tu qua-

so mihi dux, & comes esto pro iustitia tua, atq; effice mihi planam, & facilem viam, qua peruenitur ad illam beatissimam, & sempiternam domum tuam, neq; permitte animũ meũ vlla vi, vel metu inimicorum de recto vitæ curriculo declinare.

Nihil nisi maledicta, fraudes, mẽdacia in ore vigent istorũ hominum perditissimorum. Animũ gerunt insidijs, et effrenatis cupiditatibus redundantem: & quemadmodũ ex apertis sepulchris teterrimus odor afflatur, similiter ex ore istorum prodeunt verba fœditatis, & sceleriũ plena: & quanquam auersissimo à me animo semper fuerunt, speciem tamen præse ferũt amicorum: & mirificè mihi blandiuntur.

Dele funditus illos iustissime Rex: et quæ de me tollendo inierunt consilia frange, cumq; in dies magis magisq; sceleribus scelera cumulẽt, & sanctissimas leges tuas violẽt, euertantque: expelle illos de ciuitate tua, atq; in sempiterna tenebras præcipita, quando ad eã arrogantiam, & furorẽ iam progressi sunt, vt à tuo imperio deficere, & tecum bellare non metuant.

Has impij pœnas pendant: boni verò, qui se ac sua omnia misericordiæ tuæ crediderunt, lætitia exultent. Profecto, quod precor, eueniet: nam boni lætabuntur in perpetuum, & præsidio tuo septi vitam placidè, trãquillè, lenitérque traducent: & qui sanctissimi nominis tui

volentes sunt, maximis afficientur bonis, atque ob eam rem nunquam desinent gloriari de tua erga se beneficentia.

Tu Domine bonum ac pium quenque benevolentia tua tanquam scuto firmissimo proteges, & inconuenem conseruabis ab omnibus telis, & insidijs inimicorum.

ARGV. PSAL. VI.

Existimant Dauidem fecisse hos versus, cum in morbum, & grauissimas calamitates incidisset ob flu prum Bersabeæ illatum, & maritum eius crudeliter interemptum.

Victori in Negiloth super Seminith.

Psalmus Dauid. VI.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine vsquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per sin-

gulas noctes lectum meũ, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Caligauit præ amaritudine oculꝰ meus, inueteraui propter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationẽ meã, Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur, & erubeſcant valde velociter.

EXPLANATIO.

Domine ne in furore. *Orat Deum ne nimis iracundè ſecum agat, néve ad ſcelus, quod commiſerat, vindicandũ acerbitatẽ adhibeat: ſed paternam ſeueritatem.*

Sed tu Domine vſquequo? *Quandiu (inquit) exercebis irã in ſupplicẽ tuum? quouſque differes curationem animi, & corporis mei?*

Cõuertere Domine. *Id eſt auertiſti faciem tuã à me propter ſcelera, & flagitia mea: nunc quæſo tandem placatus, oculos tuos ad me converte, quando animus meus humilis, et mœrens totus ad te converſus eſt.*

Quoniam non eſt in morte. *Propterea (inquit) ſtudeo, quamprimũ à te ſanari animam meã: quoniam certo ſcio, nullam eſſe reliquam ſpem curationis, ſi vita excedens mecũ feram*

ferã vulnera delictorum. Scio inquam Domine, hominẽ sic morientem vnà cum vita perdere & tui memoriam, & confitendi peccati sui facultatem: quòd si animus illius vel tui recordetur, vel peccata sua confiteatur, inanis tunc eius cõfessio, inanis est eius recordatio, sic ferè veteres explanant. Alij verò totum hunc locum interpretantur in eam sententiam, vt dicant, virum sanctũ in maximis periculis versantẽ, de salute sua orare, et ostendere, se in vita retinẽdum esse, et ad eam rem demonstrandam ea ratione vti, qua ipsum vsum videmus etiã in Psalmo 30. cùm ait, Qua vtilitas in sanguine meo si descendero in corruptionem? Nunquid cõfitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuã? Idem in alio Psalmo ait, Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuã, & veritatem tuam in perditione? Itaque videtur etiam hoc loco moriens deprecari, vt in vita manens posset Deum laudibus celebrare, & veram religionem inter mortales tõgè, latéq; propagare: id aũt qui facere poterat si è vita excessisset? Itaq; illud scire oportet, cõfessionẽ in literis sanctis sæpenumerò pro laudatione appellari, & vocabulũ Hebraũ, quod interpres Latinus Græcum secutus vertit infernũ propriè sepulchrum significare, tametsi eodẽ nomine statũ quoq; mortuorum appellãt, tam eorum qui iustè, sanctéq; vixerunt, quàm eorum qui vitijs,

& sceleribus contaminati à vita discesserunt.

Lauabo per singulas noctes. *Lectũ suum adulterij turpissimi fœditate cõmaculatat, eas maculas se assiduis lachrymis deleturũ ait: significãs his verbis summũ animi dolore, et cruciatũ, quem sustinebat ob legem Dei violatam, & turpitudinem sceleris commissi.*

Caligauit præ amaritudine. *Dicit, se vitam viuere amarissimam, vt iam præ continuo luctu, & lachrymis penè oculos amiserit, dum culpam & peccata sua: & acerbas iniurias inimicorum deflere nunquam desinit.*

Discedite à me. *Solet vir sanctus, cùm defleuit calamitates suas, & misericordiam Dei implorauit, repentè animum exhilarare, et voces lætitiæ plenas emittere, gloriãs, preces suas à Domino auditas esse, qua quidem re nos monet, si ad Deum pura mẽte accedamus, non esse dubitandum, quin eius clementiã facilè exoremus, & propitium numen sentiamus.*

PARAPHRASIS.

DOmine ne nimis iracũdè mecũ age, né vt ad meum scelus vindicandum acerbitatem adhibe: sed paternam seueritatem.

Miserere mei misericordiæ parens, ager enim & grauissimè affectus est animus meus propter sceleris admissi magnitudinem, eius tu vulnera salutaribus fomentis, & remedijs tua clementia sana.

Sana

Sana me Domine, quoniã grauitas morbi & calamitatũ, ita vires & animi mei & corporis debilitauit, vt iam nulla mihi spes salutis ostendatur meæ, non solùm vires, sed vita iam deficiat. Et tu Domine quandiu exercebis iram in supplicẽ misericordia tua? quousque differes curationem animi, & corporis mei?

Auertisti pater optime, faciem tuam à me propter scelera & flagitia mea: nũc quæso tandem placatus oculos tuos ad me cõuerte, quãdo animus meus humilis, & mœrẽs totus ad te cõuersus est. Libera quæso illũ Domine iam tantis malis, meq; saluum & incolumẽ serua pro infinita benignitate tua.

Quid iuuat, immatura morte spiritũ mihi, & hoc iucundũ Cæli lumen eripere? An ego sensu, et vita spoliatus laudes tuas memorare, nũ mortuus inter mortales sanctissimum nomen tuum celebrare potero?

Intelligo Domine, me teterrimũ facinus fecisse, perspicio me scelus omni cruciatu vindicãdũ commisisse, cum misero Vriæ charissimam vxorem, & vitam pariter eriperem: sed illud item scio, eam semper fuisse lenitatẽ & clemẽtiam tuam, vt pœnitenti veniam facilè dares, neque te peccantiũ mors & pernicies sed adhibita correctiõe salus & vita delectaret. Hac igitur cogitatione roboratus, nũquam de misericordia tua Domine desperabo, sed in perpetuo lu

ctu & ſcalore iacens, animo humili, et demiſſo tibi manus ſupplices tendam: & ſi paucas illas noctes inter falſa, & flagitioſa gaudia cõſumpſi, reliquas omnes ego, dũ vixero, noctes inter gemitus, & amara ſuſpiria conſumam. Si lectum meum impura libidine contaminaui, illũ ego largo & perenni lachrymarum flumine lauabo.

Sed iam Domine ſatis ſuperque pœnarum dedi, iam præcontinuo luctu, et lachrymis penè oculos amiſi, dum culpam, & peccata mea, & acerbas iniurias inimicorũ deflere nũquã deſino.

Faceſſite à me omnes qui cũque inſidias mihi & perniciem comparatis. Dominus enim commiſeratus eſt flebiles, & queribundas voces meas: Dominus audiuit preces meas, Dominus deprecatione mea placatus eſt mihi.

Hoc igitur intelligentes inimici mei erubeſcant, & timore perterriti contremiſcant, cùm videant ſe opinione ſua deceptos eſſe, & quem putabant ab omnibus proditum et deſertũ, cernant præſidio Domini ſeptum & munitum eſſe. Proinde pudore affecti, in fugam ſubito ſe cõijciant, qui modò tam atrociter me ac fortunas meas oppugnabant.

ALIA PARAPHRASIS CARMINE.

Ne ẽſo domine me tuus furor opprimat,

Neve

Néve ira sæuiat tua:
Sed qui pater mihi es paterna filium
Seueritate punias.
Miserere Domine iã mei, iam tristibus
Aurem querelis admoue:
Nam dira morbi vis misellum conficit,
Me vita destituit mea.
Et tu quousque differes opem tuam
Meæ salutis negligens?
Quousque vultum iratus auertes tuum?
Tuo benigno lumine
Meos dolores intuere iam pater,
Malisq; tantis eripe.
Quid me, oro, morte rapere tã cita iuuat?
Ecquid sepulchro conditus
Tui memor ero? ecquid tuas amabili
Cantabo laudes carmine?
Si cæde me, & lectum meum libidine
Contaminaui sordida,
At lachrymarũ me, meumq; lectulum
Lauabo largo flumine.
Me nulla nox, me nulla lux in posterũ
Non lachrymantem viderit.

Quam

Quanquam satis, supérque supplicij datum est.
Mœrore iam contabui.
Fletúque fessa perdidi iam lumina,
Peccata perditus mea,
Iniuriásque meorum acerbas hostium
Dum flere nunquam desino.
Recedite procul impij, recedite
Malas in horas: nam Deus
Suspirijs, lachrymisq; motus est meis.
Dominus pias preces meas
Benignus audiuit, salutem supplici
Donauit optimus Pater.
Ergo erubescant, & dolore pessimi
Rumpantur hostes, & meæ
Felicitati quisquis inuidet, procul
Fugiat metu perterritus.

ARG. PSAL. VII.

Etsi Basilius, Chrysostomus, Theodoretus, & apud Latinos Augustinus existimarunt, titulum huius carminis ad Chusim Atachitem referendum esse, & contra Absalonem, & Achitophelis perfidiam versus ipsos fuisse confectos, tamen nos hac in parte Hieronymum sequemur, qui in commentariolis huius libri, eos autem Hieronymi esse, multis argumentis possumus ostendere, is inquam Hieronymus sa-

tis

tis planè demonstrat,& titulum,& versus ad Saulem pertinere, in qua quidem sententia omnes fere sunt Hebræi. Quòd verò Dauid in hominem amplissimo regis honore,& nomine affectum,& eundem socerum suum sub alieno nomine inuehatur,rem suæ modestiæ consentaneam facit. idemque ab aliis scriptoribus factitatum esse,nemo est qui nesciat. Ita tamen verum nomen suppressit: vt satis indicaret, in quem scriberet,cùm eum Iemini filium vocat,in cuius familia natus est Saul, qui se ipse filium Iemini vocat in libris Regum. Illud autem scire oportet, Aethiopem à Iudæis Chusim appellari. Aethiopem verò Saulem vocat, propter eius profligatos ac perditos mores, in eiusmodi enim hominibus nomen nigri apud veteres poni, vel illud Horatianum indicat: Hic niger est, hunc tu Romane caueto:& illud, Albus an ater homo. Loquitur autem Saul in libr. Reg. hunc ad modum: Nemo est qui rem mihi indicet, omnes de me tollédo coniurastis, quinetiam filius meus cum Dauide societatem coiuit,quem sic excitauit, vt is mihi insidias facere nunquam intermittat. Itaque cùm tyrannus hæc iactaret in vulgus, & generum suum proditionis insimulatum in inuidiam falso crimine adduceret, vir sanctus sese purgauit his criminibus, in quibus commemorat innocentiam suam,& diuinam iustitiam aduersus crudelitatem Saulis implorat, & illius interitum prædicit. Docet autem nos exemplo suo, si qua iniuria afficiamur, si quo in periculo simus, ad Deum confugiendum esse,& ab eo solo opem expectandam. Terret etiam improbos,& nocentes, Dei iustitiam,& seueritatem prædicans.

Psal

Psalmus Dauid, quem cecinit Domino pro verbis Chusi filij Iemini. VII.

DOmine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

Nequando rapiat vt leo animam meam, laceret, & non sit, qui eripiat.

Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi malum habenti mecum pacem, si deserui aduersantẽ mihi sine causa.

Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluere habitare faciat.

Exurge Domine in ira tua, & exaltare cõtra commotiones inimicorum meorum.

Et exurge ad me in iudicio, quod mandasti, & congregatio populorum circundabit te.

Et propter hanc in altum regredere, Dominus iudicabit populos.

Iudica me Domine secundùm iustitiam meam, & secundùm innocentiam meam, quæ est in me.

Consumet malitia peccatores, & diriges iustum scrutans corda, & renes Deus iuste.

Adiutorium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde.

Deu

Deus iudex iustus, & Deus irascitur per singulos dies.

Nisi conuersus fuerit, gladium suũ acuet, arcum suum tetendit, & parauit illum.

Et ipsi parauit vasa mortis, sagittas suas in persequentes, effecit.

Ecce parturiuit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit mendacium.

Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.

Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Confitebor Domino secundùm iustitiã eius, & psallam nomini Domini altissimi.

EXPLANATIO.

Pro verbis Chus filij Iemini. *Saulẽ Chusim nominat, id est Aethiopẽ propter eius profligatos, ac perditos mores: in eiusmodi enim hominibus nomen nigri apud veteres poni solitũ, indicant etiam Poëtæ Latini: ita tamen verum nomen suppressit, vt satis ostenderet, in quẽ scribat, cùm eũ vocat filium Iemini in cuius familia natus est Saul, qui se ipse filiũ Iemini vocat in libris Regum.*

Domine Deus meus si feci istud. *Ego (inquit) Domine opem tuã expecto conscius innocentiæ meæ. Quòd si id commisi, quod Saul mihi obijcit si eius inquam vitæ, ac regno insidiatus sum, persequatur inimicus animam meã &c.*

Quod

Quod verò sequitur si malum reddidi habenti mecum, &c. id habet hanc sententiam: Ego quidem Saulē, dum ille me amanter, & honorificè tractauit, & nicè dilexi, summaq; semper obseruantia coluj: cùm verò is ne verbo quidē violatus à me animum alienasset, meq; omni conatu capite & fortunis oppugnaret, tantum abfuit, vt iniurias grauissimas vlciscerer, vt cū mihi nō semel eius oprimēdi facultas accidisset, semper illi pepercerim, semper eius salutē meæ præposuerim: quòd si mētior, persequatur inimicus animam meam, &c.

Et exurge ad me in iudicio, quod mandasti. *Tu Domine præcepisti rectoribus ciuitatum vt eos, qui violarētur iniuria prohiberent, neque aliquē sinerent iniustè opprimi: tu ergo præsta, quod aliis faciendum præcepisti, & vindica me ab impetu Tyranni.*

Et congregatio populorum. *Id quidem à summis viris obseruatum, & memoriæ proditū est, qualescunque principes ciuitatum fuerūt, semper tales ciuitates fuisse: & ob eā causam vitiosos principes plus exemplo, quàm peccato nocere, quòd permulti imitatores eorū existāt. Itaque cùm Saul homo perditissimus, & contēptor Dei regnum obtineret, necesse erat, negligi in ciuitate curam rerū diuinarum. Hoc intelligens Dauid, non tam vitæ suæ, quàm religioni, & saluti ciuium consulēs, supplicium tyranni*

(celeriō

sceleribus exposcit: confirmãs fore, vt eo sublato populi ad cultum diuinum reuertãtur: id enim significat, cùm ait, & congregatio populorũ circũdabit te, et re vera nihil ferè est, quod magis animos vulgi ad religionem excitet, quàm vbi Deus iustitiæ suæ documenta constituit, et insigni aliquo facinore declarat, se bonis consulere, improbos vleisci.

Et propter hanc. *Id est, pro salute huius ciuitatis, & conuẽtus declara vim, & potestatẽ tuã in homines impios, & omni scelere cõtaminatos, vt qui te quasi iacẽtem, atque humana omnia despicientẽ negligũt, excelsum et omniũ rerum moderatorem esse intelligãt, et sanctissimum numen tuum debito cultu venerentur.*

Iudica me secundùm iustitiam meã. *Non virtutes suas prædicat his verbis, aut iustitiã iactat apud Deum, quem appellãs alio loco ait: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs: sed significat, se in eo, in quo accusatur, omni culpa vacare, quippe qui neque re, neque verbo Saülem violarit.*

Nisi conuersus. *Nisi (inquit) Saulem suorũ scelerum pœnituerit: prædico illum gladio, et sagittis Dei interituru, nec falsus vates fuit Dauid, nam legimus in libris Regum, Saulẽ et sagittis hostium fuisse vulneratum, & suo se gladio traiecisse, hæc autẽ pœna illi à domino irro-*

gata fuit: itaque rectè dicit, eũ gladio, et ſagittis domini interfectum iri.

Et ipſi parauit vaſa mortis. *Id eſt, in ipſum Saulem arma mortifera præparauit, ſic apud Ezechielẽ, Vnuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua.*

Ecce parturiuit. *Exaggerat improbitatem Saulis pulcherrima allegoria. Eſt aũt ὕστερον πρότερον, cõceptus enim parturiẽdi tẽpus antecedit, cõcepit autẽ Saul dolorẽ ex inuidia, cũ videret Dauidẽ ſibi rerũ geſtarũ gloria præferri: parturiuit autẽ iniuſtitiã, cũ diſſimulato odio perniciẽ illi machinabatur: peperit autẽ mendaciũ, cùm odiũ ſuũ patefecit, & ficto inſidiarũ crimine innocentẽ bello perſecutus eſt: tũc enim eius improbitas, quæ prius animo celabatur, tãquã fœtus ex vtero in apertũ prodijt, velait, Saulẽ concepiſſe dolorẽ, propterea quòd machinabatur ipſi calamitatẽ, & mortẽ, cui ſentẽtiæ reſpõdet id, quod paulò infra ſubiungitur, cõuertetur dolor eius in caput eius, id eſt, dolor, & pernicies, quã mihi moliebatur, in eius caput redũdabit.*

Lacum aperuit. *Alia eſt allegoria, quæ ſignificat fore, vt Saul in ea mala incidat, quæ parauerat ipſi Dauidi. Quòd autẽ res futuras pronunciat perinde quaſi earũ rerum tempora iã præterierint, id vſu, & conſuetudine linguæ Hebraeæ facit, quæ res futuras exprimere ſolet etiã verbis tempus præteritum ſignificantibus.*

PAR

PARAPHRASIS.

DOmine Deus meus in te ſpem locaui, omnium rerum mearum: at tu, oro, ab omni periculo inimicorum me conſerua.

Hoſtis immanis & ferus tanquam leo, furore incitatus rapitur ad cædem meam: ex huius ore, ac faucibus vitam meam tu ſeruare potes, præterea nemo.

Ego pater optime, miſericordiam tuam fidenter imploro fretus innocentia mea: quippe qui mihi conſcius ſim, me neque id commiſiſſe, quod Saul criminatur, neq; eius vitæ, aut imperio vllas vnquam inſidias feciſſe.

Ego regem, quoad ille me amanter, & honorificè tractauit, vnicè dilexi, ſūmaq; ſemper obſeruantia colui, cùm verò is ne verbo quidē violat⁹, à me animū alienaſſet, meq; omni conatu, capite ac fortunis oppugnaret, tātū abfuit, vt iniurias grauiſſimas vlciſcerer, vt cū mihi nō ſemel ei⁹ opprimēdi facultas accidiſſet, ſemper illi pepercerim, ſemper ei⁹ ſalutē meæ præpoſuerim.

Si mentior, inſequatur ille fugientem & capiat, neque ſolùm mihi vitā eripiat, ſed gloriā quoque & omnem memoriam nominis mei funditus extinguat.

Quòd ſi Domine innocens ſum, ſi mihi manus violenter afferūt, quid hoc ſi entio pateris? quid tantū in homines omnium vitiorum ſeruos, & miniſtros lenitate vteris? Vtere quæſo iam pa-

tentia tua, et declara vim seueritatis, et iusti tiæ cõtra vim. & magnitudinem scelerum tan torum: iam istarum immanium beluarum im petum, & rabiem comprime.

Tu certè mandasti ciuitatum rectoribus, vt eos qui violarẽtur, iniuria prohiberent, neq; ali quem sinerent iniustè opprimi: tu ergo præsta, quod alijs faciendum præcepisti, & debitas pœ nas repete ab impio tyranno. Hoc ego certè non tam vitæ meæ, quàm tuæ, sanctissimæ religioni & saluti ciuium consulens peto. Video regẽ bar barum, iniustum, & contemptorẽ numinis tui quàmplurimos habere imitatores sui, et plùs tum exẽplo, quàm peccato ciuitati nocere. Video non sine acerbissimo animi sensu, & dolore, sa cra, & cerimonias, & leges vulgò proteri, & conculcari. Quod si regis impietatẽ, et furorem insigni aliquo supplicio coerceas, & illustria iu stitiæ tuæ documenta cõstituas, vt intelligãt ho mines, te bonis consulere, improbos vlciſci, profe ctò religio, & sanctitas in animis mortaliũ recipient antiquũ dignitatis locum, et populus maximo consensu excitabitur ad colendũ & venerandum summa pietate nomen tuum.

Itaque propter salutem ciuitatis huius decla ra vim, & potestatem tuam in homines impios & omnibus sceleribus coopertos, vt qui te quasi iacentem, & humana omnia despicientẽ pro nihilo ducũt, excelsum omnium rerum mode-

rator

ratorem intelligant, atque in posterum summa reuerētia tuo numini preces, cultº, honores adhibeant. Sed quāquam pro tua singulari lenitate diuturnā sæpe nocentibus concedis impunitatem: nemo tamē in eam spem adducatur, & existimet, te scelera et flagitia multa impunitaq; dimissurum. Scilicet tempus erit, cùm de dictis & factis omnium mortalium iudicia cōstituētur, in quibus cuique pro eo ac quisque merebitur, aut pœnas erogabis, aut præmia persolues. Sed accelera quæso domine, & si me iniuria in hæc pericula vocatum vides, innocentis miserere, & inimicorum vim atque impetū frāge.

Eueniet certè, quod precor, iam iamque improbos sua scelera de medio tollent, et integritatem meam maximis bonis cumulabit dominus qui pro iustitia sua piorum, impiorūque rationem semper habet, neque ab illo vnquam falli potest, quippe qui introspiciat in intimos sensus & affectiones hominum.

Salus & vita mea in fide ac tutela Dei est, qui seruat omnes virtutis & pietatis amātes.

Deus æquissimus est index, Deus & bonis hominibus fauet, & nocentes punire non intermittit.

Itaque nisi quàm primum Saulem improbitatis suæ pœnituerit, prædico illū breui per summū dedecus, & ignominiam interiturum. Iā gladium suum exacuit Deus: iā tetendit arcū at-

que in illum, & cæteros hostes meos sagittas, et mortifera tela præparauit.

En hostis perniciem mihi, & pestem iamdiu machinatur. Quod scelus ille in me conceptum, atq; animo inclusum parturiebat, id scelus eru pit tandem.

Nihil is fallaciæ, nihil fraudis & insidiarũ prætermittit, quò me de medio tollat: sed quàm volet: amenti furore debacchetur, mox enim scelerum pœnas dabit: & quæ vis ab eo mihi nefariè intentata est, ea vis in ipsum familiamque eius recidet: quæq; improbitas illũ ad meã cadẽ exacuit, ea illi & dedecori, & exitio tandẽ erit.

At ego periculis omnibus defunctus, immortales gratias agam Deo pro iustitia ipsius, & sanctissimum nomen eius perpetuis hymnis, & carminibus celebrabo.

ARGV. PSAL. VIII.

Hymnus est, quo piorum natio inducitur de victoria Christi, & vero ac puro Dei cultu omnibus terrarum finibus propagato gratulans, et maxima beneficia in vniuersum genus humanum à Deo collata commemorans. Cùm verò multæ sint explanationes huius hymni, nos potissimum secuti sumus Theodoretum, & Gregorium Nazianzenum Theologos magnos in primis, & illustres.

Victori ad Githith, Psalmus Dauid VIII.

DOmine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuũ in vniuersa terra.

Quon

Quoniam eleuata est magnificētia tua super cœlos.

Ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum, & vltorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorū, lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius homins, quòd viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora cāpi:

Volucres cœli, & piſces maris, & quicquid perambulat ſemitas maris.

Domine dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.

EXPLANRTIO.

Ex ore infantium. *Hoc (ait) in primis vim, & ſalutarem potentiam tuā declarauit, quòd per Apoſtolos tuos, homines rudes, & indoctos, & ſimplicibus pueris ſimiles, nomē tuū per cunctas nationes fama celebraſti, & aſperrimam diaboli tyrannidem funditus euertiſti. Vocat autem diabolum inimicum, & vltorem: quoniam ille nos odio ſempiterno perſequitur, & ad peccata ſemper inſtigat: peccantes verò vlci*

scitur, atque ad supplicium rapit. Theodoretus sic explanat hunc versiculum.

Quoniam videbo. *Lætatur Ecclesia piorum, quòd devicto, ac deleto hoste sempiterno generis humani sibi iã pateat adstus ad cælũ, ubi multa, & varia spectacula sit habitura, séque scientiam rerum pulcherrimarum perceptur intelligat. Ita interpretatur hunc locum Gregorius Nazianzenus in libris de Theologia. Quidã verò sic explanant, ut existiment, cùm David suspiceret lunam, & stellas, monumẽta diuinitatis sempiterna, at q; ex altera parte cõsideraret incredibilem amorem quẽ habet erga humanum genus tantorum operũ effector, & dominus: exclamare solitum, Domine quid est homo, quòd memor es eius: aut filius hominis, quòd visitas eum?*

PARAPHRASIS.

SVmme omnium rerum domine, atque Rex noster, quã ampla, quàmque celebris est tui nominis gloria, non solùm in cælo, sed omnibus etiam finibus terrarum.

Nimirum olim dicebatur, notus in Iudæa Deus, in Israële magnũ nomen eius: sed postea quàm filius tuus humanũ corpus assumpsit, cognitio nominis tui sic omnes gẽtiũ oras peragrauit, ut dijs falsis, & cõmentitijs repudiatis homines etiam barbari, & immanes te effectorẽ, & moderatorem cæli, & terrarũ intelligerẽt:

ac

ac nominarent.

Id verò in primis vim, & salutarem potẽtiã tuam declarauit, quòd per Apostolos tuos, homines rudes & indoctos, & simplicibus pueris similes, sanctissimũ nomẽ tuum per cunctas nationes fama celebrasti, & castissimam plenissimámque pietatis religionem lõgè lateq; propagasti, atq; asperrimam diaboli tyrãnidem fundit' euertisti, qui nos odio sempiterno persequitur, et ad peccata semper instigat, peccãtes verò vlciscitur, atque ad pœnam & cruciatũ rapit.

Proinde cùm animi piorum ex corporũ vinculis euolauerũt, nõ iam illi tenebras, & caecas inferorum latebras petũt, sed lætitia exultãtes peruolant in sedem illam, & splendidissimam domum tuam, vbi pulcherrimam tui numinis, & caterarum omnium rerum scientiam cõsequuntur, & globos æthereos, monimenta manuum tuarum sempiterna, & candorem Solis & Lunæ, stellásque vagas & inerrantes incredibili cum voluptate mirantur. Quandiu enim animi nostri in corporibus versantur, à perfecta cognitione non solùm numinis tui, sed etiã rerum naturalium longissimè absunt, earúmque rerum tantùm vmbras quasdam, & obscuras imagines intuẽtur, quòd eorum acies caligine circunfusa hæc in terris dispicere non possit, quamuis sese acriùs intendat, purè autẽ ac dilucidè perspicit, cùm è terrenis concretisque

corporibus animi euadunt in eas oras, rerumq; superarũ contemplatione coram perfruuntur, nulla iam re impediente, quo minus perspiciat quale quidque sit quod certa nulla ratione cõsequi potuisset humana natura, nisi Christ' imperium diaboli euertisset, & de cælo descendẽs, ascensum in ea loca nobis aperuisset, vt iure gloriemur, quòd deuicto ac deleto hoste illo sempiterno generis humani, nobis pateat aditus ad cõciliũ mentiũ beatarum, vbi multa & varia spectacula simus habituri, nosq; scientiam rerum pulcherrimarũ percepturos intelligamus.

Itaque, cùm incredibilem tuam erga nos beneficentiam domine considero, & mecum ipse diligentius etiam atque etiam cogito, omnium rerum dominum & effectorem Deum nostra libertatis causa formam & conditionem serui suscepisse, & vt nobis immortalitatem suã impertiret, mortalitatem nostram induisse, & post maximos labores, & erumnas acerbissima morte vitam profudisse, vt nos ano beatissimo ac sempiterno frueremur. hæc ego cùm animo sæpe multumq; reputans, tantorum meritorum excellentia stupefactus exclamo, Domine quis est homo, quòd eius saluti & commodis tanta benignitate cõsulis ac prouides? Quis inquam homo est, quòd eum pestifero morbo laborantem inuisis, & eius vulnera tuis vulneribus sanas?

Tu

Tu Domine mentibus illis cœlestibus, & ab omni concretione mortali segregatis hominẽ penè gloria, & honore exæquauisti. Tu vim memoriæ illi, & mẽtis, & cogitationis impertisti, vt & præterita teneret, & futura prouideret, & cõplecti posset præsentia, atq; aliquãdo ad supremam cœlestium animorũ dignitatẽ peueniret, modò sese à contagione corporis integrum castumq; seruaret, seque totum dederet veneration i numinis tui: Tu denique hominem huic medio mundi globo tanquam mortalẽ aliquem Deum propositum esse voluisti: neque solùm ea quæ gignuntur in terris, sed etiam cœlum ipsum, & admirabiles illos syderũ fulgores ad vsus & commoditates illius creauisti, eiusdemq; imperio & potestati permisisti tot genera, tamq; disparia bestiarũ cicurum ferarũmque, & omnes aërias animãtes, & quæ fluminibus, & mari belua occultantur. Sed humana natura, dum cupiditati suæ potius, quã tuæ voluntati obtẽperat, & maiorem teterrimo hosti, quàm optimo parenti fidem habet, hoc præstantissimum imperiũ & libertatem cum durissima turpissimaq; seruitute cõmutauit: & figuram suam retinebat illa quidem, sed in ea beluarum mores vitámque gerebat. Itaque gratias & habere & agere debemus Christo filio tuo, quantas maximas animi nostri capere possunt, quando per eam pristinam potestatem re-

cepi

cepimus, neque solùm in libertatem vendicati, sed etiã à te amãtissimè adoptati sumus. quòd si filij tui sumus, hæredes quoq; sumus, hæredes quidem tui, cohæredes autẽ Christi. Quis verò iam dubitet, quin omnia subiecta sint hominis dominationi, & imperio? cũ tu Christe hominẽ à morte excitatum regni sempiterni sociũ, & cõsortem effeceris, atq; omnia quæcunq; cæli & terræ complexu coërcentur, sub eius potestatem ditionemq; subiunxeris?

Summe omnium rerum Domine, atq; Rex noster, quàm ampla quamq; celebris est tui nominis gloria nõ solùm in cælo, sed omnibus etiã finibus terrarum!

ARGV. PSAL. IX.

Hymnus est, quo celebrat victoriam, quam ex bello formidoloſus reportat.

Victori super morte insipientis,
Psalmus Dauid IX.

CONfitebor tibi domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor, & exultabo in te, psallam nomini tuo, altissime.

Cùm conuersi sint inimici mei retrorsum, & corruerint, & perierint à facie tua.

Quoniam fecisti iudiciũ meum, & causam meam, sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.

Increpasti gentes, & perijt impius, nomen

men eorum deleſti in æternum, & in ſæculum ſæculi.

O inimice, confectæ ſunt vaſtitates in æternum? ciuitates deſtruxiſti?

Periit memoria eorum cum ipſis? dominus autem in æternum permanet.

Parauit ad iudicandum thronum ſuum, & ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſtitia.

Et factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Et ſperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te domine.

Pſallite domino, qui habitat in Sion, annunciate inter gentes opera eius.

Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt: non eſt oblitus clamorem pauperum.

Miſerere mei domine, vide afflictionem meam de inimicis meis.

Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion.

Exultabo in ſalutari tuo, demerſæ ſunt gentes in foueam quam fecerunt.

In laqueo quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.

Cogu

Cognitus est dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

Conuertentur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum.

Quoniam non in æternum obliuio erit pauperis, spes pauperum non peribit in æternum.

Exurge Domine, ne prævaleat homo: iudicentur gentes in conspectu tuo.

Incute Domine timorem illis, sciant gentes, quòd homines sunt.

EXPLANATIO.

Super morte insipientis. *Plerique Hebræorum hunc insipientem existimãt esse Goliathũ illum Palæstinum, quẽ Dauid singulari certamine superauit.*

Cùm conuersi sint. *Ita quoque vertit hũc versiculũ Symmachus, vt refert Theodoretus.*

O inimice. *Multæ sunt explanationes huius loci, nos secuti sumus eos, qui existimant interrogationem esse, qua vir sanctus insultet in hostem Barbarum, & immanẽ, qui minatus fuerat se vastaturum terram Iudæam, & nomen Hebræorum ad internecionem redacturum, & eò quidem libentius hanc explanationẽ amplectimur, quòd in versiculo Hebræo inest interrogationis nota.*

Quoniam requirens sanguinem. *Id est, vltus*

vltus est iniurias, quas nobis finitimæ gentes intulerant: requirere enim sanguinem, in literis sanctis est eadem alicuius vlcisci, vt apud Ezechielem, sanguinem eius de manu tua requirã.

Miserere mei Domine. *Dixerat, Deum non esse oblitum clamorẽ miserorum: quid verò clamauerint illi, nunc ostendit.*

Vt annunciem laudes tuas. *Miserere (inquit) mei, & incolumitati meæ consule, vt in conuentu piorum laudes tuas possim prædicare. Ex quo intelligitur, vitam & optandam, & petendam esse: non quo fruendis voluptatibus, vel diuitijs cumulãdis nos dedamus, aut honorib⁹, & gloriæ inseruiamus, sed vt Deum optimum maximum verbis, & factis laudemus, atq; homines ad religionem, & verã pietatem cohortemur. Sciendum est autẽ, apud veteres Hebræos portas vrbium celeberrimam partem ciuitatis fuisse, & in ijs agitari iudicia, & populi cœtus celebrari consuesse, itaque portæ appellãtur in literis sanctis loca publica, & celebria. In portis igitur vrbis, id est, in cõuentu populi prædicaturus est laudes Dei.*

Demersæ sunt gentes in foueam, quam fecerunt. *Significat, quæ mala hostes Hebræis intentauerant, in ea ipsos mala nec opinãtes incurrisse.*

Sciant gentes, quòd homines sunt. *Id est intelligant impij sua magno malo, se mortales esse*

esse, & caducos, et ea conditione natos, vt eorũ res florẽtes possint fieri deteriores, et rebus asperis commutari.

PARAPHRASIS.

Maxime cœlitum atq; hominum Domine gratiam tibi semper habebo, quantã maximã animus meus capere potest. Carminibus semper celebrabo consilia, euẽtus, & mirabilia facinora prouidentiæ tuæ, neque iam me rebus vllis fragilibus, & caducis oblectabo: sed omnes meas voluptates, & delectationes in te positas, & constitutas habebo, de tuis tantùm laudibus ad citharam semper canam.

Inuaserant in fines nostros innumerabiles barbarorum copiæ, neque minor metus, & trepidatio mentes nostras inuaserat: sed tu pater optime celeriter & omnem terrorem ex animis, et hostem è nostris finibus expulisti, illũq; scelus anhelantem, cadesq; teterrimas spirantẽ, & tectis ciuitatis tuæ ferrum flammamq; minantem, occisione occidisti.

Non passus es domine nos diutiùs in tãtis calamitatibus iacere, sed pro tribunali sedẽs discepta sti causam nostram iustitiæ custos sempiterna, & sententia secũdum nos pronunciata, horribili voce aduersarios increpuisti sustuliſti impium, & nomen crudelissimæ gentis ad internecionem redegisti.

Quò euaserunt barbare, truculenti conatus,

&

& minitationes illæ, quas arroganter magnifice q3 iactabas? Num vrbes & oppida nostra direpta & inflammata? Num liberi & coniuges in seruitutem abducta?

Num memoria nominis Iudæi funditus delata? Tuus certè furor hæc nobis intentabat: quippe qui stultissimè putares, nullũ in cælo numen, nullam vim diuinam existere, casum & fortunã dominari, nullamq3 piorũ impiorumq3 haberi rationẽ, sed maximus ille cælitum, atq3 hominũ rex vitæ fruitur, atq3 æuo perenni & sempiterno: neq3 aliud existit sanctissimũ illud numẽ, nisi vita optima, perpetua & sempiterna, è quo perenni augustissimoq3 fonte vniuersis animãtibus vita manat & spiritus, & naturis inanimatis forma omnis, & omnis existendi ac permanẽdi vis munificè, prolixè, largè suppeditatur, & ille quidem vt omnium rerũ effector & creator est, ita hanc omnẽ mundi pulchritudinem admirabili sapientia regit & gubernat, neq3 vniuerso generi hominum modo, sed etiam singulis separatim summa benignitate cõsulit & prouidet, ac iudicia continenter exercet, gratiam cuique referens, pro eo ac quisq3 promeretur: bonis amplissima præmia, nocentibus supplicia debita constituens.

Itaq3 afflictis & violenter oppressis ille semper erit præstò, semper ille miserorum iniurias, & calamitates sublenabit.

Et tuæ misericordiæ confident Domine, ad quoscũq; nominis tui famæ peruenerit, propter eà quòd te piè sanctèq; colentes non deseruisti.

Canite ciues, canite hymnos Deo: qui sedẽ augustissimam in excellẽti tumulo Sionis cõstitutam incolit: agedum laudes et consilia, & commemorãda facinora maximi numinis omnib⁹ gentium oris fama celebrate, quò illa tandẽ liberẽtur erroribus, & relicta superstitiõe ad castissimum sanctissimumq; Dei nostri cultũ sese conuertant.

Deus noster pietatis amãtes amãtissimè tutatur, Deus noster acerrimè vltus est iniurias quas nobis impiæ natiões intulerãt, neq; preces gemitusq; populi sui contempsit, qui cõtinuis in lachrymis, & mærore versabatur, & supplices manus ad cælum tendens his verbis illum venerabatur: Miserere nostri Domine pro infinita misericordia tua. Aspice quãta crudelitate vexemur, & diripiamur ab impijs.

Affer opẽ Domine, qui sæpe supplices tuos ex mortis ore, et faucibus eripuisti, vt laudes tuas in celeberrimo conuentu, magna omniũ gratulatione prædicemus.

Nos quidem ad hũc modũ orabamus, at ille tã præsens, & propitius nostris calamitatibus affuit, vt nobis salutẽ pro exitio, pro gemitu & lamentatione iucunditatem & lætitiã daret: nẽpe quas insidias cõparauerant hostes, quæq; mala

mala nobis & liberis nostris intentabant, in eas ipsi insidias, & mala nec opinantes incurrerunt, & imperium nostrum quo magis delere conati sunt, hoc magis oppugnatione sua longè late q; dilatarunt.

Quòd si quis antea dubitabat, an Deus rerum humanarum procurationē haberet, is iam potest omnē dubitationem ex animo deponere. quandoquidē iustitia eius in hac nostra calamitate tam clara & illustris fuit, vt omnes penè oculis viderent illum propugnantem pro miseris & calamitosis, & improborum ferocitate exultantium vires op ſſ q; frangentem.

Quicunq; Deū Deiq; cultores inimico animo persequūtur pœnas meritas impietatis pēdant, & terra debiscēte ad cæcas inferorum tenebras viui detrudētur, indigni enim cœli spiritu & luce sunt, quicunque lucis & spiritus largitorem aspernantur.

Euentura precor. quāuis enim Deus videatur ad tempus obliuiſci miserorum, non tamen fieri potest: vt is eorum calamitatem & solitudinem despiciat, aut impios diutius impunè grassari permittat.

Exurge domine, & contunde omnes tui nominis hostes. Ne quæso sese homines efferant tā insolenter, néue potentia ad perniciem miserorum abutantur. Perseuera quæso Domine in eo quod cœpisti, iudicia continenter exerce, in-

nocentes tutare, improbos coërce, vt aliquando intelligant seſe homines esse, id est mortales & caducos, & ea conditione natos vt eorum res florentes possint fieri deteriores, & rebus asperis commutari.

ARGVM. PSAL. X.

Inuehitur in homines impios & maleficos, quorum secundę res & iniustitia aduersus Deum, atque homines sæpe commouent animos piorum, vt ea quærantur, quæ Dauid persequitur his versibus, exagitans magno impetu orationis sceleratorum hominum intemperantiam, & in omni vitiorum genere effrænatam immunitatem.

Psalmus. X.

VT quid Domine recessisti longè? abscondis (faciem) in opportunitatibus in tribulatione.

Dum superbit impius, persequitur pauperem, comprehendantur in consilijs, quæ cogitant.

Quoniam laudat peccator desiderium animæ suæ, & auarus benedicit.

Blasphemanti Dominum. Impius propter superbiam, quem vultu præ se fert, nõ quærit Deum.

Nõ est Deus in vllis cogitationibus eius, molestæ sunt viæ illius in omni tempore.

Procul iudicia tua sunt à facie eius, omnes inimicos suos flatu prosternit.

Dicit in corde suo, nõ mouebor, à generatio

ratione in generationem ero ſine malo.

Maledictione os eius plenum eſt, & dolis,& fraude,in lingua eius afflictio, & iniquitas.

Sedet in inſidiis pagorum:& clàm interficiet innocentem.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt,inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua.

Inſidiatur,vt rapiat pauperem,rapiet pauperem dum attrahit eum.

In rete ſuũ ſubſidit,& humiliat ſe, & cadet in fortitudine eius turba pauperum.

Dixit in corde ſuo,oblitus eſt Deus,abſcondit faciem ſuam,ne videat in æternum.

Exurge Domine,& exalta manũ tuam, ne obliuiſcaris pauperum.

Propter quid irritauit impius Deum?Dixit in corde ſuo,quòd non quæres.

Certè vides:tu enim afflictionem,& furorem intueris,vt tradatur in manus tuas.

Tibi derelictus eſt pauper,orphano tu eris adiutor.

Contere brachium peccatoris,& maligni:quæratur peccatum illius,& non inuenietur.

Dominus regnabit in æternum, & in ſæculum ſæculi, peribitis gentes de terra illius.

Desiderium pauperum audisti Domine, diriges cor eorum, auscultabit auris tua.

Vt iudices pupillo, & humili, ne pergat eos conterere homo de terra.

EXPLANATIO.

Capiantur in cõsiliis. *Id est quos dolos bonis machinantur, ijs dolis capiantur ipsi, et scelerum pœnas luant.*

Quoniam laudat. *Id est, quicquid libido imperat, quicquid suadet insatiabilis intemperantia, rectum id ducit, & amplectendum.*

Et auarus. *Id est, nõ desunt homines ditissimi, qui ob spem prædæ impijs adulẽtur, atq; ad scelera, et flagitia incitatos magis impellãt.*

Omnes inimicos. *Ita vertit etiam Aquila hunc locum, vt refert Theodoretus. Hæc autem hyperbole mirè exprimit nimiam potentiã improborum, qua illi sublati perpetuam sibi felicitatem pollicentur.*

Subsidit, & humiliat se. *Aiunt nonnulli, hãc esse translationem sumptam à bestijs, quæ prædam insidijs sese inclinãt, vt maiore conatu impetum faciant: sic improbi aliquãdo se demittunt, & summissius gerũt, quo facilius ea simulatione incautis perniciem ferant.*

Exalta manum tuam. *Tolle (inquit) vltricem manum, & sublimi flagello cæde impiũ arrogantẽ, vt qui te iactat oblitum esse rerũ humanarum, suo magno malo memorẽ experiatur.*

tur, & nocentibus horribilem, et formidolosum. Deinde grauiter commotus nefanda oratione impij subiungit, Propter quid irritauit &c.

Orphano tu eris adiutor. *Orphanos vocat pios, sic omni hominũ ope destitutos, vt egentes pueri solent parentibus orbati.*

Quæratur peccatum illius. *Trãslatio est sumpta à iudicijs, si quæstionẽ (inquit) habeas de perditis eius moribus, & factis, is certè nusquã comparebit: peribit enim condemnatus, & in æternas tenebras deijcietur. Ita hunc locum interpretantur Athanasius, Chrysostomus, Cyrillus, & Abrahamus Esdra, explanator inter Hebræos clarus imprimis.*

Peribitis gentes. *Impios, & crudeles Hebræos appellat gentes, vt etiã alijs in locis, propterea quòd impiarum nationum barbariem, & immanitatem imitabantur.*

Diriges cor eorum. *Id est, morem illis geres, et facies, vt ijs omnia ex sentẽtia succedãt.*

Vt iudices pupillo, & humili. *Hoc est, vt eorum iniurias vlciscaris, & pœnas ab impijs, qui illos opprimunt, iudicio persequare.*

PARAPHRASIS.

SEmper adest Dominus, semper est præsens. nihil agere, aut loqui possumus, aut cũ animo nostro cogitare, quod ille nõ sentiat: abesse tamẽ videtur, nec videre q̃ gerãtur in terris. cùm improbis vitæ prosperitates secundasque

res, & diuturnam concedit impunitatem: bonos contrà vexari, in seruitutē abstrahi, & in summos sæpe cruciatus venire permittit, quibus incommodis dum afficiuntur, illi dolore victi cogũtur aliquando exclamare. Quare Domine tam longè à nobis tamdiu abes? quare auertis oculos tuos, nos q3 deseris in tantis malis?

Aspice quæso, quanta crudelitate & arrogãtia persequitur impius pium mœrentem, afflictum, & ab omni auxilio & spe iam derelictũ, aliquando tandem improbi pœnas scelerum pendant, & quas insidias bonis machinantur, earum insidiarum laqueis irretiantur ipsi.

Iam impius ad id furoris, & ementiæ perductus est, vt quicquid libido imperat, quicquid suadet insatiabilis intẽperantia, rectum id ducat & amplectẽdum: neque iam vllum delectũ habet honestatis et turpitudinis, neque aliquid bonum, aut laudabile existimat, nisi quod emolumentum afferat, aut sensus voluptate titillet. Neque verò homines perditissimi solũ impunè debacchantur, sed etiam propter opum copiam, & affluentiã homines auaros, & omnia in pecunia ponentes, suorum maleficiorum laudatores inueniunt, quorum adulatione ad flagitia & contemptionem Dei magis incitentur.

Itaque impius elatus arrogantia, quam oculis, & vultu præ se gerit, & in tenuiores furore incitatus te Domine contemnit, & pro nihilo

putat

putat, quamobrem nihil in eo simplex, nihil syncerum aut cãdidum: omnia turpia, tetra, et sceleribus inquinata, nihil denique cogitatiões eius nisi pestem alteri, & pernitiẽ moliuntur, siquidem caligine vitiorum mens eius obducta, iustitiæ tuæ seueritatem non intuetur, cuius aspectu solent homines à maleficio deterreri, tantũ verò potentiæ sibi comparauit, vt aduersarios suos vt flatu abijciat & prosternat.

Itaque tantùm suis opibus præfidit, tantosq; spiritus sumpsit, vt perpetuam sibi felicitatem polliceatur, et cum animo suo ad hunc modum loquatur, nulla profectò vis & potẽtia vllo tempore tanta erit, quæ me de hoc florenti rerum statu deijcere possit: semper potens & beatus ero.

Quid ego de eius mendacijs, aut maledictis commemorẽ, quibus ore petulanti bonũ quẽque figit & lacerat? quicquid loquitur, ad fraudem ad iniuriam & perniciem spectat alterius.

Quid? quòd non solùm in ciuitate debacchatur, sed etiam agros & saltus obsidet, vt viatores excipiat, & sanguine miserorum vias publicas cruentet.

At veluti leo speculatur ex insidijs si qua sese offerat præda, sic impi° nihil aliud dies noctesq; machinatur, quã quomodo circumueniat innocentes, & illorum cæde ac cruore crudelitatem suam satiet.

Insidiatur, & obseruat, vt dilaniet incautos:

incautos dilaniat, vbi illos insidiarum laqueis irretiuit.

Atque vt bestiæ in prædam inuasuræ sese inclinant, vt maiore conatu impetum faciant, sic ille sese aliquando demittit, & summissius gerit, quò facilius ea simulatione improuidis pernicicm ferat.

Nimirum ille impiè iactat, Deũ nulla cura tangi rerum humanarum, nullum piorum impiorumue habere delectum, qua quidem opinione nulla detestabilior, nulla capitalior est pestis.

Hoc scelerum & flagitiorum omnium caput & fons, hinc homines et iura diuina et humana violãtur, hinc omnia fanda nefandaq; malo furore permiscẽtur. Vt enim equi ferocitate exultantes, duritia frenorum cohiberi solent: sic indomitæ animi cupiditates, et libidines effrenatæ tãquã in gyrũ rationis & modestiæ contrahũtur mætu iustitiæ diuinæ, quo metu si careant homines, violento quodam, quasi æstro, impetu libidinum incitantur ad flagitia, & in omne vitium præcipites ruunt.

Exurge omnium rerum moderator & domine, tolle vltricem manũ, & sublimi flagello cade impium arrogantẽ: vt qui dicit oblitum esse rerum humanarum suo maximo malo memorem sentiat, & salutarem hominibus pijs, & nocentibus horribilem & formidolosum.

Cur enim audet impius tuam lenitatẽ mã-

ledict

ledictis incessere & iactare, te non inquisiturũ quid ipse agat, quæ scelera in sese admittat, quàm crudeliter vexet innocentes?

Sed quã volet, ille loquatur hæc flagitia, tu certè vides quid quisque cogitet, quid agat, quid loquatur, nam & calamitates miserorũ, & impij furorem ac immanitatem animaduertis, vt illos subleues, & hunc sempiternis supplicijs mactes.

Certè vir pius ab omnibus desertus tibi relinquitur defendendus, in te vnũ ille spectat, nec iam aliud vllum potest habere perfugium. Ille quidem sic omni hominũ ope destitutus est, vt egentes pueri solent parẽtibus orbati: sed eum tu prostratũ & abiectũ subleuabis, qui semper soles miseris opitulari, & innocentes suscipere defendendos, quos homines deseruerunt.

Infringe opes, & potentiam impij omnibus nefarijs sceleribus contaminati. Constitue quæstionẽ de perditissimis eius moribus, et factis, & is certè nusquàm comparebit: peribit enim condemnatus, & in æternas miserias, et tenebras deijcietur.

Eueniet certè, quod precor, mẽtiuntur enim homines amãtes, & impij, qui negant Deum regere humanum genus, aut vllã nostri rationem habere. At ego diuino numine, et lõginqui tẽporis vsu & periclitatione doctus confirmo, & magna voce pronũtio, diuina mente & ratione

tione omnem mundum ad sempiternas sæculorum ætates administrari, & regi: quæ si vera sunt, rectè factis præmia sceleribus & flagitijs pœnas constitutas esse oportet. Itaque certũ habeo, homines facinorosos, et nefarios funditus perituros: bonos autem in antiquum locũ dignitatis & honoris restitutum iri. nam miseris et afflictis Domine morem geres, opemque illis feres, quam expetunt, & preces eorum propitius audies: optant autem miseri, vt suas iniurias vlciscaris, & pœnas ab impijs iudicio prosequare, quas si pro flagitijs & sceleribus eorũ repetiueris, ea res profectò ex vsu omnium mortalium accidet: quos enim virtus & pietas in officio nõ continet, eos certè tui supplicij metus à maleficio reuocabit.

ARGVMENT. PSAL. XI.

Colloquitur vir sanctus cum amicis, qui fugam ipsi suadebant, ne per insidias à Saule circonuenire tur, quibus ille respõdet, rerum omnium dominum, & moderatorem esse Deum: neque sine eius prouidẽtia quicquam geri ab hominibus, quare innocentes bono & forti animo esse debere, improbis aũt certam perniciem expectandã esse. Quod verò tertium versum ita interpretati sumus, quasi fundamenta pro legibus appellata forent, si quis eam explanationem parum probat, is tamen sciat illam à Hieronymo & Symmacho vehemẽter approbatã esse. Quod si Dauid in hymno xlvii. chlypeos dixit, cũ reges dicere vellet, propterea quòd ciuitates in eorũ fide ac tutela sunt: cur mirandũ accidat alicui eundẽ

appe

appellare fundamenta pro legibus, in quibus nititur omnis ciuitatum salus, nomen verò fundamenti ad leges eleganter accommodari Poeta eloquētissimus testatur his verbis:

Agnosco crines, incanáque menta
Regis Romani, primus qui legibus Vrbem
Fundabit. Non me præterit multas esse explanationes huius loci, atq; adeò totius hymni, sed si quis paulò deligentius attēdat, aliquam spem habeo fore, vt nostra interpretatio neq; absurda, neque à verbis & sententia Dauidis abhorrens iudicetur.

Victoris Dauid Psal. VI.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, vt transmigret è monte vestro sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas super neruum, vt sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam fundamenta dissipata sunt, iustus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.

Oculi eius respiciunt, palpebræ eius explorant filios hominum.

Dominus examinat iustum, impium autem, & eum, qui diligit iniquitatem, odit anima eius.

Pluet super peccatores carbones: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam iustus Dominus iustitias dilí-

git,

git, rectum aspicit vultus eius.

EXPLANATIO.

Quoniam ecce. *Respondent amici, & demonstrãt, quibus rationibus adducti fugã illi suadeãt, quarum vna est, quòd intelligũt, iãiamque illi imminere exitiũ ab hostibus: altera est, quòd extinctis legibus, & iudicijs nulla detur facultas resistendi potẽtia improborum.*

Quoniam fundamenta dissipata sunt. *Videtur fundamenta pro legibus appellasse: leges enim fundamẽta sunt totius Reipub. et salutis singulorũ sine quibus ciuitas neque permanere potest, neque cõstitui: vnde à Poeta dictũ est, Agnosco crines, incanaque mẽta Regis Romani, primus qui legib' vrbẽ fundabit. Itaque Symmachus sententiã secutus non verba, vertit ex Hebræo ab hunc modum, vt testatur Hesychius, Quoniam leges dissipatæ sunt, & Symmachum quidem secutus est Hyeronimus.*

Iustus autem quid fecit? *At (inquit vir sanctus) quid commisi ego, quidue locutus sum, cur mihi vitam studeat eripere? sed profectò Dominus in cælo regit terras, & humanũ genus: & desuper intuetur, quid agat vnusquisq; quidue patiatur, vt bonos subleuet, ac puniat malos.*

Oculi eius respiciunt. *Oculorum, & palpebrarum appellatione, vim dei cuncta intelligentem, & administrantem intelligit.*

Domi-

Dominus examinat iustum, impium autem. *Horum verborum hæc videtur esse sententia: quemadmodum aurum igne perspiciunt, sic Deum pios homines rebus aduersis explorare, quo eorum animi efficiãtur puriores, & virtus illustrior existat: impios autem & iniustos illi esse inuisos, tametsi ad piorum vtilitatem eis secundiores aliquãdo res concedit, quæ mox tamen commutantur, & maiora illis supplicia pariunt.*

Pars calicis eorum. *Id est merces, quæ illis pro meritis debetur. Calix enim sæpe in literis sanctis appellatur quicquid nobis aut boni, aut mali contingit à Deo, itaque hoc loco supplicia improborũ significat, vt etiam apud Esaiã, & Hieremiam: volens autem Dauid magnitudinem pœnarum sceleratis impendentium exaggerare, eis supplicia minatus est Sodomitarũ, qui sulphure, & igne Cæsti deflagrauerunt.*

Rectum aspiciunt. *Sic Dominus in Leuitico, respiciam vos, inquit, & crescere faciam cõtrà, vultum dicitur auertere ab ijs, quos odit.*

PARAPHRASIS.

DAuid. Cũ misericordia et auxilio summi Dei confidã, quid est amici, quare me ad fugã adhortemini? Quòd si exercitu viris & armis ornatissimo instructũ bene sperare iuberetis, quãto magis præsidio summi Dei munito nulla vis impiorum metuenda erit?

Amici

Amici. Propterea fugiendum esse censemus, quòd tibi clã pernicies parata est ab inimicis, & legibus dissipatis ac deletis, quæ fundamẽta sunt totius Reipu. & salutis singulorum, nullũ reliquum est in ciuitate perfugium imbecillis.

Dauid. At quid ego feci, quidve in eos admisi, cur mihi vitam studeant eripere?

Sed quanquam mihi tanta pericula impendent, mea tamen fretus innocẽtia, erecto & fidenti animo ero, neque de salute vnquã desperabo: nam Dominus in cælo sempiternũ domicilium habet, Dominus in cælo regit terras: & humanũ genus, & desuper intuetur, quid agat vnusquisq; quid ve patiatur, vt bonos subleuet ac puniat sontes. Itaque spẽ meã in eo collocatam inimicorum conatibus opponã, hũc propugnatorem mihi defensorémque opto, non armis, non pecuniis, non opportunitate locorũ, aut temporis ad res gerendas indigentẽ, sed nutis omnia administrantẽ, & feliciter conficientẽ cernitis, quàm facile, quàm firmũ, quãq; inexpugnabile præsidium compararim?

Quòd si Saulem hominem perditissimũ videtis regnũ obtinere, bonos verò patriæ finibus expulsos vitam inopem & vagã persequi, & in maximis laboribus & periculis versari, ne id vobis admirandũ accidat: vt enim aurum ignis perspiciũt sic Deus pios homines rebus aduersis explorat, quo eorũ animi efficiantur puriores,

riores, & virtus illustrior existat: impios autẽ & iniustos ille acerbè odit, tametsi ad bonorum vtilitatem eis secũdiores aliquando res concedit, quæ mox tamen commutantur, & maiora illis supplicia pariunt: quibus supplicijs, & illis quidẽ grauissimis afficientur, vt Sodomitæ non acerbius interierint, qui sulphure & cælesti igne deflagrauerunt.

Hæc quidem impios scelerum, & maleficiorum merces manet, nam dominus, qui iustissimus est, non potest non amare iustitiam, itaque vt nefarios homines igne & sulphure interficit, sic bonum quemque & iustitiæ colentem placidis oculis intuetur, eiusq; virtutem maximis et pulcherrimis præmiis muneratur.

PARAPHRASIS CARMINE.

DA. Deo meo spes nititur, quid dicitis
Vestris vt auolem procul
A montibus, misella, sicut auicula,
Quã sæuus accipiter feris
Adurget vnguibus, fame rabida furens?
AMI. Quia hostis ecce barbarus
Arcum tetendit iam, suas vt imbuat
Tuo sagittas sanguine.

Et dissipatis legibus, miseris nihil
Ad spem salutis linquitur.
DA. At ego quid egi, cur meam vitam mihi
Auferre tendat impius?
Sed præsidet tẽplo Deus sancto, Deus
Cœlum beatus incolit.
Hinc perspicaci cuncta lustrat lumine
Rerum omnium arbiter parens.
Sua vt potente dextera bonos iuuet,
Malósque iustus puniat.
Explorat ille sæpe rebus asperis
Pios, vt aurum feruidus
Explorat ignis, opprimi tamen vetat.
Contráque tempus ad breue
Florere permittit malos, cruciatibus
Quos deinde longis afficit.
Quapropter hostis impius nisi iam suo
Ponit furori terminum,
Prædico, funditus peribit obrutus
Igne, procellis, sulphure.
Nãq; æquus æqtatẽ amat Deus, et pios
Placido intuetur lumine.

ARG

ARGVM. PSAL. XII.

Queritur de moribus sæculi sui depravatis, Deo supplicat pro salute piorum, qui ab improbis vexantur, ipsum Deum inducit loquentem, & opem suam pollicentem. Videtur autem hoc carmen feciſſe, cum à Saule conquireretur ad necē, & maximo in periculo versaretur, ea enim erat hominum perfidia, vt nulli salutem suam tutò posset committere.

Victori ad Scheminith. Psalmus. XII.

SAluum me fac domine, quoniam defecit sanctus, quoniam defecerunt fideles inter filios hominum.

Vana loquuntur vnusquisque ad proximum suum, fictè blandiuntur, in corde, & corde loquuntur.

Disperdat dominus vniuersa labia fictè blandientia, linguam magniloquam.

Qui dixerunt, linguis nostris magnificabimur, labia nostra penes nos sunt, quis noster dominus est?

Propter vastitatem inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit dominus.

Saluabo illos ab ijs, qui laqueum ponũt ipsis.

Eloquia domini eloquia munda, argentum igne examinatum, in vase terreo purgatum septies.

Tu domine seruabis eos, & custodies nos à generatione hac in æternum.

In circuitu impij ambulant, cùm exaltata fuerint opprobria.

EXPLANATIO.

In corde & corde loquuntur. *Hæc verbi eiusdem duplicatio significat duplici corde eos loquiquod quidem literæ sanctæ solent de ijs dicere, qui alia sentiũt, alia loquuntur: quapropter Symmachus sententiam secutus nõ verba, dilucidè hũc locum reddidit ex Hebræo, vt testatur Hieronymus ad hũc modum, In corde aliud est, atque aliud loquuntur.*

Labia nostra penes nos sunt. *Hoc est, liberũ os habemus, neque nobis de dictis, aut factis alicui reddendæ est ratio.*

Saluabo illos ab ijs. *Hic versiculus ex Hebræo ita conuersus est, vt illum explanat Chimis vir doctissimus inter Iudæos.*

Eloquia domini eloquia munda. *Significat, non esse dubitandum, quin Deus promissum efficiat, quippe cuius verba sint ab omni falsitatis labe integra, & pura.*

In circuitu impij ambulant. *Hebræi sic explanant hũc locum, circumueniri, & oppugnari innocentes ab improbis, cùm homines scelerati, ac perditi principatum obtinent.*

PARAPHRASIS.

SErua me Parens misericordiæ, quando omnia plena sunt fraudibus & simulatione, neque iam reliqu' est vllus, cui possim in hac mea cala

calamitate fidem aliquam habere. Et quoniam maximam vim habet ad pietatem & virtutē probitas eorum, quibuscum viuimus: quòd si inter homines impuros & nocentes atatem agamus, vix fieri potest, quin ad eorum consuetudinem, moréſque traducamur, propterea à domine non impensius laboro, vt vitam meam ab insidijs inimicorum, quàm vt animum à vitijs, et corruptela ſeculi huius integrum ſaluūq; conſerues, ne me reliquorum perditi mores, & exēpla corrumpant, né ve illorum imitatione in aliquam turpitudinem dilabar.

* Nulla in hominibus reliqua eſt probitas aut fides, omnia plena ſunt fallaciarum & vanitatis in vita. Quotus enim quiſque reperitur, qui à mēdacio ſibi iam tēperet? qui ſyncerum, ſimplicē & apertum animum gerat? qui non aliud ſentiat, aliud loquatur? Quòd ſi quis tibi blādiatur, hunc tu maximè caueto.

Vtinam Deus tollat blanditias malitioſas, et intolerabilem magniloquentiam iſtorum, qui dicere ſolent, lingua noſtra nobis fallendo & blandiendo: opes & potentiam comparabit: liberum certè, & ſolutum os habemus: neque nobis de delictis aut factis alicui reddēda ratio eſt, quem enim nos dominum habemus? Hæc flagitia temerè ſolent effutire impij, & qui amēti cacóque furore à ratione conſilioq; deducuntur. Sic Pharao iactabat ſe nullum habere dominū:

sic arrogantissimus ille Assyriorum rex pueros illos generosos territare volens, aiebat, Quis eripiet vos de manibus meis? Veruntamē & illi superbiæ, & impietatis suæ pœnas grauissimas dederunt, & isti qui nunc se liberos ab omni dominatione iactant, sese omnium infimos & miserrimos seruos esse mox intelligent, summus enim ille cœli terrarumq; moderator & dominꝰ, piorum lachrymis & precibus, istorumque oratione petulanti grauissimè commotus, iam, iā, inquit, exurgo ad coërcendam impiorum arrogantiam, & calamitates piorum sublenandas, nihil dissimulanter, nihil ex occulto agā, sed tā insignis & illustris erit liberatio bonorum, & improborum animaduersio, vt facilè possint omnes intelligere, me omniū rerum gubernatorem & dominū esse, & qualis quantusque sit apud me delectus vitiorum & virtutum.

Verba domini vera syncerāque sunt, nihil his purius aut sanctius, nihil ab omni falsitate magis alienum. Verba domini simillima sunt argēto, atque auro, quod artifex summa diligentia sæpe ac sæpius igne purgauit.

Proinde quicunq; iustitiam & pietatem colitis, facite animo magno fortique sitis, exploratumq; habete, vos præsidio Dei integros, saluos & florentes fore, nocentibus de medio sublatis qui nunc vigent, atque in tenuiores impunè debacchantur, propter eius qui dominatur iniusti-

tiam,

tiam. Scilicèt improbi tunc maximas vires habent, & licenter vagantur, viros q; cum fide iustitiáque viuentes circumueniunt, cum homines iniusti & vitiosi imperia obtinent.

PARAPHRASIS CARMINE.

Benigne cœlitum Pater seruá obsecro,
Operiq; fer, pauciſsimi
Nam. sunt, quibus confidere, ac posſim meam
Tuto salutem credere.
Mendacio iam pulsa turpi veritas
Receſsit alma ab vrbibus,
Fidésque, sanctúsque pudor, & soror illius
Syncerit as amabilis,
Quòd si quisvnquã bladiatur, & omnia
Loquatur ore dulcia,
Tu verò ab illo tibi potiſsimum caue.
Te lingua blanda ab improbo
Auellat ore præpotens rerum Deus,
Tu magna qui ſemper loqui
Gaudes, cum iratum, tuaq; vindicem
Linguæ proteruæ ſentias.

Tu, qui furore percitus, lingua mea
Opes mihi & potentiam
Dicis, parabo, liberum os gero, & ge-
ram
Semper, quis imperat mihi?
At hæc nefandus dum nefaria euomit,
Cælestium Rex maximus
Orationis impiæ iactantia
Commotus exurgo iam, ait,
Exurgo, iámque opem salutarem af-
fero
Benignus afflictis: mihi,
Qui vexat illos, impius pœnas dabit.
Syncera verba numinis,
Auróque puriora sunt purissimo,
Quod igne sæpè, ac sæpius
Purgauit artifex, monile regio
Sponso laborans nobile.
Tu gente nos ab impia rex optime
Seruabis, & clementiæ
Scuto tuæ firmissimo tela hostium
Longè reppelles omnia.
Tuti vagantur improbi, & bonis malam
Pest

Pestem, dolósque comparant,
Contaminata mente cùm vir vrbibus
Seruire dignus, imperat.

ARGV. PSAL. XIII.

Vir sanctus magnis & diuturnis calamitatibus ita labefactus vicē suam miseratur: & auxiliū Dei queribundus implorat.

Victori, Psalmus Dauid XIII.

VSquequo domine obliuiscēris me in perpetuum? vsquequo auertis faciem tuam à me?

Quandiu ponam cōsilia in anima mea? dolorem in corde meo per diem?

Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, & exaudi me domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne fortè dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum.

Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero: ego autē in misericordia tua speraui.

Exultauit cor meum in salutari tuo, cantabo domino, qui bona tribuit mihi.

EXPLANATIO.

Vsquequo ponam consilia. *Expressit morem calamitosorum, quorum animus nunquā quiescit, semper huc illuc impellitur, & in omnes partes deliberando distrahitur.*

Illumina oculos. *Id est, ope tua, tanquam splendidissimo candore solis dissipa noctem calamitatum mearum, ne crescentibus malorũ tenebris, durissimo mortis somno consopiar.*

Quoniam bona tribuit mihi. *Id est, quoniam innocentiam meam tutatus est, meq; incolumem conseruauit ab impetu inimicorum.*

PARAPHRASIS.

QVousque domine, supplicem tuum deseris in tantis malis? quousque faciem auertes iratus, & negligens salutis meæ?

Quandiu tandem animus meus tempestate calamitatum iactabitur, et huc illuc impulsus in omnes partes deliberando distrahetur?

Quẽ ad finem truculentus hostis exultabit in fortunas meas? neque vllam mihi respirãdi potestatẽ dabit? Satis diu domine et oculos auertisti, & aures à querelis meis abhorrẽtes habuisti, Iam quæso vocantẽ exaudi, iam mœrentẽ, afflictum, in lachrymis & squallore iacẽtẽ placidis oculis intuere, & salutari luce tui vultus ab animo meo tenebras caliginemq; dissipelle.

Dissipa domine ope tua, tanquam splẽdidissimo candore solis noctem calamitatum mearũ, ne crescentibus malorũ tenebris, durissimo mortis somno consopiar. Ne quæso glorietur vnquã inimicus se mihi vim & manus attulisse.

Ille quidẽ incredibili gaudio exultabit, si me abiectum, prostratum, & perditum viderit. Sed

quanq

quanquam mihi omnia mortem intentãt, quã quam desperata est ab omnibus salus mea, spetamen ego bona sustentabor confisus nõ iustitia quidem mea, sed incredibili misericordia tua.

Immortales tibi gratias ago pater augustissime, qui meis lachrymis te placidum & lenem præbuisti. Item ex animo curas omnes dolores q3 depono, iam finem facio suspirijs & flebilibus querelis, iam tamq3 animo latanti ob salutẽ à te mihi redditam, & innocẽtiam meam tectã, & defensam: numinis tui laudes ad citharam dies noctes q3 celebrabo.

PARAPHRASIS CARMINE.

Quousq3 domine linquor in tãtis malis?
O columen, & salus mea:
Quousque pergis esse non memor mei?
Dic oro, quandiu dies,
Noctes q3 lachrymis madebo: & anxius
Deliberando distrahar?
Quousque supplicem tuæ clementiæ
Crudelis hostis opprimet?
Aures tuæ satis diu Pater a meis
Abhorruere questibus,
Satis superque vultus auersus tuus
Omnem mihi lucem abstulit.

Iam

Iam quæso, iam candore luminis sacri
Meas tenebras dissipa:
Ne fortè durus mortis obrepat sopor,
Dum nulla donatur quies.
Ne quæso, ne amplius in mala insultãs mea
Triumphet hostis gaudio:
Sed quanquam ab omnibus misera salus mea
Proiecta sit mortalibus,
Bonam tamen spem non ego abijciam, tua
Nitens opis fiducia.
Pater beate maximas tibi gratias
Ago, tuum qui supplicem
Tam dexter audis, & malorum fluctibus
Tantis benignus eripis.
Iam iam querelas flebiles, suspiria
Iam pono lætus tristia,
Et fonte quicquid carminis fluet meo,
Pater tibi omne consecro.

AR

ARGV. PSAL. XIIII.

Inuehitur in homines importunos & contemptores Dei, qui pios acerbissimè vexabant, & potentia abutebantur ad perniciem tenuiorum, quibus salutem & res secundas pollicetur.

Victori Psalmus Dauid. XIIII.

DIxit insipiens in corde suo, non est Deus.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est, ne vnus quidem.

Nónne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meã sicut escam panis?

Dominum non inuocauerunt, illic trepidabunt timore.

Quoniam Dominus in generatione iustorum est, consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est.

Quis dabit ex Sion salutare Israel? cùm conuerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel.

EXPLANATIO.

Dominus de cœlo prospexit super filios homi

hominum. *Sic appellat eos, qui nondum per fidem & veram pietatem filij Dei euaserũt. Quos verò iam Deus sibi adoptauit, eos infrà generationem iustorũ vocat, quòd pater cælestis iustitiã, & spiritũ suũ ipsis ad salutẽ impertiuerit.*

Nónne cognoscent. *Hæc interrogatio cum orationis præcisione demonstrat vehementem iram Dei. Est autem horum verborum sententia, profectò homines perditi, qui iactant me nõ existere, & hac opinione confisi lacerant gentẽ meã, eiusq; fortunas incredibili cupiditate deuorant, maximo suo malo sentient vim, & potestatem meam.*

Deum non inuocauerunt. *Deus inuocandus, colendus, & suspiciẽdus erat, cætera omnia pro nihilo ducenda: quod admirabile dictu est quàm contra fiat ab istis, qui cõculcata virtute omni ac religione, honores, opes, potentiam, libidines in loco numinis colunt: & colentes Deum summa crudelitate persequuntur.*

Illic trepidabunt timore. *Vir sanctus præsentiebat, atque animo tanquam oculis videbat quo in loco supplicio afficiendi erant homines illi importuni, atque ob eã causam dixit, illic trepidabunt timore, tanquam digito locum illum indicaret, simile est illud in Psalmo 36. ibi cadẽt, qui operantur iniquitatem.*

Quoniam dominus. *Trepidabunt inquam timore, & grauissimas pœnas dabunt crudelita-*

tis

tis sua, quoniã Deus apud iustos, & pios homines sedem, & domicilium habet, neque iniurias eorum feret impunitas.

Consilium inopis. *Vos (inquit) impij consilium, & institutum piorũ aspernamini, & stultũ, ac ridiculum existimatis, quòd ij spẽ suam ponãt in Deo, quòd eũ colant, venerentur, & omnes suas curas & actiones ad eum referẽdas putent. Hoc verò impijs obiicit tanquam scelus grauissimum, & inexpiabile: commemoratis autem flagitijs impiorum, & piorum calamitatibus, implorat auxilium à Deo, cùm subiungit.*

Quis dabit. *Hæc interrogandi ratio apud Hebræos sæpe vim habet optandi, vt eo loco, Quis mihi dabit pennas columbæ? & in Numeris: Quis mihi tribuat, vt omnis populꝰ prophetet? putabatur autẽ Sion esse domicilium Dei, & ex eo loco petẽtibus salutẽ dari. hinc illud, Mittat tibi auxiliũ de sancto, & de Sion tueatur te. Itaq; huius versiculi ea est sentẽtia, vtinam dominus ex monte sancto suo respiciat calamitates Israelis, & asperrimum seruitutis iugum ab eius cervicibus repellat.*

Cùm cõuerterit. *Eueniet (inquit) quod optamus, & populus seruitute liberatus recreabitur, & gaudio exultabit.*

PARAPHRASIS.

NIhil adeò tetrum, immane, & contra naturam cogitari potest, quàm negare eum esse

esse à quo omnia à principio facta & cõstituta sunt, atq; ad innumerabilia secula incredibili sapiẽtia regũtur atq; cõseruãtur. Quòd si sapientia, vt etiam à maximis Philosophis est definitum, cognitio rerum diuinarum est, & omnis sapiẽtiæ caput est castissimus cultus, plenissimaq; sanctitatis pietas aduersus Deum, non iniuriæ insipiẽtes appellamus omnes, quicunque Deum nõ solùm non colunt, aut ex aliqua parte cognoscunt, sed etiã funditus omnẽ naturã, & vim diuinam tollunt, & deum rem esse inanem, & commentitiam existimãt. Hæc autem portentæ loquuntur impij cum animo suo, quoniã effuti re non audent, quod etiam gentes immanes & effrenatæ execrandum atque omni supplicio vindicandum arbitrantur.

Huius autem pestiferæ opinionis, quæ totius vitæ fundamenta conuellit, origo & fons est ipsa vitæ turpitudo: nam qui libidinum facibus inflammantur, qui rapinis & maleficio pascuntur, qui cruore hominũ sese contaminãt, & cætera, eiusmodi scelera & flagitia suscipiũt, ij omnem Dei notionem, & memoriam ex animo suo euellere conantur, ne metu supplicij diuini, aut exanimentur continenter, aut inuiti à scelerum administratione reuocentur.

Dominus è cælo oculis collustrauit si quẽ eerneret in tanta istorum multitudine rerum diuinarum intelligentem, sẽque diligentius perquirentem

rentem. Ad hanc enim rem nobis ille rationem, atque omnem intelligẽdi vim contulit, vt in se perquirendo & cognoscendo omnẽ curam, cogitationem, operam ponerem⁹.

Sed inaniter ille circũspexit, omnes enim declinauerũt à pietate & recta vitæ ratiõe, omnes ad vnũ perditis moribꝰ et pestiferis opinionibꝰ corrupti deprauatiq; sunt, nemo denique ex iis repertꝰ est, qui cũ fide et iustitia vitã coleret.

Itaq; summus ille rector ira incẽsus, profectò, inquit, homines impij, qui me iactãt nõ existere, & hac opinione cõfisi, lacerant omni scelere gentẽ meam, eiusque fortunas inexplebili cupiditate deuorant, maximo suo malo sentiẽt vim & potestatem meam.

Nimirũ Deus inuocandus, colẽdus, & suspiciendus erat, catera omnia pro nihilo ducenda, quod admirabile dictu est, quã contrà fiat abistis, qui conculcata virtute omni, ac religione, honores, opes potẽtiã, libidines in loco numinis colunt, & colẽtes Deũ summa crudelitate persequũtur. Sed o quãta miseros supplicia manẽt! en ego locum aspicio, quo loco tantis circunuentẽtur malis, vt fracti magnitudine calamitatũ, nũquam respirandi potestatem habeant, semper trepident, semper grauiora formident.

Hæc igitur pœna manet impios, arrogãtes, & gẽtes Dei crudeliter exedẽtes, propterea quòd Dominus apud iustos & pios homines sedẽs &

domicilium habet, neq; iniurias eorũ feret impunitas: quanquam vos impij cõsilium & institutum piorum illudere, & stultum ac ridiculũ existimare soletis, quòd ij spem suam ponant in Deo, quòd eũ colant, venerẽtur, & omnes suas curas & actiones ad eum referendas putent.

Vtinã Dominus ex sanctissimo vertice Sionis, vbi sedẽ constitutam habet, respiciat cito calamitates Israëlis, & asperrimũ seruitutis iugũ ab eius ceruicibus repellat. Ueniet quod optamus & populus impiorũ tyrannide liberatus, à Deo recreabitur, & in reliquum tempus ocio, & placidissima pace perfruetur.

ARGVM. PSAL. XV.

Gens Hebræa maximas accepit calamitates, & à Barbaris nationibus sæpe in seruitutem abducta est propter neglectam pietatem & virtutẽ. Id prouidens Dauid, & in posterum lõge prospiciẽs, his carminibus inducit Deum præcipientẽ, & certã viuendi formulam constituentem, quam si secuti fuissent Hebræi, nunquam ab honesto & religione recessissent: & sublato omni exterarum gentiũ metu, fines patriæ salui & incolumes habitauissent. Quod vtinam nos cæteris omnibus rebus neglectis, incumbamus toto pectore in eam curã, vt horum carminum præcepta saluberrima obseruemus, quo tãdem post exilium longum, & grauissimos labores in terris exanthlatos in monte illo cælesti, & domicilio Dei sempiterno quiescamus, vitamque placidissimam, & omnium bonorum plenissimam traducamus, tunc enim boni incipiunt viuere, vt quidam sapienter ait, cum ex corporis vinculis tanquam e carcere euolauerunt.

uerunt nostra verò hæc, quæ dicitur vita, mors est. Illud autem scire oportet, cùm vir sanctus in principio carminis domicilium Dei, & montem sanctum appellat, eum terram Iudæam intelligere, quod vel vno testimonio Mosis confirmare possumus, is enim in libro, qui inscribitur Exodus, iisdem verbis eam describit, cum de Iudæis hæc loquitur: Eos perduces & collocabis in monte hæreditatis tuæ, vbi domicilium tibi constituisti, vbi sedem & templum tibi ædificabis. Itaque Dauid cum templum & montem sanctum nominauit, ipse quoque potiore de parte totam regionem intellexit, quam exornationem orationis Rhetores appellant intellectionem. Quòd verò verbum illud peregrinor, posuit, significauit Hebræos tanquàm aduenas & peregrinos terram Iudæam possidere, nam dominus in Leuitico, Terra, inquit, hæc mea est: & vos aduenæ, & coloni estis. Quin etiam tota hæc nostra vita peregrinatio quædam est, neque enim in terris stabilem sedem, aut domicilium certum habemus, sed in corporibus commoramur tanquam in hospitio, non tanquam in domo. Itaque Dauid in libris Paralipomenon, his duabus de causis se ac cæteros Iudæos peregrinos nominat, Deum venerans, his verbis: Tua sunt omnia, & quæ de liberalitate tua accepimus, ea dedimus tibi. Nos enim peregrini sumus & aduenæ, sicut omnes maiores nostri. vita nostra tanquam vmbra est in terris, neque vlla est mora. Non me fugit, Basilium illum magnum, & Eusebium Cæsariensem aliter eum versum Dauidis interpretatos esse: sed cum eorum explanatio ad id genus pertinere videatur, quòd Græci ἀναγωγὴν vocãt: nos hac in parte sequi Theodoretum maluimus, quòd eius interpretatio ad institutum nostrum, accommodatior esse videtur.

Psalmus Dauid. XV.

DOmine quis peregrinabitur in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in mõte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non detraxit lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum: & opprobrium non tulit super proximo suo.

Despicitur in oculis eius malignus, timentes autem Dominum glorificat.

Qui iurat, vt se affligat, & nõ mutat, pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera contra innocentem non accepit.

Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

EXPLANATIO.

Domine quis peregrinabitur. *Cùm Dauid hoc versiculo tabernaculum, & montẽ sanctum nominauit, potiore de parte totã regionẽ intellexit, vt in Paraphrasi ostendimus. Quòd autem verbum illud peregrinor, posuit, significauit Hebræos tanquàm aduenas, & peregrinos terram Iudæam possidere: vel potius, totã hanc nostram vitam peregrinationem quandam esse: quibus de rebus in eadem paraphrasi explicatum est.*

Qui ingreditur. *Dominus respõdens ad ea, quæ rogauerat Dauid, probat hominem ingredientem*

dientẽ ſine macula: id eſt, nullo ſcelere, aut flagitio ſe contaminantem, & operantẽ iuſtitiam, id eſt, omnibus virtutũ officijs fungentem: iuſtitia enim nomen in literis ſanctis latiſſimè patet, & omnes honeſti partes comprehendit.

Qui loquitur. *Quæ ſummatim propoſuerat, ea nunc ſigillatim perſequitur.*

Nec fecit proximo. *Ordine quidem progreſſa oratio cordis primùm meminit, deinde linguæ, poſtremò operis mentionẽ intulit: opus enim ſermo, ſermonem cogitatio antecedit.*

Et opprobrium non tulit. *Id eſt, non modò non violat alterum, ſed ne ab alio quidem patitur eum lædi, & opprobrijs, ac cõtumelijs afficiri.*

Deſpicitur in oculis eius malignus. *Id eſt, improbos, quamuis genere, opibus, & gratia florentes pro nihilo ducit: colentes autem Deũ veretur & obſeruat, licet humiles: & obſcuri ſint, & apud homines abiecti, contemptiq;.*

Qui iurat, vt ſe. *Horum verborum hanc ſententiam eſſe confirmant Hebræi, virum bonum ſumma fide, ſummaque conſtantia præſtaturum, quod promiſerit, & ſi quo voto obſtrinxerit eorum quæ ad incommodum, & macerationem corporis pertineant, non tamen mutaturũ ſententiam, aut contra religionem iuriſiurandi quicquam admiſſurum eſſe. De hoc genere voti & iuriſiurandi meminit Moſes in libro Numerorum.*

Et munera contra innocentem. *Accipiunt dona aduersus innocentem, non solùm iudices auari sed etiam qui pecuniam accipiunt ob falsum testimonium dicendum, aut lites iniquo patrocinio extrahendas, & tuendas.*

PARAPHRASIS.

David. Domine quis habitabit in domicilio tuo? quis stabilem sedem habebit in monte sancto tuo?

Deus. Quisquis ab omni vitiorũ labe sese purum atque integrum seruat, atque alacri & prõpto animo omnia virtutum officia præstat. ea nempe lex perfecta, & præmijs immortalibus digna est. Et legum diuinarum neque vetita per libidinẽ animi attingas, neque iussa per negligentiam omittas: id autem consequitur, quisquis est simplicis veritatis amicus, neque alteri maledicto vel re, nocet, tãtumque abest à quoquam violando, vt neminẽ ab altero laedi patiatur, aut probris conuitijsque iactari.

Quinetiam improbos, quamuis genere, opibus & gratia florentes pro nihilo ducit: colẽtes autem Deum reuereatur & obseruat, licet humiles & obscuri sint, & apud homines abiecti cõtemptique: sentit enim beatos esse, nõ qui opibus circunfluũt, & magna imperia obtinent, sed qui pietatem colunt & iustitiam.

Quòd si quid Deo teste cuiquam promiserit, seq; iureiurando aliquo obstrinxerit, id summa

fide

fide summaq; constantia seruat: neque si quo voto se deuinxerit eorum, quæ ad incommodum corporis pertineant sententiam mutat, aut contra iurisiurandi religionẽ facit. Non ille aut pecuniam fœnori daret, aut illã acciperet ob iur, vel testimonium dicendum, & innocentes iniquo iudicio opprimendos.

Qui ad hunc modum vitam instituerit, & Deo charissimus erit, & nullorum aduersarum ictu concutietur, sed instar domus habebit, quam vir prudens ædificauit in lapide firmissimo. Ergo illam neque impetus ventorum, neque imbrium aut fluuiorum vis moderata conuellit, eius enim fundamenta posita sunt in lapide firmissimo.

PARAPH. CARMINE.

Dauid. Pater supreme quis tuum templum incolet?
Dic, oro, monte quis acquiescet in tuo?
Deus. Qui purus omni à labe iustitiam colit,
Qui diligenter curat, vt mentem mala
A cogitatione sæuci integram,
Nec immerentes ore vexat improbo,
Nec alteri nocere solum modo cauet:
Sed si quis vllum lædat, auxilio venit,

Iniuriámque prohibet, hic malum, licet
Ditissimum, licet potentem, negligit.
At quos amantes viderit Deum, colit,
Veretur, obseruat, loco quãquam infimo
Iacere cernat rerum egentes omnium:
Nec, si quid vnquam iuret, vnquã pe-
ierat.
Non ille foenori pecuniam daret:
Illámue reciperet, licet pauperrimus,
Vt innocentes opprimat, vel maximam.
Qui seruat hæc, immobilis semper ma-
net,
Deóque charus viuit, & mortalibus.

ARG. PSAL. XVI.

Inducit Iesum Deum loquentem, & suam mortem ac reditum ad vitam, & piorum salutem prædicentem. Is cùm duplici natura sit, nemini mirandũ accidere debet, si multa eius tum dicta, tum facta referantur tanquam hominis & mortalis. Hinc illa in Euan. Pater, si fieri potest, tollatur à me cruciatus iste: veruntamen non quod mihi, sed quod tibi placet id fiat. Et illud, eo ad parentem, & Deum meum & vestrum. Pari ratione videmus ipsum & lachrymantem, & supplicantium more genua flectentem, seque animo demisso, atque humili ad terram abiicientem. quæ quidem omnia pertinent ad mortalitatem eius. quippe qui omnibus in rebus extra culpã & peccatum nobis par & similis redditus sit, quo misericors esset, ac fidelis pontifex in iis procuran-

dis

dis apud Deum, quæ pertinent ad expiationem scelerum & flagitiorum generis humani, ex eo enim quod ipsi contingit, vt nostris malis & incommodis tentaretur, id consecutus est, vt iis qui eisdē casibus tentantur, summa benignitate subueniat. Christum verò Deum in his carminibus loqui, Petrus & Paulus testantur in actis Apostolorum.

Michtham Dauid Psal. XVI.

COnserua me Domine, quoniam spera ui in te, dixi Domino, Dominus meus es tu, bonum meum nihil tibi confert.

Erga sanctos, qui sunt in terra, & præclaros omnis voluntas mea est.

Multiplicata sunt idola eorum, post alium acceleraverunt.

Non libabo libamina eorum de sanguine, nec assumam nomina eorum in labiis meis.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu sustentabis sortem meam.

Funes ceciderunt mihi in præclaris, etiā hæreditas pulchra contigit mihi.

Benedicam Dominum, qui dedit mihi consilium, etiam per noctes erudiunt me renes mei.

Posui Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.

Propter hoc lætatum est cor meum, &

exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animã meã in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas fecisti mihi vias vitæ: satietas lætitiarum est cũ vultu tuo, delectationes in dextera tua in æternum.

EXPLANATIO.

Conserua me Deus. *Filius Dei omnibus in rebus (extra culpam, & peccatum) nobis par et similis redditus, & nostris malis, & incommodis tentatus imminente iã morte verba humanæ imbecillitati conuenientia pronũtiat, Deoq́ salutem suam suppliciter commendat.*

Erga sanctos. *Cùm dixisset, Deum nulla in re egere opera sua, subiungit se nullum officij genus erga homines illi charos prætermissurum, quòd sciret, hæc studia Deo perinde grata esse, quasi ipsius numini tributa forent.*

Multiplicata sunt idola. *Hæc videntur dici de perfidis Iudæis, qui relicto Deo alterum secuti sunt, videlicet diabolum, cuius etiam filij appellantur in Euangelio Ioannis, et propterea idola eorum multiplicata sunt, vt enim boni vnũ habent Deum quẽ colant, sic improbi multos habent falsos Deos, quibus seruiant: ambitio namque & libido et luxuria, et pecuniæ cupiditas, & reliqua flagitia sunt eorũ idola, quæ*

enim quisque in re summum bonum constituit, ea res cuique Deus est. Huius igitur impia nationis sacrificia Christus repudiauit, & eorum nomina deleuit ex libro viuentium, neque iam digni sunt Iudæi, qui ab ipso nominentur, aut cognoscantur.

Dominus pars hæreditatis. *Felix (inquit) hæreditas mea, id est ecclesia piorũ: cuius hæreditas æterna erit Deus, vos item felices labores, & cruciatus mei, quos eadem merces manet, sic Athanasius, & Theodoretus, & quidam alij explanant hunc locum.*

Tu sustentabis. *Id est, ecclesia mea magnis impiorum conatibus oppugnata, tuo præsidio tuta erit, & firma, & immobilis permanebit, glorians autem Dominus de fide, & virtutibus suorum subiungit:*

Funes ceciderunt mihi in præclaris. *Id est, luculenta planè, & præclara mihi venit hæreditas, est autem hoc sumptum ex historia Iosuæ: qui funibus agros metitus est, quos populo diuidebat.*

Etiam per noctes. *Nõ solùm (inquit) perfecit Dominus, vt in me ratio, & mens animi vigeret, sed etiam affectiones ipsas, quæ solent ab honesto reuocare, tum castas, tamque rationi obedientes effecit, vt etiam illæ ad studia pietatis, & virtutum dies noctesque me impellerẽt.*

Quoniam non derelinques. *Nam triduo*

post

post reuertetur ad corpus suũ, non iam patibile & caducum, sed inuiolabile & immortale. Hæc autem verba esse Christi Petrus & Paulus testantur in Actis Apostolorum.

Nec dabis sanctum. *Id est, quẽ tibi cõsecrasti atque omnium gentium regem, & Dominum designauisti, haudquaquam feres tãdiu vita carere, quoad corpus eius corrumpatur.*

Satietas lætitiarum. *Id est, tũ demum animus expletur omnibus lætitijs, cùm te præsens præsentẽ intuetur: sunt enim delectationes in dextera tua, id est semper in prõptu habes, semper munifica manu largiris hilaritates, lætitias, iucũditates. Simile videtur illud ex prouerbijs Salomonis, longitudo dierũ in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria. quib' verbis significat sapientiã suppeditare suis amatoribus longinquitatẽ vitæ et opes, et honores. In hãc sententiam Theologi Græci, & Latini interpretantur hunc hymnum. Illud autem scire oportet, Dauidem vnum ex ijs fuisse, qui moribus, & factis venturum Christum multis in rebus repræsentarunt suorum temporum hominibus, atque ob hãc causam nõnullos existimare, & illos quidem rerum diuinarum peritissimos ipsum etiã in his psalmis, in quibus de se ac suis rebus scriberet, solitum inserere multa quæ non tã sibi conuenirent, quàm ei quem repræsentabat, nempe Christo, qua quidẽ scribendi ratione*

ne

ne ostendunt ipsum esse & sum etiam in eo carmine, quod de Salomone condidit: in illo enim cū de regno filij semper loqui videatur, nōnulla tamen dicit, quæ regno Christi congruunt, præterea à nullius. Sic autem ferebat illorum temporū ratio, vt mysteria Christi vmbris eiusmodi, & imaginibus velarentur in quæ possent introspicere, quorū mens à Deo illuminata foret, cæteri præter ipsas vmbras nihil pœnitus viderēt. His rationibus inducti fatentur illi quidem, cū vir sanctus diceret, animā suam ab inferis citò reuocandam, neque Deū permissurum, vt corpus ipsius in sepulchro corrumperetur, istæc sub persona Christi locutum esse, sed ijdem illū omnia superiora de se ipso scribere, nō dubitant, itaque horum sententia hic hymnus ita explanandus erit, vt Dauid in secundo versu prædicet beneuolentiā, & studium suum erga homines pios, in tertio autem accuset impios, qui non cōtenti religione, & cultu veri Dei, à finitimis nationibus cæremonias & sacra falsorum Deorum accipiebant, quibus sacris profitetur se nunquam interfuturū, aut quicquam libaturū, quod ad ea pertineat: neque verò se cōmissurum, vt inuocet illos Deos, aut nomina eorū ad iusurandum adhibeat, Eius autē rei causam subiūgere videtur, cùm ait, Dominū esse partem hæreditatis suæ, & calicis sui, ac funes sibi cecidisse in rebus præclaris: quibus verbis gloriatur

Deum

Deum sibi esse hæreditatem, opes, & omnia bona, nam quod addit sortem suam ab illo sustentatum iri, nimirum significat, sibi non esse dubitandum, ne hanc luculentã hæreditatem amittat, quando Deus qui se ipsi possidendum, ac fruẽdum dedit, non sit passurus, vt vllares eum de hac possessione deturbet. Nomen verò calicis consuetudine lingua Hebræa, significare quicquid hominibus aut boni, aut mali contingit à Deo, in alio loco dictum est à nobis.

PARAPHRASIS.

STudet ingrata & importuna gens mihi vitam eripere, & meum nomen ex omni hominum memoria funditus delere: at tu pater optime, atque sanctissime filium tuum serua, atque illũ ea gloria illustra, in qua semper fuit apud te, priusquam hæc pulcherrima rerum vniuersitas existeret. Ego certè in tua misericordia omnem meam spem & præsidium locaui. Agnosco Domine, neque vnquã intermitto apud omnes prædicare, te mihi Dominum esse, neque potest quicquam esse tam promptum aut tam paratum, quàm animus meus ad inseruiendũ tibi. Verùm quid tuo numini commodare potest hæc voluntas & alacritas mea? Tu Domine seiunctis omnibus malis, & incommodis vitam colis beatissimam & sempiternam. Quecunque bona, pulchra, vtilia cernuntur in omnibus rebus inanimis, animatis q̃, ea omnia ex perẽni vberrimo

rimo

rimoq; tuæ benignitatis fonte permanant.

Proinde cùm tibi nullæ in re sit opus opera mea, reliquũ est, vt omnia mea pietatis studia & officia consistent in homines sanctos, & virtute præcellentes, qui mecũ in hac vita misera fragilique peregrinantur, quos tu iam inde ab omni æternitate ex infinita mortalium multitudine selegisti, quò vitam puram & castam agentes in terris, posteà beati æuo sempiterno fruerentur in cœlo. Hos ergo consilio, doctrina, exemplo, rebus denique omnibus iuuabo, et viã tutissimam, rectissimamque muniam, quæ illos perducat ad vitam beatam & immortalẽ, atque hæc mea beneficia & studia tibi perinde grata & iucunda erũt, quasi tuo numini tributa forent.

Sed illud mihi ad dolorem acerbissimũ accidit, quòd Iudæi quorum est adoptio & gloria, et sanctissima illa fœdera, & leges, & sacra, & promissiones magnificæ, quique prognati sunt à viris sanctissimis, & omnium virtutũ gloria præcellẽtibus, quorum denique ego sum sanguis quos ego in primis saluos, incolumes, & florentes ac beatos cupio, ij sempiternum illum hostẽ humani generis tibi antetulerũt & multos sibi Deos opinionis errore finxerunt gloriam, honores, opes, libidines pro tuo sanctissimo numine venerantur & quæ flagitia summopere vitare ne morte peiora odisse debuerant, in ijs flagitijs

beatam

beatam vitam collocarũt, meq; à maleficijs & sceleribus deterrentem ad virtutem, & pietatẽ, & syncerum tui numinis cultum adhortantẽ omnibus iniurijs & contumelijs insequuntur: neq; prius finem faciunt furoris, quam me acerbissimè ex ruciatum interfecerint.

Valeant itaq; homines perditi & flagitiosi, horum ego cæremonias, & sacrificia cruore manãtia detestor, neque iam dignos puto, quos nomine appellem:

At vos felices & beati, quicunque vos & vestra omnia mihi consecrauistis & dicastis, istius enim vestræ virtutis & pietatis merces, & præmium sempiternum erit Deus. Vos itẽ felices labores & cruciatus mei, quos eadẽ merces manet. Oppugnabuntur quidẽ maximis conatibus impiorum omnes, quicunq; disciplinã & sectam sequentur meam, sed ij parẽtis mei præsidio confirmati, magno & fidẽti animo resistent, atque in me cultu ac pietate fixi, & immobiles permanebunt.

Luculẽta certè & præclara mihi venit hæreditas: homines, inquam, mihi pater, excellẽtes, & vniuersi planè generis humani florem assignauit.

Itaq; immortales illi gratias ago, quòd me prudẽtissimis atque amãtissimis consilijs semper iuuerit, quòdq; affectiões ipsas animi, qua solent ab honesto reuocare, tam castas, tamq; rationi

tioni obedientes effecerit, & etiã illa ad studia pietatis et virtutũ dies noctesq; me impelleret.

Nempe dominus ante oculos mihi semper obuersatur, nihil animo agitare, nihil aut loqui aut conari possum, quin illum adesse præsentem cogitem: neque me profectò animus fallit, adest enim ille mihi præsens & propitius, & magnitudinem animi & constantiã subministrat, ne illi calamitatum oneri succumbam, neu virtutem meam excelso & illustri loco sitam labefactet hominum improbitas.

Propterea animus meus incredibili lætitia exultat: neq; lingua satiari potest gratias agẽdis, dum cogito Deũ lateri meo semper adhærere pugnantem, & consilio atque opera iuuantem.

Neque solùm animus gaudio completur, sed etiam ipsum corpus morti iam propinquũ spe bona certaq; sustentatur, quòd tu domine animum meũ nõ permittes diutius versari apud inferos, sed post tertium diem eius diei, quo migrauerit è corpore, comitatus fœlicibus animis piorũ reuertetur ad domicilium suum, nõ iam patibile & caducum: sed inuiolabile et immortale. Scilicet eum quem tibi consecrasti, atq; omniũ gentium regem & dominum designauisti, nequaquam feres tandiu vita carere, quoad corpus corrumpatur.

Quinimò iam rationem mihi & viam ostendisti, qua mortem superarem, & ad vitam adi

rem beatam, & omnibus bonis & gaudijs affluentem. tunc demum enim animus expletur omnibus latitijs, cùm te coram intuetur, atq; in aspectu iucundissimáque præsentia tua cõquiescit: semper enim in promptu habes, semper munifica manu largiris voluptates, latitias, incunditates.

ARGVM. PSAL. XVII.

Vir sanctus acerbissimè vexatus à Saule, & maximis angustiis pressus Deum implorat, vitæ suæ innocentiam commemorans, & inimicorum superbiã, crudelitatem animique impotentiam exagitans, tum summum bonum in contemplatione Dei constituendum esse admonens.

Oratio Dauid, Psalmus. XVII.

EXaudi domine iustitiam meam, intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam absque labijs dolosis.

A vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem.

Probasti cor meum, & visitasti nocte: examinasti me, & non inueniſti.

Quod cogitaui, non transiuit os meum, propter opera hominum, ob verbum labiorum tuorum ego obseruaui vias peruersorum.

Sustenta gressus meos in semitis tuis, vt non labantur vestigia mea.

Ego

Ego clamaui ad te, quoniam exaudisti me *Deus*, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me vt pupillam oculi.

Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me affligunt.

Inimici mei animam meam circundederunt, adipe suo clauserunt corpus suum, os eorum locutum est superbiam.

Gressus nostros nunc obsederũt, oculos suos posuerũt ad prosternendum me humi.

Similitudo eius quasi leonis desiderantis prædam, & quasi catuli leonis habitantis in abditis.

Exurge domine, præueni faciem eius, prosterne eum, eripe animã meam ab impio, qui est gladius tuus, ab hominibus, qui sunt manus tua.

Domine ab hominibus mundo addictis, quorum portio est in vita, quorum ventrẽ de absconditis tuis imples.

Saturantur filijs, & dimittunt reliquias suas paruulis suis.

Ego autem in iustitia contemplabor faciem tuam, satiaber, cùm euigilauero, specie tua.

EXPLANATIO.

Exaudi domine iustitiam meam. *Sic appellat iustam petitionem suam.*

Absque labijs dolosis. *Audi (inquit) propitius voces, quas ego puris labiis pronuncio, non aliter sentiens, atque loquor.*

A vultu tuo. *Id est, tu domine discepta causam meam, qui solus aequus es iudex.*

Visitasti nocte. *Tu (inquit) rebus aduersis sape ac sapius exploraſti animum meum, meq; ingentibus tenebris calamitatum circunfudisti, & quemadmodũ aurum igne explorant, sic mẽtem meam facibus erumnarum incendisti, neq; tamẽ me vnquam vidisti à recta via declinare aut iniquum aliquod facinus admittere, vel salutis tuẽda causa vel vt grauissimas iniurias vlciscerer, tametsi non semel acerbissimi hostis opprimendi facultas mihi oblata est.*

Quod cogitaui non transiuit os meum. *Criminabantur, Dauidem esse malitiosum, & fallacem, illumq; proditionis insimulabant: contrà ipse fretus innocentia sua praedicat coram Deo, se animo simplici esse, & ab omni simulatione alieno, quippe qui nunquam aliter loquatur ac sentit: sic interpretantur hunc locum periti ssimi linguae Hebraeae. Ego verò diligentius considerandum puto.*

Propter opera. *Non solùm (inquit) me ab omni scelere integrũ seruaui, sed etiam animad-*

uert

uertens, homines vulgò se vitiis cõtaminare, ob amorem & reuerẽtiam præceptionum tuarum, eorum vitam diligenter obseruabã, vt eos à maleficio deterrerem, & ad leges tuas seruandas, & colendas incitarem: sic ferè explanant hunc locum Chimis. & Abraham Esdra, & eleganter quidem, ni fallor.

Sustenta gressus meos in semitis tuis. *Prædicauerat innocẽtiam, & pietatem suã, itaque ne videretur quicquã harum rerum virtuti suæ insolenter arrogare, precatur Deũ vt vires, & appetitiones animi sui ita corroboret, ac confirmet, vt constantissimè perseueret in obseruatione legum diuinarum, quibus omnis pulchritudo virtutis continetur: significãs si quid ab ipso antea vel rectè cogitatũ est, vel honestè administratum, totum id attribuendũ misericordiæ Dei, qui mentẽ bonam donauit, vt recta conaretur: & vires, vt conatu perficeret.*

Mirifica misericordias tuas. *Fac (inquit) omnes admirẽtur magnitudinem misericordiæ, ac benignitatis tuæ, conseruando me ab impetu, & vi tyranni potentissimi.*

Similitudo eius. *Duæ sunt similitudines, quarum altera referenda est ad studium Saulis Dauidem cupidissimè quærentis ad necẽ: altera ad insidias, quas homo teterrimus illi comparabat.*

A resistentibus dexteræ tuæ. *Videbantur*

enim Deum impugnare, qui Dauidē impugnabāt, propterea quòd is erat chariſſimus Deo, et ab eo conſtitutus fuerat rex Hebræorum.

Adipe ſuo. *Sagina (inquit) os, & totum corpus oppleuerunt. Hæc verò eſt allegoria, qua literæ ſanctæ vti ſolent ad ſignificādam opum affluentiam, & vitæ proſperitatem: res autem ſecundas plerunque ſequitur arrogantia, & Dei hominumq; cōtemptus: quamobrem ſubiungit, os eorum locutum eſt ſuperbiam, ſimile eſt illud Moſis in Deuteronomio, incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.*

Qui eſt gladius tuus. *Hoc ea ratione dicitur quòd Deus impijs hominib⁹ pro armis vtatur ad puniendā ſcelera improborū, & ad virtutem piorum exercendam. Itaque apud Eſaiā, rex Aſſyriorum virga furoris Dei nominatur: eadem ratione eoſdem appellat manum Dei. Iobum imitatus qui dicit, ſe manu domini vapulaſſe, cùm tamen diabolus eum cecidiſſet. Sed Deus eo vſus erat tanquàm manu ad verberādum ſeruum ſuum.*

Ab hominibus mundo. *Eripe me inquam domine ab hominibus impijs, quorū cura omnis, & cogitatio infixa eſt in bonis huius vitæ fallacibus, et tēporarijs quibus abūdāt, in altera illa vitæ ſummā omniū rerum egeſtatē perpeſſuri.*

De

De absconditis tuis. *Amplificatione vtitur ad demõstrãdam prosperitatem impiorũ: itaq; dicit, eos circumfluere gẽmis, auro atque argento, quæ abscondita vocauit, quod terræ venis occultentur. Addit præterea eorum domos florere liberis: quibus relicturi sint opes, quæ libidini suæ, atque intemperantiæ supererint. Sic Eusebius Cæsariensis explanat hunc locum.*

Ego autem in iustitia. *Expleantur isti fallacibus bonis et celeriter interituris, ego certè in sanctitatem, & pietatẽ colens, ac solida illa & vera atque æterna bona consectans, cõtemplabor aliquando beatissimã faciem tuam & tunc demũm omnibus gaudijs, & voluptatibus cumulatus ero, cùm te coràm intuebor, & in suauissima pulcherrimi numinis tui contẽplatione conquiescam: quod mihi tandẽ tua benignitate continget cũ animus meus euolauerit è vinculis corporis, in quo tanquàm consopitus iacet, & in æternam illam domum tuam migrauerit.*

PARAPHRASIS.

AVdi omnium rerũ Domine iustam precationem meam, attende clamorem meum, aures adhibe ad voces, quas ego puris & castis labijs pronuncio, non aliter sentiens atque loquor.

Tu domine discepta aliquando tãdẽ causam meam qui solus æquus es iudex, & si mihi periculum capitis iniuria procreatum vides, facito innocẽtia mea, & omnibus declara: nihil aqui-

tate, & iustitia tibi sanctius & antiquius esse.

Tu quidē certè rebus aduersis sæpe ac sæpius exploraſti animum meum, meq; ingētibus tenebris calamitatum circunfudiſti, & quemadmodum aurum igne explorant, ſic mentem meā facibus ærumnarum incendiſti, neque tamen à recta via vnquam aberraui, aut iniquum aliquod facinus admiſi, vel ſalutis tuendæ cauſa, vel vt grauiſſimas iniurias vlciſcerer.

Quinetiam animaduertens homines vulgò ſeſe vitiis, & ſceleribus contaminare: ob amorem & reuerentiam præceptionum tuarum, ipſorum vitam diligenter obſeruo, vt eos à maleficio deterream, & ad leges tuas ſeruandas, & colendas inflammem.

Neque tamen quicquam harum rerum virtuti meæ inſolēter arrogo, ſed ſi quid in me boni & recti eſt, totum id attribuo benignitati tuæ, totū id eſſe tui muneris, lubentiſſimè confiteor. Itaque domine, corrobora vires & appetitiones animi mei, vt leges tuas cupidiſſimè ſequātur, & viam conficiant præceptorum tuorum: per quæ continēter ingrediantur neceſſe eſt, qui ad beatam vitam peruenire contendunt.

Ea ſpe confiſus domine, opem tuam imploro, quòd ſæpe calamitates meas ſubleuaſti, & nunc quæſo ſupplicis tui vocem in extremo periculo ne contemptam habe.

Fac, omnes admirentur magnitudinem, & pra

præstantiam benignitatis tuæ, si enim furorem potentissimi tyranni comprimas, & seruũ tuũ in media iã morte versantem eripias, quis tuã bonitatem non suspiciet? quis nõ excitabitur ad prædicandam prouidentiam tuam? & certè ea semper fuit liberalitas numinis tui, vt nũquam pios destitueres, nũquam violari sustineres, qui ad te suppliciter confugissent, & in præsidio tuo spes suas collocassent.

Non me domine, te potius impugnãt inimici mei, quem enim oleo tuo sancto consecrasti, quẽ regnũ populi tui obtinere voluisti, hunc crudeliter finibus patriæ exterminarunt, hunc per mõtes & deuios saltus prosequuntur, hunc quauis ratione vita priuare contendunt.

At tu domine custodi me tanquam pupillã, atque aciẽ oculi, & vt solicita auis protegit alis pullos suos: sic tu firmissimo tegumento misericordiæ tuæ muni salutem meam cõtra homines feros et immanes, qui me dispositis insidiis vallatum tenẽt, seq; magnificè ac superbè contra te, atque homines iactant, quam quidem arrogãtiam in animis eorum parit nimia vitæ prosperitas, atque opum, & omnium rerum affluentia, quam plerunque sequitur fastidium, & superbia, & Dei hominumq; contemptus.

Itaque nullo metu, aut religiõe deterriti huc illuc dies noctesq; cõcursant, atque hac vna in re oculis, & cogitatione intenti sunt, vt me cru-

deliter affligãt, & prosternant: iámque circumretitum tenent.

Ac velut ille leo stimulante fame per nemora, et mõtes cursu incitato rapitur ad prædam, interim catulus eius sese latibulo tegẽs oculis omnia collustrat, si qua sese offerat fera: sic truculentus hostis auidissimè necem meam appetens tum vi, tum fraude caput innocentis oppugnat.

Satis diu domine, data est tyranno scelerum impunitas, satis diu vexata est innocẽtia mea: iam quaeso deposita lenitate suscita iram tuam: iam præueni conatus impij ne perueniat ad scelera, quæ machinatur. Ille quidẽ furore inflammatus inuadit in me, at tu domine eum prosterne solo, et ferro de manibus extorto, eius impetũ frange. Eripe tandem vitam meã de ore & faucibus immanium belluarum, quibus tu pro manu & armis vti soles ad puniẽda maleficia improborum, & virtutes piorum exercendas.

Conserua me ab insidijs & violentia hominum perditorum, quorum animus rebus fragilibus, & caducis affixus est, atque istis bonis fugacibus & adumbratis saturatur, in altera illa vita summã omnium rerũ egestatem perpessurus.

Itaque nunc affluunt gemmis, auro, & cæteris opibus, & copijs, quæ intimo terræ sinu, & venis occultantur, & quod ab opulentis, & copiosis optatur in primis, eorum domus con-

tegib

fugibus & liberis floreant, quibus relinquant opes, qua libidini sua, atque intemperantiæ supererint.

Expleantur isti fallacibus bonis, & celeriter interituris: ego certè iustitiam & pietatẽ colẽs, & solida illa & vera, atque æterna bona conse ctans contemplabor aliquando beatissimam faciem tuã, & tunc demique omnibus gaudijs & voluptatibus cumulatus ero, cùm te coràm intuebor, & in suauissima pulcherrimi numinis tui contemplatione conquiescam: quod mihi tandem tua benignitate continget, cum plenè atq; perfectè excitaueris è somno scilicet animus noster paulatim expergiscitur, cùm illũ quàm maximè fieri potest à corpore, & sensibus abducimus, quorum voluptatibus si perfundatur, dulci illo quidem, sed pestifero somno consopitur, & noctem luci anteponit, & vanis bonorum simulachris delusus solida & expressa bona contẽnit. At qui animi quàm minimam cum corporibus societatem habuere, ij quotidie magis magisque vegetiores fiunt, & aptiores ad contemplationem rerum diuinarum, ad obseruandam & colẽdum Deum, ad mores ac studia, & actiones omnes ad eius voluntatẽ accommodandas, quæ cum gerũtur, tunc animus vigilat, tũc officio fungitur, seq; imagine diuina, quam gerit, dignum exhibet. His igitur curis & studijs exercitatus animus, tum demum plenè excita-

tur

tur è somno, cùm omni admixtione corporis liberatus planè syncerus & integer esse cœpit, et in æternum illam domum suam peruolat, vbi semper vigilant mentes illæ beatæ sempiterno æuo fruentes, summũ illum Deum & liquidò cernẽtes, & incredibili cum voluptate amantes, & perpetuis hymnis celebrantes.

ARGVM. PSAL. XVIII.

Hic hymnus tot figuris verborum, & sententiarum illuminatur, & cursu tam rabido incitatus fertur, vt si Latinus interpres, & numeros, & elegantiam sermonis Hebræi expressisset, nulla maior eloquentia requiri potuisse videatur. Eum cecinit Deo opt. max. Rex domi, bellique potentissimus, cum omnes hostes funditus deleuisset, & regno cõstituto placidissima pace frueretur. Itaque vrbium expugnationes, secunda prælia, nomen hostium ad internecionẽ redactum, quicquid denique omnibus bellis feliciter administratum est, id omne misericordiæ tribuit diuinæ, nihil præclarum, nihil memoria dignum sua virtute gestum esse prædicans, & omnes quidem exemplo suo ad iustitiam & pietatem adhortatur, demonstrans nulla arma, nullas copias, aut munitiones esse tam firmas, quàm religionis amorem, & perpetuam in recta viuendi ratione constantiam. Neque verò sumus ignari, in hoc hymno maxima mysteria inclusa esse, quæ magnis obscuritatibus circunfusa fuerunt, vt ab ipsorum aspectu oculi profanæ multitudinis arcerentur, quæ quidem mysteria apud Latinos Augustinus, apud Græcos Athanasius, Eusebius Cæsariensis, Dydimus atque alij graues in primis Theologi summa diligentia vestigauerunt. Sed nos, cum velimus eas res summatim attingere, ne ab ea explanandi ratione

tione discedamus, quam nobis proposuimus, Theodoretum, & Theodorum Antiochenum imitabimur, qui hæc omnia simplicius tractauerunt. Principio q̃ vir sanctus commemorat maximos terræ motus extitisse, & retecta fuisse fundamenta orbis terrarum, eam scito esse orationis exornationem, quã rhetores Græci ὑπερβολὴν: Latini Superlationem vocant, ea vtitur Dauid ad impetum, & vim iræ diuinæ exprimendum & amplificandum. Ad eundem modũ Deus apud Esaiã, cœlũ, inquit, turbabo, & conquassabitur terra propter indignationẽ domini exercituum: quem locum Hieron. explanans ait: hanc esse superlationẽ, qua vehementissimã irã Dei vates sanctus exaggeret. Cum verò Deum de cælo descendẽtem facit, eam rẽ ad prouidentiã eius declarandam pertinere intelligito bonos tuentẽ, improbos vlciscẽtem. Sic in Genesi scriptum est, descendisse de cœlo dominũ vt inspiceret vrbẽ, & turrẽ, quã ædificabãt homines stulti & arrogãtes, & in eodẽ li. dominus ait: Descendam, & videbo, num ea vera sint, quæ ad aures meas peruenerũt. Quod deum volantẽ inducit, alisq; ventorum & pẽnigeris cælitibus insidentẽ, id quidem incredibilem diuinæ mentis pernicitatem indicat, id est vim omnia penetrantem, vim vbique præsentem, & omnia cælo, terra, mariq; perlustrantem. Caligo autem, & tenebræ domicilio Dei offusæ significant, nullam mentis aciem esse tam acutã & perspicacem, quæ illum possit intueri: eiusq; naturam nulla ratione aut cogitatione comprehendi posse. Itaque cùm Deus veniret ad Mosem, leges daturus Hebræis, memoriæ proditum est, nube densissima obductum fuisse montem Horebum: & cum Salomõ templum illud augustissimum dedicaret, Deo aduentante nebulæ omnia oppleuerunt. Cum verò Dauid grandinem, & sagittas, & ignem commemorat, intelligere vult pœnas & grauissima supplicia

cia, quæ Deus infligit hominibus sceleratis & impiis. Huius exornationis cum alia multa exempla sunt in hoc diuino poemate, tum illud: Ignis, sulphur, & vis procellarum, merces debita sceleribus eorum. Vt Isaias, cum minatur excisionem Hierosolymis, sic inquit: In hanc ciuitatem rex cælestium inuadet cum tonitruis, & terræ motu, & horrifico sonitu procellarum & tempestatis, & cum flamma ignis omnia deuorantis. Denique ne longum faciã, cum Dauid alio loco precatur à Deo vt de medio tollat inimicos suos, iisdem & sententiis, & ornamentis vtitur ad hunc modum: Domine, inclina cælum & descende, tange montes, & fumabunt: iace fulmina & disice impios, mitte sagittas & perime illos: dimitte manum ex alto & libera me, & vitam meam de tantis fluctibus extrahe, de manibus exterarum gentium eripe me. His breuiter explicatis, ne illud quidem prætermittendum esse duco, in qua parte hymni vir sanctus commemorat, se populi seditionibus liberatum, & potitum esse imperio gentium externarum, eam partem sic explanauisse omnes Theologos antiquos, vt dicerent, Dauidem iis versibus cecinisse imperium Christi, quem pater omniũ nationum regem & dominum constituit. Id enim cuiq; pio & Christiano persuasum esse oportet, hunc excellentissimum vatem non solum multa de Christi ortu atque obitu, & rebus gestis diuinitus prædixisse: sed etiam moribus & factis eundem multis in rebus repræsentasse suorum temporum hominibus, atq; ob eam causam sæpenumero sub eius persona, quam exprimebat, in suis carminibus locutum esse. Itaque tanquàm Christus Deus loquatur, sic breuiter & strictim interpretemur hanc partem. Is quidem ab iniuriis & oppugnatione populi liberatus est, cum à patre ad vitam reuocatus fuit immortalem, neq; iam furor nationis ingratissimæ

quic

quicquam ei nocere poterat. Idem constitutus est gẽtium rex, cum illi ad vitam redeunti pater imperium dedit omnium terrarum, qua de re in secundo hymno satis explicatum est. Quòd verò dicitur: Populus, quem non cognoram, seruiuit mihi, id congruit cum illa vaticinatione Isaiæ: Ecce gentem quam ignorabas, vocabis: & gentes, quæ te non cognouerant, ad te current. Non cognoscebat autem dominus olim gentes, id est cultores falsorum Deorum, propterea quòd ab iis ipse ignorabatur, nam Dei cognitione ii soli digni sunt, qui eum religiosè colunt, & piè sancteq; venerantur: quocirca scriptum est in epistol. Pauli, Deum suos nosse: at in Euang. Discedite à me, inquit, homines conscelerati, nunquam noui vos. Itaq; cum falsorum Deorum cultores repudiata superstitione ad veram pietatem animum applicuissent, seq; imperio Christi libentissimis animis subiecissent, cogniti sunt ab eo, & fratrum loco numerati, & ipsi quidem sola fama, & auditione, perducti sunt ad syncerum & purum Dei cultum, plenissimamq; sanctitatis religionem: quippe qui neq; Christum Deum in terris versantem vnquam viderant, neq; prodigiis & mirabilibus illis facinoribus interfuerant, quæ is in terra Iudæa plurima ediderat, sed Apostolorum verbis fidem habuerunt, & quem summis cruciatibus necatum audiebant, Dei filium esse crediderunt. At Hebræi, qui Deo charissimi erant, & ab eo filij appellabantur, mentiti sunt Christo. quem enim venturum expectabant, & summo studio & gratulatione se amplexuros præ se ferebant, eum, postea quàm venit, vexauerunt, & ad extremum acerbissimè excruciatum necauerunt. Itaq; meritò, ac iure filii alieni nominantur: quippe non iam filii Dei, sed diaboli, vt scriptum est in Euangel. Ioannis. Hoc idem queritur Christus apud Esaiam his verbis: Filios alui, & maximis

bono

honoribus affeci, ij verò, sprouerunt me. Cognoscit bos dominum suum, asinus præsepe domini cognoscit: at populus meus nihil intelligit. Ij, filij virtutibus, & præclaris illis animi viribus defecti, & tanquam senio cõfecti sunt, propterea quòd in veteribus illis cæremoniis, & legibus obstinato, & contumaci animo permanserunt, neque novum hominem, vt verbis vtar Pauli, induere voluerunt. Ex eo factum est, vt in maximas miserias inciderent, atq; ab exercitu pop. Rom. obsiderentur, à quibus ad extremum capti, cæsi, & in seruitutem acerbissimam abducti fuerunt: neque hodie gẽs vlla viuit abiectior Iudæis, aut calamitosior.

Victori Dauid serui Domini, qui locutus est Domino verba cãtici huius in die, qua liberauit eum dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saulis, & dixit.

Psalmus. XVIII.

DIligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum.

Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

Laudans inuocaui dominum, & ab inimicis meis saluus fui.

Circundederũt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.

In

In tribulatione mea inuocaui dominum, & ad Deum meum clamaui.

Et exaudiuit de templo sancto suo voce meam, & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius.

Et cõmota est, & contremuit terra, fundamenta montiũ conturbata sunt, & commota sunt, quoniam ipse iratus erat.

Ascendit fumus è naribus eius, & ignis ex ore eius deuorans, carbones succensi sunt ab eo.

Inclinauit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.

Et equitauit super Cherub, & volauit, volauit super pennas ventorum.

Et posuit tenebras latibulum suum, & in circuitu tabernaculi eius erat obscuritas aquarum, & densitas nubium.

Præ fulgore in conspectu eius nubes transierant, grando, & carbones ignis.

Et intonuit de cœlo dominus, & altissimus dedit vocem suam, grando, & carbones ignis.

Et misit sagittas suas, & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

Et apparuerunt profunda aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum.

Ab increpatione tua domine, à flatu spiritus iræ tuæ.

Misit me de alto: & accepit me, & assum psit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab ijs qui oderunt me, quoniam robustio res erant me.

Præuenerant me in die afflictionis meæ, & factus est dominus protector meus.

Et duxit me in latitudinem, saluum me fecit, quoniam diligit me.

Et retribuit mihi dominus secundum iu stitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum tribuit mihi.

Quia custodiui vias domini, neque impius defeci à Deo.

Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, & præcepta eius non repuli à me.

Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea.

Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.

Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.

Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.

Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.

Quo

Quoniã tu illuminas lucernã meã domine, Deus meus illuminauit tenebras meas.

Quoniam per te acies hostium fregi, & per Deum meum transiliui murum.

Deus meus, impolluta via eius: eloquia domini igne examinata, protector est omnium sperantium in se.

Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis est fortis præter Deum nostrum?

Deus, qui præcinxit me fortitudine, & posuit immaculatam viam meam.

Qui effecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuit me.

Qui docet manus meas ad prælium, contritus est arcus æreus brachiis meis.

Et dedisti mihi protectionẽ salutis tuæ, & dextera tua sustẽtauit me, & benignitas tua auxit me.

Dilatasti gressus meos subtus me, & nõ sunt infirmata vestigia mea.

Persecutus sum inimicos meos, & comprehendi illos, & non reuersus sum, donec consumerem eos.

Vulneraui illos, nec potuerunt surgere, ceciderunt ante pedes meos.

Et præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.

Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret: ad Dominum, nec exaudiuit eos.

Et comminui eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum attriui eos.

Eripuiſti me de contradictionibus populi, conſtituiſti ime in caput gentium.

Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.

Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & expauerunt incluſi munitionibus ſuis.

Viuat Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ.

Deus, qui dat vindictas mihi, & ſubdit populos ſub me, liberator meus de inimicis meis.

Et ab inſurgentibus in me exaltauit me, à viro iniquo eripuit me.

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, nomini tuo pſalmum dicam.

Deus magnam ſalutem facit regi ſuo, & facit miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſæculum.

EXPLANATIO.

Cornu ſalutis meę. *Sic appellat Deum, propterea quòd ipſius ope, atq; auxilio ſalutem retinuerat. Tranſlatio ſumpta eſt ab ijs animalibus quæ cornibus ſeſe tuentur.*

Et

Et torrentes iniquitatis. *Id est, incursiones hostium more torrentium incitatæ.*

Dolores inferni. *Qui scilicet vitam auferunt, & ad inferos trahunt.*

Præoccupauerunt me laquei mortis. *Ita vocat insidias inimicorum, quibus tã subitò opprimebatur, vt spatium deliberãdi, & euadendi non haberet.*

Commota est & contremuit terra. *Quòd ait mõtes intremuisse, & terra desidente aquarũ profundas, id est, intimas venas apparuisse, & retecta esse fundamẽta orbis terrarum, eam esse hyperbolem intelligito, qua vtitur ad vim et impetum iræ diuinæ exprimẽdũ, atque amplificandum. Cum verò Deum de cælo descendẽtẽ facit, ea res ad prouidentiam eius referenda est, bonos tuentẽ, et improbos vleiscentem. Quòd illũ volantem inducit, & penniger is cælitibus, aliſq; ventorum insidentem, id quidẽ incredibilem diuinæ mẽtis celeritatem significat, hoc est, vim omnia penetrantem, vim vbique præsentem, & cũcta cælo, terra, mariq; perlustrantem. Cùm verò grandinem & sagittas, et ignẽ commemorat, intelligi vult pœnas, et supplicia, quæ Deus infligit hominibus sceleratis, & impijs. Hæc autem nunc strictim attingimus, propterea quòd satis fusè in nostra paraphrasi ea omnia persecuti simus.*

Posuit tenebras. *Deus habitat lucem inac-*

ceſſam, vt ait diuus Paulus. Itaque rectè lux tabernaculum eius intelligitur, vt sentiunt Theodoretus, & Theodorus Antiochenus. Hinc quidem tabernaculo circunfudit Deus tenebras, et caliginem deſcẽſurus in terras: quod quidem ſignificat, nullam mentis aciem eſſe tam acutã, aut perſpicacem, quæ Deum poſſit intueri, eiuſque naturam nulla ratione, aut cogitatione comprehendi poſſe.

Præfulgore. *Præfulgore (inquit) fulgurũ micãtium obſcuritas nebularum diſſolnebatur.*

Miſit de alto. *Demiſſa (inquit) manu extraxit me ex profundis gurgitibus calamitatum, quæ me iam obruerãt ſcimus enim aquas in literis ſanctis pro periculis & rebus aduerſis appellari.*

Præuenerant me. *Id eſt, incautum oppreſſerant temporibus difficillimis, vt nulla elabendi ſpes oſtenderetur.*

Et ſecundùm puritatem manuum mearum. *Ita vocat innocẽtiam vitæ: manus enim in literis ſanctis pro actionibus ſæpe appellãtur. Quòd verò in prædicãdis benefactis ſuis nonnihil commoretur, non id profectò vir ſanctus facit cupiditate gloriæ elatus, ſed vt cæteros accendat ad ſtudium religionis & honeſtatis, vt videant tanta præmia propoſita eſſe virtuti. Verùm illud enim aduertere oportet, hæc omnia, quæ Dauid commemorat de iuſtitia, et integritate*

tate sua, referenda esse ad conatum & studium mentis, vitia & peccata summopere detestãtis, atque omni cogitatione in eam curã incumbentis, vt sese castam, & ab omni labe integrã, puramque seruaret, licet autẽ vir sanctus & ipse per impudentiam, & infirmitatem animi multa committeret, quæ minus recta forẽt, non tamen ob eam causam iustus esse desinebat: nam humilis, & mœrens confugiebat ad misericordiam Dei, qui veniam pœnitenti dabat, summa benignitate illi cunctã errata condonans.

Et cauebo ab iniquitate mea. *Id est, ab ijs peccatis, quæ olim admisi, peccauerat autẽ grauissimè, cùm & Bersabeæ stuprum, & eius mariti mortem obtulisset. Quid verò, si iniquitatẽ appellet peccatum illud, quod (vt verbis vtar Pauli) in carne ipsius habitabat? id est, vim illam naturæ corruptelæ, à quæ nisi summa diligentia cauent etiã viri sancti, in maxima scelera, & flagitia impelluntur, cuius rei testis est, cædes teterrima Vriæ, & stuprum vxoris eius illatũ, de quibus maleficijs paulò antè mentionẽ fecimus.*

Cum sancto sanctus eris. *Dixerat, Deum remuneraturum esse iustitiam suam, ad id confirmandum hanc sententiã interponit, quæ ex vim habet, vt diuus Athanasius, & Theodoretus sentiũt, qualẽ quisque se gesserit, talem aduersus quemque Deum futurum, qui igitur in*

stitiã, & pietatẽ coluerit, cum maximis munẽribus afficiet Deus: quem verò peruersitas morum, & opinionũ à recta viuendi ratione auerterit, in eum Deus seuerus, atq; acerbus existet, eumq; nisi resipuerit, omni iudicio veri spoliatũ amentẽ, & cæcum permittet potestati turpissimarum libidinum & cupiditatum: vt qui pulchritudinem virtutis adamare noluit, in sordibus, et luto Vitiorum volutetur, qua quidem de re multa diuus Paulus in epistola, quam scribit ad Romanos. Illud itẽ scire oportet, qualis quisque sit, talem cuique Deum videri, vt enim de illo vir bonus bene sentit, ita improbus malè. Alter existimat, humanũ genus à Deo summa iustitia regi, gubernariq;, nihil ab illo nõ ritè, non sanctè, non sapienter administrari. Alter aut Deum res humanas curare nẽ credit, aut illius administrationẽ iniustitiæ, ac temeritatis nomine cõdẽnat. Ita fit vt Deus sancto sanctus, et peruerso peruersus existat, id est, vt qualis cuiusque animus est, talis cuique de diuino numine sensus sit. Quòd si de illo rectè, ac piè sentias, simul cæleste instinctũ, afflatumque salutarem sentis animum tuum ad omnia pietatis officia impellentẽ: sinautẽ peruersè ac impiè, vim vltricẽ experiris, oculos mentis excæcantem, téque præcipitem in scelera, & flagitia pro eo, ac tua meretur impietas, agentem. Ex qua quidem re fit, vt quemadmodum sanctitas, & innocentia

piorum

piorum crescit in dies, ita impiorũ animus quotidie magis ac magis inquinetur, ac sordeat: & quem locũ Deus apud vnumquemque obtinet, eo loco & numero apud Deũ vnusquisque sit. At qui summum rectorem, ac Dominum ritè veneratur et colit, deq; eius vi, et numine vera sentit, is gratias immortales agat misericordiæ ipsius, qui solus ex omnibus rectas opiniones animis inserit, illosq; desiderio atq; amore pietatis accendit. Ex ijs quæ breuiter à nobis dicta sunt, facilè, vt arbitror, intelligi potest, quibus rationibus adductus Dauid pronuntiauerit Deum cum sancto sanctum, cum peruerso peruersum existere.

Quoniam tu illuminas. *Tenebræ sunt calamitates, lux accẽsa est periculorũ depulsio, & malorũ finis, quæ quidẽ translatio est frequens in literis sanctis: sed etiã sua cuique mens lucerna est, quam nisi lux cælestis illuminet, semper in maximis errorum tenebris vita versatur.*

Quoniam per te. *Id est auxilio tuo & copias hostium deleui, & eorum oppida, et vrbes expugnaui.*

Deus meus impolluta via eius. *Ideo, quicquid agit Dominus, rectũ, simplex, iustum, & sanctum est, sic alio loco, Deus in sanctitate via tua, item, Iustus Dominus in omnibus vijs suis.*

Eloquia Domini igne examinata. *Id est syncera, et ab omni admixtione falsitatis pura*

hæc enim est orationis exornatio ducta ab auro, & argento, quæ igne purgantur.

Et super excelsa. *Significat se diuino auxilio quamlibet præceptas loca, & castella munita expugnauisse.*

Et contritus est. *Id est, & viribus meis fracta sunt opes inimicorum, qui vix vllatione superari posse videbantur.*

Et inimicos dedisti mihi dorsum. *Id est, per te factum est, & hostes mihi terga darent, seque fuga perterriti mandarent.*

Eripuisti me de contradictionibus. *Id est, de seditionibus, & rebellione populariũ meorum, à quibus acerbissimè exagitatus fui.*

Constituisti me. *Deus enim eius imperio subiecit Ammonitas, Syros, Moabitas, Palæstinos, aliasque nationes.*

Populus quem non cognoui. *Id est, exteræ gentes & alienigenæ.*

In auditu auris. *Id est, fama nominis mei permotus ad fidem meam confugit.*

Filij alieni mentiti sunt mihi. *Vir sanctus in Psal. 66. ait, Dicite Deo, quã terribilia sunt opera tua Domine, propter multitudinẽ virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui, quem locum Græci sic explanãt, falsorum Deorum cultores magnitudine operum diuinorum territos, pietatem & cultũ veri Dei simulaturos, à quo maximè abhorrebant. Eodem modo Dauid hoc loco*

à cit,

dicit, alienigenas sibi mentitos esse, propterea quòd bello domiti coacti sunt speciem præ se ferre beneuolentiæ, & voluntariæ seruitutis, cùm tamen inimicissimos animos gererent.

Filij alieni inueterati sunt. *Id est, debilitati, & fracti, vt iam nobis obsistere non possint.*

Et expauerunt *Id est, quãuis mœnibus, & munitionibus septi, formidauerunt opes meas.*

Viuat Dominus. *Hæc est tanquam orationis conclusio, quæ summã totius hymni breuiter colligit. Quòd autem dixit, Viuat Dominus, videtur esse ea vox gratias agentis, & ob victoriæ gratulationem more militũ omantis. Neque tamen ignoramus, plerosque ex Hebræo vertisse, Viuit Dominus: quæ quidem est formula iurandi apud Hebræos.*

Propterea confitebor. *Id est, cùm igitur tanta sunt tua erga me beneficia, et merita, immortales tibi gratias semper agam: quinetiam tempus erit, cùm laudes tuas inter omnes exteras nationes prædicabo, quod sanè perfectũ videmus, cũ multa iam sæcula hymni Dauidis toto terrarum orbe decantentur.*

Deus magnam salutem. *Deus (inquit) nõ solùm me conseruat, & ab omnibus inimicorũ iniurijs tuetur, ac defendit, verùm etiam illustrem, & apud omnes glorioſam hanc salutem effecit: neque salutis, et laudis meæ tantùm rationem habet, sed etiã posteris meis pro sua sin-*

gul

gulari misericordia consulit, & prouidet, vt eorum decus et gloria sit immortalis, quod planè falsum esset, nisi hoc ad Iesum Deum referremus, qui in Dauidis familia natus est, & regnat in perpetuum.

PARAPHRASIS.

Diligam te semper toto animo potentissime mūdi rector & Domine, & sanctissimū numē tuū quanta maxima potero pietate semper venerabor & colā: neque tamen pares benignitati tuæ gratias agere, & habere, sed ne partem quidem vllam tuorū meritorum satis cogitare, atque animo comprehendere vnquam potero. Tu enim & fortitudinē mihi, & firmitatem animi præstas, tu te mihi tanquam arx inexpugnabilis, tutum perfugium præbes, tu me de omnibus periculorum casibus eripis, te semper pro salute et dignitate mea propugnātē habeo.

Scilicet ego semper summa pietate colui Dominum, & ille inuocantem, & auxilium suum suppliciter implorantem semper audiuit, & omnium descriminum, periculorumq; meorum fidissimus comes fuit.

Iam mortis angustijs vndique premebar, & incursiones hostium more torrentium aquarum incitatæ me examinauerāt, iam vincula mortis me circūplicarant, & insidijs inimicorum tam subitò oppressus fueram, vt potestas euadendi nulla foret.

Itaque

Itaque cùm in tantis calamitatibus iacerẽ, fidenter ad Domini misericordiã cõfugi, neque fiduciam meã spes fefellit, ille enim clamore invocantis audito, exiluit inflãmatus iracundia, sagittis acutissimis, et fulminibus armatus exiluit, exiliente illo omnia terrarum sola terribili terræ motu conquassata sunt, & montes omnibus gentium oris contremuerunt.

Vomebat ille naribus atram nebulã turbine fumantem piceo, & candente fauilla, totoq; ardentes ab ore scintillæ absistebant, oculis micabat acribus ignis.

Inclinauit cœlum, & descendit, caligo tetra subter pedes eius longè, lateq; sese diffundebat.

Volabat ille per aëra immensum inuectus pẽnigeris cœlitibus, aliisque ventorum.

Prætorio suo densissimos imbres, nimbosque nigerrimos circundederat.

Sed tenebras illas cæcas fulgor ignium micantium discutiebat, grandine, procellis, fulguribusq; omnia miscebantur.

Intonuit Deus, & totum cœlum tremefecit: celsissimus ille rex horribili clamore increpuit hostes meos grandine, procellis, fulguribusq; omnia miscebantur.

Ingenti fulminum & sagittarumque missa campos strauit corporibus impiorum.

Spiritus ardẽs, quem summe pater naribus efflabas iratus, et flumina, et fontes, & maria

sicca-

ſiccabat, & fundamenta omnium terrarum retegebat.

Demiſſa de cœlo manus extraxit me ex profundis gorgitibus calamitatum, quibus abſorbebar, vitã meam ille de manibus potentiſſimorum hominum eripuit, atq; ſeruauit, et quò illi violentiores erãt, hoc ipſe acrius pugnauit pro ſalute ac dignitate mea.

Incautum oppreſſerant temporibus difficillimis: vt nulla elabendi ſpes oſtenderetur: ſed & Dominus preſtò fuit, qui me præſidio ſuo cõfirmaret, neque vi & impetu inimicorum proſterni pateretur, cumque maximis periculorũ angu ſtijs premerer, is vitã mihi lætiſſimam muniuit, meq; in tuto, et tranquillo collocauit, propterea quòd me amat, chariſſimumque habet.

Pulcherrima præmia perſoluit integritati meæ, & puritatẽ animi mei maximis muneribus affecit, quandoquidẽ ſanctiſſima præcepta eius diligenter obſeruo, neq; vnquã ea ſum elatus arrogãtia, vt deficere à Deo meo, quinimò ſemper oculos animi defixos habeo in legibus eius, vt quicquid ago et loquor, et cogito, ad earum regulam & normam dirigam: & vitam quidem mihi eripi quàm obſeruationem malo.

Itaque ſemper illi adhærebo integrũ me & ab omni vitiorum labe ſyncerũ, purumque conſeruans, meq; ab omni maleficio diligentiſſimè temperabo: & cũ ita me geſſero, Dominus ma-

gna

gna liberalitate prosequetur innocentiam & puritatem meam, quæ certè clam illum esse non potest, quippe cuius oculis subiecta sunt omnia.

Nimirum qualem quisque se gerit, talis Domine aduersus quemque es. Vt enim iustitiã & pietatem colentibus ampliſsima præmia pro virtute & sanctitate persoluis, sic quẽ peruersitas morum à recta viuendi ratione auerterit, in eũ seuerus & acerbus existis: gratiam ei referens quam debes.

Itaque populum humilem, afflictum & iacẽtem extuliſti, animos autẽ & ſpiritus superborum ſeſe efferentium depreſsiſti.

Per te Domine omnium malorum caligine, & tenebris depulſis lucem reſpicere, ac liberum & tranquillum ſpiritum ducere cœpimus.

Per te copias innumerabiles hoſtium deleuimus, & eorum oppida, & vrbes munitiſsimas expugnauimus.

Quicquid agit Dominus, quicquid molitur, rectum, ſimplex, iuſtum, & ſanctum eſt. Verba Domini ſyncera ſunt, & caſta, & ab omni admixtione falſitatis pura. Ille miſericordia ſua tãquam firmiſsimo clypeo protegit, omnes quicunque confidunt benignitati ſuæ.

Quis Deus præter Dominum? quis fortis & vehemens bellator præter Deum noſtrum?

Ipſe eſt ille Deus, qui vires & fortitudinem mihi præſtitit, vt res aſperas magno & inuicto animo

animo sustinerem, & copias hostium secundis prælijs frangerem, & domarem, ipse perficit, vt omnis vitæ meæ ratio casta sit, & ab omni sceleris labe integra & pura: per illum consecutus sum, vt ceruos pernicitate superarem, & quamlibet præruptæ loca, & castella hostium munita expugnarem.

Tu me scientia rei militaris instruis, atq; ornas, per te compressi & fregi maximas opes hostium, qui vix vlla ratione vinci posse videbantur, ope tua semper defensa, & cõseruata est salus mea, & cùm fractus pondere calamitatum iam iámque procũberem, misericordia tua non modò sustẽtauit me, sed etiã opibus, gloria, dignitate, bonis denique omnibus auxit & ornauit.

Quoties in eas angustias incideram, vt iam non haberem, vbi vestigium facerem, nullâque fugiendæ mortis spes ostenderetur, nisi tu miseratus incommoda mea laboranti succurrisses: toties tu Domine viã pedibus meis latã effeciſti, tu me in tuto & tranquillo collocasti, & trantũ roboris & firmitatis addidisti, vt nulla vis inimicorum posset me prosternere.

Quinetiam nixus ope tua illos in fugã præcipites dedi, fugerunt, sed non euaserunt manus meas, illos ego ad vnũ concidi, & cum gente & nomine funditus deleui.

Cæcidi eos, nec potuerunt obsistere: abiecti, prostrati, meis q; viribus fracti iacuerũt omnes

qui

quicunque bellum mihi facere conati sunt.

Per te factum est domine, vt hostes mihi terga darent, séque fugæ metu perterriti mandarent, & occisione occiderentur.

Vociferabantur illi quidē, sed nemo subsidio veniebat, implorabāt dominum, sed ille oculos & aures auerterat.

Vt puluerem dissipat vētus, vt lutum platearum populus conculcat: sic hostium copias protrui ego, sic omnes ad vnum disieci, dissipauique.

Liberasti me tādem seditionibus popularium meorum, à quibus acerbissimè exagitatus sum, imperio meo subiecisti Palæstinos, aliasque finitimas nationes.

Exteræ gentes sese mihi dediderunt: & fama nominis mei permotæ ad fidē meā confugerunt.

Alienigenæ bello domiti coacti sunt speciem præ se ferre benevolētiæ, & voluntariæ seruitutis, quanquàm inimicissimos animos gerebant.

Alienigenæ debilitati & fracti sunt, vt iam mihi obsistere non possint: & quamuis mœnibus & munitionibus septi formidant opes meas.

Viuat dominus, propugnator & seruator meus ab omnibus gentibus augustè sanctéque colatur, & venerabile nomen eius hymnis celebretur.

Dominus iniurias meas persecutus atque vltus est, dominus imperium meum lōgè latéque propagauit, dominus eripuit vitam meam ex

ore & faucibus immanium barbarorũ: & quò magis illi me deprimere conati sunt, hoc magis ipse gloriã & opes meas extulit, idemq; à tyrãno importuno & violẽto salutẽ meã tutatus est.

Cùm itaq; domine tanta sint tua erga me beneficia, immortales tibi gratias semper agã, quin etiã tempus erit, cùm laudes tuas inter exteras nationes prædicabo, atque hymni mei, omnibus omnium gentium templis celebrabuntur.

Tu domine non me conseruas modò, & ab omnibus inimicorum iniurijs defendis, verùm etiam illustrem, & apud omnes glorioſam hãc sanutem efficis: neq; salutis & laudis meæ solũ rationem habes, sed etiam posteris meis pro tuæ singulari misericordia consulis & prouides, vt eorum decus & gloria sit immortalis.

ARGV. PSAL. XIX.

Ea est rerum naturæ pulchritudo, tamq; admirabilis ordo, & disposito, vt nemo tã barbarus sit, aut à natura tam malé informatus, quin rerũ excellentiam contemplans possit ad notitiã Dei, cogitatione perduci. Ab his naturæ principiis orta est lex, quæ omnibus gentibus suaderet religionẽ, & iustitiam, cæteraſque virtutes, quibus societas humani generis continetur: eamq; legem summus pater in animis omnium mortalium ita inscripsit, vt nemo diuinæ religionis, & humani officij rationem negligens possit excusatione erroris, & ignorantiæ vitium & impietatem suam tegere. Sed cũ mortales paulatim spatio temporis falsis opinionibus depraua-

ti in maximos errores incidissent, & quem soli

Deo

Deo cultum,& honorem tribuere debebãt,non solum hominibus,sed etiam bestijs,& lapidibus alijsque rebus inanimatis adhibuissent,selegit Deus nationem sibi à qua pie,sancteq; coleretur,eique per Mosem cæremonias,ritusque sacrorum,& viuendi iura præscripsit.Et hæc quidem lex scripta,superior verò illa naturæ lex ab omnibus appellata est.Itaque vir sanctus hoc hymno cognitionem Dei,quæ percipitur ex vtraque intelligendi ratione,ex contemplatione scilicet rerum naturalium,& ex studio sanctarum literarum.

Victori,Psalmus Dauid. xix.

COeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ,neque sermones, quibus non audiantur voces eorum.

In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Soli posuit tabernaculum in eis, & ipse tanquã sponsus procedens de thalamo suo.

Exultauit vt gigas ad currendam viam: ab extremo cœlo egressio eius.

Et recursus eius vsque ad extremum eius: nec est qui se abscondat a calore eius.

Lex domini immaculata conuertens animas,testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis.

Mandata domini recta, lætificantia co

præceptum domini lucidum, illuminans oculos.

Timor domini sanctus, permanet in sæculum sæculi, iudicia domini vera, iustificata simul.

Desiderabilia super aurum, & lapidem precioſum multum, & dulciora super mel, & fauum.

Etiam seruus tuus admonetur per ea, in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelliget? ab occultis munda me, & à superbiis prohibe seruum tuum.

Ne dominentur mihi, tunc immaculatus ero, & purus à scelere grandi.

Sint accepta eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adiutor meus, & redemptor meus.

EXPLANATIO.

Cæli enarrant. *Significat ijs verbis, vnũquemque ex cœlestium rerum contemplatione facilè peruenire ad notitiã Dei.*

Dies diei. *Si quis diem diei comparet, & noctem nocti, eorumque vicissitudines, ac certũ ordinẽ perpetuãque constantiam animaduertat, facilè perspicit, tãtorum operum laudẽ fortunæ ac temeritati non esse tribuendã, sed aliquem præesse, qui hæc omnia summa sapientia moderetur, atque conseruet. Hoc modo inter*

pre

pretantur hunc versiculum apud nostros Eusebius Cæsariensis, et apud Hebræos Salomon explanator illustris.

Nō sunt loquelæ. Significat ijs verbis, nullam nationem esse tam immanem & barbarā, quæ cælestium rerum excellentiam contemplās non possit ad notitiam Dei cogitatione perduci. Sed Symmachus, vt refert Theodoretus, ita vertit hunc versiculum ex Hebræo, Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces: neque dissentit à Symmacho apud Græcos illa, quæ nominatur editio Vulgata. Quòd verò subiungitur, In omnem terram exiuit sonus eorum, fidelius Aquila vertit ex Hebræo ὁ κανὼν αὐτῶν, id est regula eorum: est autem sensus, hæc opera mirabilia nequaquam ritu mortalium loqui, aut vllam vocem humanam emittere, quæ ad omnes terrarum oras pertingere non potest, sed orationem eorum vel grauissimam esse immutabilem ordinem, & dispositionem, & structuram tanquàm ad regulam factam, & lineam respondentem: quæ eorum oratio cunctis terrarum finibus exauditur, & vniuersos mortales ad cultum, & venerationem Dei mirabiliter accendit, & quoniam earum rerum, quæ aspectu sentiuntur, nihil est tam præclarum, tàmque diuinum, quódque homines tanta admiratione afficiat, quàm sol: propterea eius vim & naturam potissimùm considerandam

proponit, quò magis eluceat sapientia Dei, tãti operis & muneris effectrix.

Et ipse tanquàm sponsus. *Pulchritudinem solis comparat sponso, vim & impetum gigãti.*

Ab extremo cœlo. *Egreditur enim Sol ab extremo oriente, & incitatissima cœli stellifera conuersione fertur ad extremum occidentem.*

Lex domini. *Satis erat tantarum rerum aspectus, & contemplatio, vt earum effectorẽ & moderatorem agnosceremus Deum: ea tamen fuit benignitas Dei, vt ad hanc præclarã intelligendi rationem adderet etiam leges suis manibus scriptas, quibus homines errantes ad viam veritatis reuocaret, atque animos à prua consuetudine ad honestas vitæ rationes conuerteret. Eas leges vir sanctus varijs nominibus vocat, vt etiam Moses facit.*

Testimonia domini. *Leges Dei sic appellat, ex eo, quòd ille per has testificatus est, quid exigat à nobis. Eadem, ait, cognitionem rerum diuinarum tradere paruulis, id est, animis simplicibus, séque summissè gerentibus: quoniam nullus est sapientiæ locus in hominibus impuris & superbis.*

Timor domini sanctus. *Sic nominat leges diuinas, propterea quòd illæ mentes religione sancta imbuunt, atque in hominibus pijs timorem pariunt castum & syncerum, qualis solet esse optimi filij aduersus optimos parentes: eum*

Gra

Græci vocant, εὐλάβειαν, nos reuerentiam poſſumus ritè nominare.

Iuſtificata ſimul. *Id eſt, omnia ſunt pariter æqua & iuſta.*

Delicta quis intelliget? *Dixi (inquit) obſeruãtibus leges diuinas magna præmia, & dona eſſe propoſita: ſed quis attendẽs infirmitatẽ humanam, & quã multa peccemus inſcientes, quorum tamen luenda pœna ſit, niſi Deus illa cõdonet imbecillitati noſtræ quis hæc animaduertẽs audeat affirmare, ſe nulla in re violare præcepta domini? An eſt aliquis, qui poſſit errata cũcta animaduertere? qui in tantis tenebris nihil offendat? quem vitium ſpecie virtutis aliquando non fallat?*

Et à ſuperbijs prohibe ſeruum tuum. *Illa verò in primis eſt deteſtabilis, atq; intoleranda ſuperbia, & importunitas, ſi quis exiſtimat ſeipſum ita obſeruantẽ eſſe legũ diuinarũ, vt ſeſe ab omni peccato temperet, neque aliquid committat, quod aliquo ſupplicio vindicandum ſit.*

Et purus à ſcelere grandi. *Superbia enim fons, & origo eſt omnium ſcelerum, & flagitiorum. Vt ſi quis Deo fauente ab illius dominatu liber ſit, vitam ab omni graniori delicto puram agere.*

PARAPHRASIS.

COeli ſpecies vndique ſyderibus ornata, admirabiles aſtrorũ ordines, ipſorúmq;

dissparesconuersiones, & multiplices cursus cõtinẽter laudes Dei prædicant, & omnes nationes cogũt esse gratas, & pietatẽ colere, & vim diuinã admirari, eámque dominam & effectricem rerum omnium agnoscere.

Quinetiam dies diei collatus, & nox cũ nocte comparata, & ipsorum alterna accretio & diminutio, certusque ordo, perpetuaque constãtia clamant atque testantur, tantorũ operum laudem fortunæ ac temeritati nõ esse tribuendam, sed aliquem præesse, qui hæc vniuersa ab initio constituerit, & sempiternis sæculorũ ætatibus omnia moderetur atque conseruet.

Neque verò hæc opera mirabilia & diuinæ sapientiæ monimenta sempiterna mortaliũ ritu loquuntur, aut vllam vocem humanã emittũt quæ ad omnes terrarum oras peruenire nõ potest: sed oratio eorũ vel grauissima est immutabilis ordo, pulcherrimaq; descriptio, & structura tanquã ad regulã facta, & ad lineam respondens: quæ eorũ oratio omnibus terrarum finibus exauditur, & vniuersos mortales ad cultũ & venerationẽ Dei mirabiliter accẽdit.

Sed cùm omnia diligenter oculis animoq; lustraueris, omniũ rerum, quæ aspectu sentiũtur nihil est tam præclarum, tamque diuinũ, quòdque homines tãta admiratione afficiat, quam sol, qui dux & gubernator est syderum cunctorum, & omnium rerum caducarum salus, & con-

conseruatio. Quæ verò species aut incundior, aut visu pulchrior sese oculis offerre potest, quàm solis exorientis aspectus, qui cãdore suo splendidissimo tenebras fugat, rebus colorem affert, cœlum, maria, terras exhilarat, & insatiabili quadam lætitia, & voluptate omnium animãtium oculos atque animos complet, vt elegãter possis eius pulchritudinem & iucunditatẽ comparare formosissimo sponso, vim & impetum giganti: siquidẽ eius circuitio tanta celeritate ab extremo oriente fertur ad extremũ occidentem atque inde ad dextram cœli regionẽ reuoluitur, vt vno integro circuitu diem noctémque conficiat, modò sublimis pulcherrimos radios nobis ostẽtans, modò sub pedibus ab oculis nostris obliteſcens, ac regiones aëris longè latéque occupans, neque locus est quò fulgor eius non perueniat. sol enim omnia terrarum opera flammis radiãtibus lustrat, & mundo salutarem largitur, & maximè vitalem calorẽ, cunctas naturas augentem, nutricantem, sensuq; afficientẽ: ex quo factum est, vt homines docti hanc pulcherrimam stellam appellarent parẽtem atque aitricem omnium rerum fragilium & caducarum.

Satis profectò erat tãtarũ rerum aspectus & contemplatio, vt earum effectorem & moderatorem agnosceremus Deum: ea tamen fuit benignitas Dei, vt ad hanc præclarã intelligen-

di rationem adderet etiam leges ſuis manibus ſcriptas quæ homines palàres & erroribus turbulentis implicitos ad viã veritatis reuocarẽt, atque animos à praua cõſuetudine ad honeſtas vitæ rationes conuerterent, ò vitæ, & virtutũ omnium legis magiſtræ! ò in cælum duces & impiæ ſuperſtitionis expultrices! quanam per illum Deum, qui vos tulit, aut vis ingenij, aut vbertas eloquentiæ, perinde ac de nobis merita eſtis, collaudare vos poſſit? Per vos maximus ille cœlitũ, atque hominũ pater, & rex teſtificatus eſt, quid exigeret à nobis, quid ve faciendũ, fugiendúmve foret, vt ad vitã beatam & immortalẽ peruenire poſſemus. Per vos ille cognitionem rerũ diuinarum tradit animis ſimplicibus, ſeq; ſummiſsè gerẽtibus, nullius enim ſapiẽtiæ locus eſt in hominibus impuris aut ſuperbis.

Veſtra præcepta & monitiones, iuſtitiam, & pietatẽ docent, exhilarãt animos, inanes timores, & ſolicitudines pellũt, aciẽ mẽtis illuſtrãt, vt poſſit intueri, quæ via deducat in cælum.

Vos mentes hominum religione ſanctæ imbuitis, & reuerẽtiã aduerſus Deum, timoreq; ingeneratis caſtum & piũ, qualis ſolet eſſe optimi filij aduerſus optimos parẽtes, iſq; timor animos piorũ ab omnibus miraculis puros, integros q; conſeruat, & migrantes è corporibus ſequitur in cælum ſanctitatis comes ſempiternus. Vos optimæ atque ſanctiſsimæ leges docetis

tis iudicio & ratione cuncta agere, vos summa iustitia & veritate iudicatis, quibus præmijs boni sint afficiendi, quibus ve supplicijs mali.

Itaque nulla imperia, nulla copiæ, nullæ voluptates cũ vestris opibus & delectationibus sunt conferẽdæ. Quis enim cogitatione complecti, nedum verbis explicare possit quãta sint gaudia, quantæ voluptates animi vestra præcepta colẽtis, & vitam cælestem in humano corpore imitantis? Sæpe fit, vt quẽadmodũ gustãdi sensu aliquo morbo depravatus mel iudicat amarum: sic animi sensus falsis & pestiferis opinionibus corruptus, præceptiones vestras natura suaues, & iucũdas repellat, & in luto libidinũ & flagitiorum volutetur.

Sed quàm volent impij contemnant excellẽtissimas leges Dei, ego certè perceptæ iã ipsarum dulcedine ac suauitate attentum animũ ad earum admonitiones semper teneo atque in ijs colendis omnem curã, & diligentiam pono. Nimirum qui quis ad extremum spiritum eas leges diligenter obseruarit præmia tanta cõsequetur, quãta vis nulla orationis explicare vnquam possit. neque enim aspectu oculorum comprehendi, neque auribus percipi, neq; vlla cogitatione queunt adumbrari quæ parauit Deus piè colẽtibus se. Neque tamen viri sancti, vt legibus diuinis pareant spe mercedis adducũtur, aut cogitatione, quantum illa res vtilitatis sit

habit

habitura: sed accensi pulchritudine virtutis & amore diuino flagrãtes amorem ipsum vberrimi fructus loco ducunt, & si spes omnis præmiorum adimatur, non tamẽ ardor ille charitatis aliqua ex parte sese remittat, aut animus ob eã causam minus in officio perseueret. At quo magis in amãdo & colẽdo Deo ab oĩ mercedis cogitatiõe absint, eo se digniores parãt, qui maximis donis & honoribus decorẽtur. Sic virtus inter bonos amicitiam conciliat, commoditates deinde plurimæ & maximæ cõsequũtur, & si amandi ratio ab vtilitatis fonte non manarit.

Sed quanquam obseruanti legũ diuinarũ tãta præmia & dona proposita sunt quis tamẽ attendẽs infirmitatem humanam, & quàm multa peccemus inscientes, quorũ tamẽ luenda pœna sit, nisi Deus illa cõdonet imbecillitati nostræ, quis hæc animaduertẽs audeat affirmare, se nulla in re violare præcepta Domini? An est aliquis, qui possit errata cũcta animaduertere? qui in tantis tenebris nihil offendat? quẽ vitium specie virtutis aliquãdo nõ fallat? Itaque pater optime, præstua infinita misericordia omnes maculas occultas & latentes elue manibus tuis ex animo meo, ne quid in eo resideat impurũ, & tuis oculis castissimis indignum.

In primis illud etiam atque etiã vehementer obsecro & obtestor, vt qui constantiam mihi præstitisti ad ferẽdas forti animo calamitates,

tes idem modestiam conferas rebus ad voluntatem meam nunc fluentibus, quò arrogãtiã, fastidium, superbiamq; fugere possim neq; enim Domine sum nescius, vt animi summissio caput est ad pie sanĕteq; viuendum, ita nullã detestabiliorem esse pestem, neq; capitaliorẽ quàm superbiam & importunitatem, ex quibus tanquàm stirpibus cæteræ omnes scelerum, & flagitiorum pestes pullulant, quæ pulcherrima illa semina virtutum nostris ingeniis innata adolescere non sinũt. Proinde quo quisque magis sese demittit, ad altiorẽ dignitatis gradum à te perducitur Domine: qui verò opinionibus inflati, sibiq; præfidentes animos in altum sustulerũt, præcipites ad ima deturbantur, & in maximis miserijs obscuri, despectique iacent, cuius rei testis est calamitas Luciferi, qui de cælo deiectus grauissimas arrogãtiæ pœnas dedit, & ad infinitum tempus dabit.

Vtinam hæc carmina mea, & quicquid aliud scribo & loquor, & cum animo meo tacitus cogito tibi pergratũ, acceptumq; sit pater optime atque sanctissime, qui pro immensa benignitate tua semper subuenis imbecillitati meæ, meq; de omnibus periculorum casibus eripis, atque animum meum seruitute misera oppressum redimis, & ab omni vitio ac impuritate liberas.

ARGVM. PSAL. XX.

Populus regem ad bellũ difficile proficiscentem,

votis

votis,& fauſtis ominibus proſequitur.Hac formula ſupplicandi,nos etiam commodè vtemur,ſi quando Deus nobis principem pium & religioſum dederit, pro cuius ſalute & imperio ſint vota facienda Cùm verò multa bella difficilia geſſerit Dauid nullum tamẽ periculoſius eo fuit,quod geſtum eſt cum Ammonitis,quorum quàm magnæ fuerint copiæ, vel hinc poſſumus iudicare, quòd vno prælio cæſa ſunt ex iis equitum millia 40.totidem peditum, curruum captorum numerus fuit milliũ vii. Itaq; nonnulli opinantur hoc bellum grauiſſimũ atq; horrificum, appellari tempus calamitoſum,& difficile,a viro ſancto in principio carminis.Nos verò hanc eiuſmodi rerum veſtigationem nimis curioſam,& parum vtilem exiſtimamus.

Victori, Pſalmus Dauid. XX.

EXaudiat te dominus in die tribulationis,protegat re nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de ſanctuario,& de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum in cinerem conuertat.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum,& omne conſilium tuum impleat.

Lætabimur de ſalutari tuo,& in nomine Dei noſtri vexilla extollemus.

Impleat dominus omnes petitiones tuas, nunc cognoui,quòd ſaluũ fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo in potentia ſalutari dexteræ ſuæ.

Hi

Hi in curribus, & in equis: nos autem no men Domini Dei nostri inuocabimus.

Ipsi succubuerunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.

Domine salua nos, rex exaudiet nos in die, qua inuocauerimus.

EXPLANATIO.

In cinerem conuertat. *Id est, victima, quã pro victoria adipiscẽda immolas, illi sit grata & accepta. Hæc orationis exornatio sumpta est ex historia Mosis, cuius hostiam cælestis ignis absumpsit.*

Lætabimur de salutari. *Nunc quidem vniuersam ciuitatem periculum tuũ solicitã habet: at cum incolumis & victor è bello reuerteris, omnia plausu ætitiaque, & gratulatione personabunt: id enim significat, cum ait, vexilla extollemus.*

Nunc cognoui. *Populus inter pias & castas precationes diuino spiritu afflatus vaticinatur regem suum bello superiorem fore.*

Hi in curribus. *Hostes nostri curribus, & equorum vi, ac multitudine confidunt: nos autem salutem nostram sanctissimi numinis imploratione muniemus.*

Rex exaudiet nos. *Sic appellat Deum: significans, non Dauidem: sed illum esse verum populi regem.*

PAR

PARAPHRASIS.

AVdiat Deus opt. max. preces tuas his temporibus difficillimis. Te vis & potestas Dei tueatur, qui Iacobum multis & maximis periculis liberauit.

Respiciat ille periculũ tuum è sanctissimo tẽplo suo, teq; saluũ & victorẽ reducat à prælis.

Gratiam tibi referat pro sanctitate: quã semper declarasti victimis castè piéque mactãdis: quamq; hostiam pro adipiscenda victoria nũc immolas, ea sit eius animo acceptissima, illamq; delapsa de cœlo flamma consumat.

Adsit Dominus inceptis omnibus & conatibus tuis, vt quicquid optas, quicquid aggrederis tibi succedat ex sententia: nihil enim à te prosici scitur vnquam nisi rectum & pium.

Nunc quidem vniuersam ciuitatem periculũ tuum solicitum habet optime rex, atque cùm incolumis è bello reuerteris, omnia plausu, lætitiaque & gratulatione personabunt.

Inter pias & castas precationes ea signa dedit summus pater, vt planè intelligamus sanctissimum fortissimumq; regem hostibus cæsis, fugatisque, vrbem trophæis & triumphis ornaturum esse.

Audiet Dominus eius sanctas preces & supplicem respiciet è sempiterno domicilio numinis sui, & dextra saluari pro rege fortissimè propugnabit.

Con si

Confidant hostes curribus, equorumq; vi & multitudine: nos certè salutem nostrā augustissimi numinis implorātione muniemus.

Quid vobis profuit, ò barbari, tātus apparatus belli? vos de curribus & equis deiecti estis vos terram nostram vestris corporibus strauistis: at nos Deus noster afflictos & iacentes erexit, & victoriæ munere pulcherrimo affecit.

Tu Domine salutem nobis attulisti, & precibus nostris te facilem ac lenem præbuisti. Hæc eadē quæsumus vtere misericordia in reliquū tempus, vt omni metu liberati placidam, quietāmque vitam degamus, pietatem, & iustitiā colentes. Continget nobis quod precamur. maxime enim ille mūdi rex populo suo semper placatus & propitius erit semper: ille ciuitatē nostrā ab impijs gētibus salua incolumémq; seruabit.

ARGV. PSAL. XXI.

Celebratur his carminibus victoria, & regnum Christi sempiternum, vt etiam Iudæi confirmant: sed hunc illi venturum sperant, nos venisse, & hominibus piis aditum ad cælum aperuisse non ambigimus De eodem vaticinatus est item Daniel ferè eadem his verbis. Ecce inter nubes quidam humana specie ac figura veniebat, & vsque ad veterrimum illum penetrauit, in cuius conspectum adductus amplissimo regis honore ac nomine affectus fuit Itaque omnes omnium terrarum nationes seruient ei, potestas eius sempiterna erit, imperium eius nulla vnquam vi aut vetustate delebitur.

Victori, Psalmus Dauid XXI.

DOmine in virtute tua lętabitur rex, & in salutari tuo exultabit vehementer.

Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

Quoniã prævenisti eum in benedictionibus bonitatis, posuisti in capite eius coronam de lapide precioso.

Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi.

Magna est gloria eius ob salutare tuum, gloriam & magnum decorem impones super eum.

Quoniam pones eum benedictones in sęculum sæculi, lætificabis eum in gaudio cũ vultu tuo.

Quoniã rex sperat in Domino, & in misericordia altissimi non commouebitur.

Inueniet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inueniet omnes qui te oderunt.

Pones eos vt clibanum ignis in tempore iræ tuæ, Dominus in ira sua disperdet eos: & deuorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filiis hominum.

Quoniã intenderunt tibi mala, cogitauerunt cõsilia, quæ non potuerũt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum, & funes

tuos

tuos diriges contra facies eorum.

Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus, & psallemus virtutes tuas.

EXPLANATIO.

Domine in virtute tua. *Tua (inquit) opere franget potentiam inimicorum, & per te conseruatus vita fruetur immortali.*

Voluntate labiorum. *Hoc est nihil ille vnquàm à te petijt, quin impetraret, & ampliss. mis vltro beneficijs auctus, & ornatus est: hoc enim significat, cùm subiungit, præuenisti eum in benedictionibus bonitatis.*

Posuisti in capite eius. *Id est, eum constituisti regem cœli, ac terrarum.*

Vitam petiit à te. *Vt scilicet à morte reuocaretur ad vitam immortalem.*

Quoniam pones eum benedictiones. *Id est, bonis omnibus, & illis quidem sempiternis eum cumulabis, simili locutione vtitur etiã Moses in Genesi, cùm Deus Abrahamo dicit, benedixi tibi, & magnificauit nomen tuũ, & esto benedictio, sic enim vertendum est ex Hebræo, & Esaias, erit (inquit) Israel in medio terræ benedictio, id est, omni bonorum genere circumfluet.*

Lætificabis eum. *Quò enim Christus homo est diuinitati coniunctior cæteris omnibus, hoc eam clarius intuetur, & maiorem ex ea re iucund tatem, & lætitiam capit.*

Inueniet manus tua. *Hactenus imperium.*

et immortalitatem Christi celebrauit, nũc prædicit pœnas impendentes inimicis eius.

Fructum eorum. *Nec solum (inquit) absumentur ipsi, sed etiam stirps eorũ impia funditus tolletur. Hunc enim fructum, et semẽ appellat, vt sentit Theodoretus.*

Pones eos dorsum. *Id est, præcipites in fugam coniicies, & terga dare coges.*

Et funes tuos. *Vertẽt illi q̃dẽ terga tuis sagittis vulnerati sed tu fugiẽtibus tete obiicies & in ora illorũ mortifera tela torq̃bis. Funes autem pro arcu appellauit, ea est orationis exornatio, qua res tota aliqua de parte cognoscit. Sagittas autem & ignem, consuetudine literarum sanctarum pœnas interpretamur, quibus impios afficit Deus.*

Exaltare Domine. *Id est declara vim, & potestatem tuam imperio Christi dilatãdo, et aduersarijs eius opprimendis. Cæterũ si quis ea quæ continentur ijs versibus, non solum ad Christum, sed etiam ad ipsum Dauidem, qui illum in seipso adumbrauit, accõmodare velit, cum hoc ego non contendero: Nã Deus Dauidem ad regiam extulit dignitatem, & omni bonorum genere cumulauit, & grauissimè vltus est omnes, qui domi, vel foris cõtra ipsum arma ferre conati sunt. Hæc autẽ de rege prædicantur hoc hymno quamquã versiculus ille nequaquam Dauidi cõuenire videatur. Vitã petijt*

petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierũ in sæculum sæculi. Sed nõnulli interpretantur, hanc esse hyberbolen, quæ significet, regẽ vsque ad extremam senectutẽ vitã perducturũ. Ego verò libentius crediderim, his versibus descriptã esse perpetuitatem æui: quo beati fruũtur in cælo, qui in corporibus humanis vitam diuinam coluerunt,

PARAPHRASIS.

MAxime omnium rerum Domine, maximam regi lætitiam dabis, hostibus cæsis fugatisque: neque solũ victoriam illi, sed æternitatem etiam immortalitatemque donabis.

Nihil ille vnquam à te petijt, quin impetraret, & amplissimis vltro beneficijs auctus, & ornatus est.

Cùm primùm enim in lucem æditus & susceptus fuit, cælestibus et diuinis spiritus sancti muneribus illũ cumulasti: neque id solũ obtinuit, vt à morte reuocaretur ad vitã immortalẽ, sed cælitum atque hominũ & inferorum moderator, & Dominus constitutus est.

Nihil ad decus & gloriam poterat expeti, quin à tua benignitate consecutus sit. quid enim tã præclarũ, aut magnificũ, quã in solio cælesti ad dextrũ latus maximi numinis cõsidere, consortẽ & socium factum imperij sempiterni, & nomine illo augustissimo effectum, quod cæteris omnibus nominibus antecellit?

Itaque bonis omnibus, & illis quidē ſempiternis locupletatus eſt, et perpetuas voluptates, & gaudia percipit ex iucundiſſimo pulcherrimoq; aſpectu tuo, quò enim diuinitati coniunctior eſt ceteris omnibus, hoc illam clarius intuetur, & maiorem ex ea r iucunditatē et latitiam capit: cumq; omnem ſpem ſuam fixerit in Deo, eius imperium ita ſtabilietur, vt nullis oppugnationibus hoſtium frangi, aut labefactari queat.

Profectò rex fortiſſime non euadent ex manibus tuis homines impij omnes ad vnum capientur, & viui ac mortui ſupplicijs æternis mactabuntur. Aeſtuat vt clauſis rapidus fornacibus ignis: ſic illic æſtu et pœnarum acerbitate tabuntur, quamprimum ſupplicij tēpus aduenerit, atque vt ſtipulam vorax flamma cōſumit, ſic neſarios & conſceleratos ira tua funditus delebit: neque ſolum abſumentur ipſi, ſed etiam ſtirps eorum impia pariter cum nomine tolletur.

Auſone eſſe homines amentiſſimos contra ſalutem ac dignitatem tuam arma ferre? & plena furoris & impietatis conſilia inire, quæ nulla ratione potuerunt explicare?

At tu præcipites eos in fugam dabis, & terga dare coges, vertent illi quidam terga tuis ſagittis vulnerati: ſed tu fugientibus tete obijcies, & in ora illorum mortifera tela torquebis.

Decla

Declara Domine vim, & potestatem tuam imperio Christi dilatando, & aduersarijs eius opprimendis. Nos interim perpetuis hymnis, & laudibus persequemur magnitudinem tui numinis & potentiam, quæ terrimam diaboli tyrannidem euenit, & viam nobis muniuit ac patefecit in cælum.

ARGV. PSAL. XXXII.

Christum Deum loquentē inducit, ac tormenta & cruciatus acerbissimos, quos ille salutis nostræ causa pertulit, ita persequitur, & singulatim enarrat, vt non multis ante sæculis vaticinari, sed rem gestam se præsente videatur exponere. Prædicit etiam eius ad vitam reuocationem, atque omnium gētium salutem. Inscribitur autem hymnus pro cerua matutina, propterea quòd vt cerua canum vi exagitatur, sic Iesus matutino tempore à rabiosis hominibus dilaniatus & in crucem actus fuit: quocirca semel atque iterum queritur in his carminibus, se à canibus circunsideri.

Victori pro cerua matutina, Canticum Dauid. Psal. XXII.

DEus meus, Deus meus quare me dereliquisti? longè à salute mea verba rugitus mei.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non est silentiū mihi.

Et tu sanctus habitator, hymnus Israëlis.

In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos.

Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Omnes videntes me deriſerunt me, diſtenderunt labia, & mouerunt caput.

Sperauit in Domino, eripiet eum: ſaluũ faciet eum, quoniam diligit eum.

Quoniam tu es, qui extraxiſti me de vẽtre, ſpes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus ſum ex vtero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me.

Quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt qui adiuuet.

Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me.

Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens, & rugiens.

Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tanquam cæra liqueſcens in medio ventris mei.

Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me.

Quoniã circundederunt me canes multi, conſilium malignantium obſedit me.

Foderũt manus meas, & pedes meos, dinume-

numerauerunt omnia ossa mea.

Ipsi verò considerauerũt, & inspexerũt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine ne elongaueris te, fortitudo mea, in auxilium meum festina.

Erue à phramea Deus animam meã, & de manu canis vnicam meam.

Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium libera me.

Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum, vniuersum semen Iacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israël, quoniam non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec auertit faciem suam à me, & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.

De te hymnus meus in ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eũ, viuent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium.

Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.

Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ, in conspectu eius genua flectent omnes, qui descendunt in terram.

Quoniam animam suam non viuificauit: semen seruiet ipsi.

Annumerabitur Domino in generationem: venient, & annunciabunt iustitiã eius populo, qui nascetur, quoniam fecit.

EXPLANATIO.

Pro cerua matutina. *Inscribitur ad hunc modũ hymnus propterea quòd & cerua canum vi exagitatur sic Iesus matutino tempore à rabiosis hominibus dilaniatus & in crucem actus fuit, quocirca semel, atque iterum queritur in his versibus se à canibus circumsideri.*

Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti? *Cũ Iesus Christus duplici natura sit, nemini mirandũ accidere debet si multa eius tum dicta, tum facta referantur tanquam hominis, & mortalis. Hos autem clamores, & lamentabiles voces incredibilis magnitudo cruciatus expressit: cùm enim innocentissimus Dominus peccata, et scelera vniuersi generis humani pro suis agnosceret, eaq́, supplicio ac sanguine suo lueret & quæ tormenta nos commeriti eramus, ac tormenta omnia ipse pro infinita bonitate sua sustineret, tantas acerbitates, tantosque dolores per-*

pessus

passus est, quantos nemo vnquam cogitatione complecti, nedum verbis explicare possit: vt non immeritò mortalitas ipsius à Deo se derelictam ex lamaret, quippe quæ angoribus intollerãdis nullæ consolatione adhibita conficeretur.

Longè à salute. *Id est, preces meæ magnis clamoribus effusæ nullam mihi salutẽ afferunt, neque iam quicquam proficio, præsidium Dei implorando.*

Et tu sanctus. *Promiserat Deus, se commoraturum apud gentem Hebræã, & bonis perpetuo præsidio ac ornamento futurum. Itaq; illũ promissi admonẽs ait, Tu certè custos huius sanctæ ciuitatis es, tu eiusdem habitator, eiusdẽ hymnus, te cætus piorũ semper cãtat, tibi semper gratias agit adiutus, & conseruatus, et omnibus bonis auctus, et ornatus: vtere igitur solita misericordia, succurre laboranti, & querelas laudatoris, & cultoris tui supplices exaudi.*

Sperauit in Domino. *Hæc pronuntiabant principes sacerdotum illudentes, vt est in Euangelio Matthæi.*

Tauri pingues. *Ita vocat Iudæos, homines instar taurorum pinguium petulantes, & efferatos.*

Sicut aqua. *Hoc ait ob effusionem sanguinis qui confosso multis vulneribus corpore totus iam effluxerat.*

Factum est cor meum. *Simile est illud ex*

libro

libro Iosuæ pertimuit cor populi, et instar aquæ liquefactum est.

Aruit tanquam testa virtus mea. *Id est. Vis membrorũ defecta sanguine, & omni succo vitali.*

Vnicam meam. *Meam inquam animã solitariam, vt vertit Hieronymus, & omni ope destitutam.*

Et à cornibus vnicornium. *Sic appellat homines immanes, & feros: Monoceros enim animal est asperum, & violentum, quod assuescere ad homines, & mãsuefieri non potest.*

Narrabo. *Cũ me (inquit) liberaueris, & ad vitã reuocaueris immortalẽ, memor ero tãti beneficij, teque, actuum sanctissimum nomẽ celebrabo inter omnes nationes, fratres enim vocat Christianos, vtpote filios Dei, & coheredes suos: vnde illud Pauli, vt sit ipse primogenitus inter multos fratres. & ipse Dominus in Euãgelio Ioannis, Mariæ Madalenæ dicit vade ad fratres meos, et dic eis ascẽdo ad patrẽ meũ, & patrẽ vestrum. Hunc autem versiculũ sub persona Christi dictũ esse testis est Apostolus in Epistola, quam scribit ad Hebreos.*

Qui timetis. *Intelligẽs se liberatũ iri, iã fratres suos excitat ad canẽdos hymnos, et gratias agendas patri rerum omnium prepotẽti. & quoniã Ecclesia ex Iudæis, & reliq; s natio nibus constituta est, vtroſq; nominatim ad-*

hort

hortatur, alteros semen Iacobi appellãs, à quo prognati sunt, alteros ab omni virtute, & religione denominãs: timentes enim Deũ appellabantur à Iudeis, qui relictis falsis Dijs religioni piæ, et sanctæ adhærebãt: Vnde legimus Psal. 114. Bñdixit domui Israël, benedixit domui Aarõ: benedixit omnibus qui timent Dominũ: & Petrus in actis Apostolorum, Viri, inquit, Israelitæ, & qui in vobis timent Deum.

Vota mea reddã. *Hymnos significat, quos Deo vouerat si vitæ rest. tutus esset. laudatur autem à Christo Deus continenter per Ecclesiam sanctam, cuius ipse caput est.*

Edent pauperes. *Prædixit explicatius salutẽ gentiũ, quæ falsos & commentitios Deos colebant: eas quidem pauperes appellat: vtpote religione, & bonis animi carẽtes: quæ veræ, certæq; diuitiæ sunt habẽdæ: sed etiã beati pauperes spiritu, & qui esuriũt iustitiam, quoniam ipsi saturabũtur: saturabuntur autẽ doctrina Dei, & pane illo viuo, qẽ cælo descẽdit, quo vescentes viuent in perpetuum.*

Reminiscentur. *Mortales obliti erant Dei, dum falsis opinionibus inducti diuinitatẽ tribuunt rebus creatis, sed doctrina Dei, & Apostolorum monitis excitabuntur ad pietatẽ, et veram religionem amplectendam.*

Et adorabunt omnes pingues terræ. *Sic vidẽt appellare reges, & principes, qui & ipsi*

Deum

Deum agnouerunt, et imperio Christi sese vltrò subiecerunt.

In conspectu eius genua flectent. *Id est, eum colent, ac venerabuntur vniuersi mortales, qui in terram & puluerē dilabuntur, & iure quidem hunc illi honorem habebunt, quādo ipse mortem acerbissimam non dubitauit oppetere, vt eos vita afficeret beata & sempiterna.*

Semen seruiet ipsi. *Semen (inquit) meum Deo sese in seruitutem piè sanctèq; dicabit, & in eius familia, & gente numerabitur, semen autem suum vocat filios per Euangelium conceptos & generatos.*

Venient & annuntiabunt. *Nascentur qui posteritati prædicent, beneficia, & iustitiā Dei: usus est enim ille iustitia: id est infinita bonitate ac misericordia, eripiens humanū genus è manibus diaboli, qui miseros crudelissimè vexabat, et omnibus iniurijs, & ignominijs afficiebat. Illud autem scire oportet, & hoc loco, & ferè semper in literis sanctis iustitiam Dei appellari pro beneficentia, et bonitate qua ille munificè prolixè, largè vtitur in genus humanum: seueritas enim illa iuris, quæ opponitur misericordiæ, non tam iustitia Dei, quàm iudicium nominari solet.*

PARAPHRASIS.

DEus meus, Deꝰ meꝰ, quare me dereliquisti? Preces meæ maximis clamoribus effusæ, nullam mihi salutem impetrant, neque tam quic-

quicquam proficio subsidium tuum implorãdo.

Deus meus inclamo dies noctésq; nomẽ tuũ. neq; tu aures ad voces meas supplices, & querimundas adhibes.

Tu certè custos huius sanctæ ciuitatis es: tu eiusdẽ habitator, eiusdem hymnue nihi à te nisi rectũ & sanctũ manat, te cœtus piorũ semper cantat, tibi semper gratias agit, adiutus & cõseruatus, & omnibus bonis auctus & ornatus. Vtere igitur solita misericordia succurre laborant, innocentis miserere, & querelas laudatoris & cultoris tui suplices exaudi.

Maiores nostri tuæ benignitati confidebant, neque vnquam opinione falsi sunt.

Nemo de ijs suppliciter ad te confugit, quin illi diuinũ aliquod auxiliũ & numẽ ostẽderes: at me sic deseruisti, sic impiorũ crudelitati dedisti, vt iam nõ homo, sed vermis esse videar, infirmissimum animal & contemptissimum.

Omnes, quotquot vident me illudunt, atque insultant in cruciatus & calamitates meas.

Iste inquiunt, omnem suam spem in Deo posuit habet: liberet ergo Deus illum, quem tam charum acceptùmque habet.

Per te Domine eductus ex vtero iucundum cæli lumẽ aspexi adhuc pendebam ab vberibus matris meæ, cùm omnem meam curam, & spẽ in te vno fixi & locaui.

Cùm primum editus in lucem, & susceptus

fui

fuit, in tuo stam conquieui, te semper Deũ meũ agnoui & prædicaui: ita ꝫ ne discesseris à me, iã iàm ꝫ enim imminet mihi mors acerba, iã omnia exempla cruciatiũsque in me crudeliter ædũtur. Omnia circunspicio collustro oculis omnia, neque ꝟsquam cerno qui ꝟllam opẽ ferat, quémve misereat tormẽtorum & calamitatis meæ.

Circũsedẽt me homines immanes, & instar taurorum pinguium petulantes & efferati.

Apertis faucibus appetunt me, tanquàm leones præda correpta rugientes.

Iam confosso multis ꝟulneribus corpore totus sanguis effluxit: ossa mea laxata, & à suis quæq ꝫ locis auulsa sunt.

Vt cera tabescit ardore solis, ita cor meum pauore, & pœnarum asperitate liquescit.

Aruit tanquam testa ꝟis membrorum omni sanguine defecta, & omni succo ꝟitali: lingua ad fauces adhæret sitis: quã inducit, sanguis effusus, & tormentorũ acerbitas: neq ꝫ me ꝟires solùm sed ꝟita iam deficit.

Vt ceruam canes, ita me homines feri circũsederunt: foderũt manus meas & pedes meos, numerare licet omnia ossa mea.

Nemo tam ferus ac ferreus esse debuit, quin cruciatibus meis illachrymaretur: at istis acerbissima tormenta iucundissimum & insatiabile spectaculum præbent. Partiti sunt ꝟestes

meas

meau, inter se tunicam meam sortiti sunt.

Cùm itaque tantis malorum fluctibus opprimar, ne quaeso domine differ auxilium tuum: ô vis, & vnica spes mea, accurre ad supplicē misericordiæ tuæ, eripe vitam meā de manibus sicariorum, animam meam ab omnibus proiectam & derelictam è canum rabidorum fauci bus eripe: extrahe me ex ore cruento leonum, defende salutem meam ab impetu hominum immanium & ferorum.

Si preces meas audis, mēque ad vitam reuocas immortalem, nullo tempore tanti beneficij memoriam deponam, te semper ac tuū dulcissimum nomen celebrabo inter omnes pios, & cohæredes meos.

Vos ego appello, quicūque relictis falsis Dijs religioni puræ & sanctæ adhæsistis. Vos ite appello, qui ab Israële prognati, virtutem & pietatem eius æmulamini.

Agite omnes, canite hymnos Deo, immortales gratias agite sanctissimo nomini eius, castissima mente veneramini eum, neq; vnquam intermittite laudibus prosequi vestræ salutis authorem & custodē qui propitius audiuit preces meas: & vita mihi reddita, vobis quoque salutem & vitam donauit immortalem.

Tu solus Pater optime, atq; sanctissime materiam suppeditabis hymnis meis: tuas ego laudes in celeberrimo piorum consentu semper canam.

Quæ gentes olim fictos & inanes Deos venerabantur, & in summa mēdicitate vitā miserrimam trahebāt, vtpote religionis, & virtutum omnium egentes, quæ veræ stabilesq; diuitiæ sunt, hæ gentes iam copiosæ & opulentæ fient, iam omnibus bonis cælestibus circunfluent, & saturabuntur pane illo vivo, qui de cælo descendit, quo vescentes viuent in perpetuum, & hymnis sempiternis Deum venerabuntur.

Nimirum mortales obliti erant Dei, dū falsis opinionibus inducti superstitiones pro religione, res creatas pro mundi creatore colunt: neque virtutibus solùm, sed etiam vitijs diuinitatem tribuunt: sed nūc excitabuntur ad pietatem, & verum syncerumq; Dei cultum: & repudiatis Dijs falsis & commētitijs, tibi domine, ceremonias, honores, preces adhibebunt: neque enim tu solus Palæstinæ principatum obtines, aut res Iudaorum tātum administras, sed omnia solus terrarum imperio & ditione sempiterna regis & gubernas, & omnes nationes ad cælum, & cælestia bona perduces.

Proinde omnes principes & reges edent, & saturabuntur doctrina illa tua, cibóque cælesti, seq; libentes sub imperium Christi ditionemq; subiungent, & universi deniq; mortales, qui in terram & pulverem dilabūtur, filium Dei supplices venerabuntur, cur enim illi salutis & libertatis suæ vindicem & parentem nō colerent, &

diuin-

diuinis honoribus afficerent? qui mortem acerbissimam non dubitauit occumbere, vt eos vitæ afficeret immortali.

Itaque posteri nostri sese in seruitutem illi piè sanctèq; dicabunt, & in eius familia & gẽte numerabuntur. Nascẽtur qui posteritati prædicent immortalia beneficia Dei, vsus enim est ille infinita bonitate ac misericordia eripiẽs humanum genus de manibus diaboli, qui miseros crudelissimè vexabat, & omnibus iniurijs, & contumelijs afficiebat.

ARGV. PSAL. XXIII.

Gloriatur se ac sua omnia Deo curæ esse, & demonstrat quàm beati sint, qui iustè cũ fide ac pietate vitam colunt, seq; in seruitutẽ Deo dicant. Honestatur autem hoc carmen, & maximè illuminatur ea exornatione orationis, quam Græci ἀμοιβαίαν, Latini permutationem vocant, ea fit, vt definiunt Rhetores, cùm fluxerunt continuæ plures trãslationes. Itaque Deum pastorem, seq; ouem facit: quã quidem figuram dicendi crebrò vsurpant literæ sanctæ, quicquid enim spectat ad munus & virtutem optimi pastoris, id omne erga nos à Deo præstatur vsque adeo, vt is etiam sese vltro ad mortẽ obtulerit, quò nos ab incursibus & rapinis diaboli tueretur Beatus igitur, qui tam bono, támque diligenti pastori se custodiendum & pascendum credidit, nihil profectò illi vnquam deerit, quid enim ei possit abesse, cui semper adest omnium bonorum principium & fons? quin etiam ipse cæteris prodesse, & maximas vtilitates in vitæ societatem poterit conferre. Sed pastorẽ ipsum audiamus, de sua diligentia, & felicitate ouiũ sue-

gum apud Ezechielem ita differentem: En ego ipse quæram oues meas, illasq; vestigabo, vt pastor gregem suum palantem & dissipatum vestigare solet, sic ego vestigabo oues meas. & abducam eas ex omnibus locis, vbi dispersæ & vagæ dissectæ fuerant, quo tempore omnia nubibus & obscura caligine tegebãtur. Illas educam è nationibus exteris, & cogam ex omnibus terrarum finibus: illos ego reducã in agros suos, & pascam in montibus Israëlis propter riuos, & in omnibus agris: in pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israëlis illarũ caulæ & præclara stabula erunt. Ibi requiescent in herbis virentibus, & in pratis lætissimis pascentur Israëlis. Ego ipse pascam oues meas: faciã, vt molliter acquiescãt: ait omnium rerũ dominus Deus. Quod amissum est, quæram: quod abactum est reducã: quod confractũ est, facilè deuinciam: quod infirmum est, corroborabo: pinguem verò ac robustum & valentem pecudẽ, quæ opprimit imbecilles, exterminabo, & gregem meum pascam ratione & iudicio.

Psalmus Dauid. XXIII.

DOminus pascit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ me collocauit.

Iuxta aquas refrigerij duxit me, animã meam conuertit.

Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum

Etiam si ambulauero per vallem vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Para

Parasti in conspectu meo mẽsam aduersus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus exuberans est. Sed & bonitas.

Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Et habitabo in domo domini in longitudinem dierum.

EXPLANATIO.

Dominus pascit me. *Allegoria est elegantissima, qua Deum pastorem, seq; euem facit: ea frequentissima est in literis sanctis.*

In loco pascuæ. *Ita vocat pascua vberrima contemplationis rerũ diuinarum, quibus rebus mẽtes incredibili cum voluptate pascũtur. Huc illud apud Hieremiã, Dabo vobis pastores iuxta cor meũ & pascẽt vos scientia, & doctrina.*

Iuxta aquas refrigerij. *Hi nimirum sunt fontes vberrimi spiritus sancti, & amœnissima flumina literarum sanctarũ. Huius aquæ mẽtio fit ab Esaia, & cæteris vatib⁹ sanctis, & in primis à Domino in euangelio Ioannis.*

Animam meam. *Errabat, inquit, animus meus, seq; à recta viuendi via auerterat: eum Dominus conuertit ab erroribus turbulentis, & traduxit ad obseruationem sanctissimarum legum suarum, idque fecit propter nomen suum, id est nullis meritis meis, sed propter infinitam bonitatem suam.*

Etiam si ambulauero per vallem vmbræ mortis. *Sic appellat loca infecta, & periculosa, in quibus obseruatur ante oculos imago mortis. Itaque significat, se tutela, & præsidio Dei fretum, vel in media morte erecto, & tranquillo animo fore.*

Virga tua, & baculus tuus. *Virga Domini corripit peccantes, bacillum sustentat imbecillos, vtraque certè res animis piorum vtilis pariter & iucunda.*

Parasti in conspectu meo mensam. *Repetit sententiam primi versiculi, & altera allegoria illam exornat, id quod sæpe fit à scriptoribus nostris, similiter atque ab externis: quã igitur mẽsam paratam sibi gloriatur à Deo, ea est mensa sanctorum voluminum, & contemplatio rerum diuinarum, qui est vnus saluberrimus, suauissimusque pastus animorũ. Sed Didymus luculentus Theologus hũc locum explanãs: forcassè, inquit, dum sumus in corporibus humanis, & veritatem per vmbras, & caliginem cernimus, oues Dei sumus, herbisque saluberrimis doctrinæ ipsius alimur ad æternitatem: at cũ exuti corporibus in cœlum migramus, & veritatis speciem formosissimã liquidò intuemur, itaque summum illum Deum cognoscimus, vt ab eo cogniti sumus non iam oues, sed conuiua sanctissimi numinis sumus, atque ad mẽsam animorũ cælestium accumbimus delicatissimis epulis ex-*

træ

erectã: de qua Dominus in Euangelio inquit: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Hanc igitur mensam viri sancti semper in cõspectu habẽt, et delitias illas caelestes pura mentis cogitatiõe praesumũt, ex qua quidem re tantum roboris animis accedit, vt nullis rerũ aduersarum fulminibus terreantur, nullis impiorum oppugnationibus frãgãtur, aut debilitentur: propterea vir sanctus ait, hãc mensam à Deo paratam in conspectu tãquam inexpugnabile propugnaculum impijs oppositum, obiectumq;

Impinguasti in oleo caput meum. *Didymus ait, caput pro mẽte appellatum esse, oleum pro afflatu spiritus sancti: vt enim oleum lucẽ nutrit, laborem leuat: faciem exhilarat: sic ille lucem animi fouet, mentem reficit, cor hominis latificat, quapropter oleum laetitiae nominatur Psalmo* XLV.

Et calix meus. *Calix, vt supra dictum est, sepe appellatur in literis sanctis quicquid nobis aut boni, aut mali cõtingit à Deo, itaq; calix hoc loco significat scientiam rerum diuinarum quam vir sanctus piè, ac honestè viuẽdo consecutus erat. Sic Origenes interpretatur hunc locum in commentarijs Matthaei. Caeterum si loquatur ecclesia in hoc psalmo, vt nonnulli veterum arbitrantur, non minus commodè expl a-*

nationem adhibere poteris, atq; adeò simpliciorem: habemus enim Christum Deum pastorem qui suas oues vocat nominatim & educit eas ad pascua vberrima, & propter aquâ amœnissimâ educat nos, à qua etiâ renascimur ad vitam cœlestem & beatam. Habemus & oleũ lætitiæ, & calicem Domini, & mensam illâ mysticam: ad quã accũbentes pane cœlesti, & vitulo saginato saturamur: quæ qu dẽ omnia diligentius persequerer si mihi viderẽtur explanationis indigere, ac non potius iã perspicua esse, vt à quouis vel imperito possint facilè intelligi.

PARAPHRASIS.

DOminus pascit me, quare nihil vnquã mihi ad bene beatéque viuendum deerit. Is constituit me in pascuis lætissimis, atq; pulcherrimis doctrinæ suæ, & in cõtemplatione rerum diuinarum, quibus rebus mentes incredibili cũ voluptate pascuntur.

Propter vberrimos fontes spiritus sancti, et amœnissima flumina literarũ sanctarũ pascit me, quib' in locis oues domini alũtur ad beatã vitam lacte abũdãtes, & fœtus pulcherrimos edẽtes. Errabat animus meus, seq; à recta viuẽdi via longè auerterat, eũ dominus conuertit ab erroribus turbulẽtis, & traduxit ad obseruationẽ præceptorũ suorũ, quibus omnis pulchritudo virtutis cõtinetur, idque fecit nullis meritis meis, sed propter infinitam bonitatem suã.

Itaq;

Itaq; quicquid mali, aut parũ honesti à me cõmissum est id omne assigno intemperãtiæ meæ: si quid autem rectè cogitatũ est, si quid honestè administratũ, totũ id refero acceptum misericordiæ Dei, qui mentẽ mihi bonam donauit, & recta conarer: & vires & conata perficerem.

Cum itaq; talem habeã ducẽ & custodẽ, me nullus periculorũ, nulla mortis imago territabit: quid enim mihi mors efficiat & vitæ præsentes? quid hominum improbitas Deo propugnante?

Virga tua domine me corrigit peccantẽ, baculum tuum sustentat imbecillũ, & traq; certè res animo meo & tilis pariter ac iucunda. Quid enim beatius, quã baculo maximi numinis fulciri? quid item & tilius quàm & virga eiusdẽ cædi? castigat enim dominus quem diligit, & verberibus cædit omnes quoscunque sibi adoptat.

Sed dũ sumus in corporibus humanis, & veritatẽ per & mbras & caliginẽ cernimus, omnes qui dẽ domini sumus, herbis q; saluberrimis doctrinæ ipsius alimur ad æternitatẽ: at cũ exuti corporibus in cælũ migramus, & veritatis speciẽ formosissimã liquidò intuemur: itaq; summum illum Deũ cognoscimus, & ab eo cogniti sumus, nõ iam omnes, sed conuiua sanctissimi numinis sumus, atque ad mensam animorũ cælestiũ accũbimus delicatissimis epulis extructã. Hanc mensam domine in conspectu omniũ piorum statuisti, tãquam inexpugnabile & vitæ præ-

pugnaculũ impijs oppositũ obiectũq́, has enim dapes cælestes: & hæc dulcissima pocula viri sancti puramentis cogitatione gustãtes, & suauissimo sanẽti spiritus oleo delibuti, tãtum firmitatis ex ea re comparãt, vt nullis rerum aduersarum fulminibus terreãtur, nullis oppugnationibus improborum hominum frangantur, aut debilitẽtur, persuasum enim habent prædictis bonis cælestibus & sempiternis, à quibus nũquã oculos deijciunt, omnes labores & ærumnas huius vitæ nihil esse. Hanc mẽsam, has epulas Domine etiam ante oculos meos posuisti, quò iniurias inimicorum magno & cõstanti animo ferrem, neque vllis incommodis de lætitia & trãquillitate animi depellerer.

Ego verò læta placidaq́, mente semper ero, exploratissimum habẽs, quòd me nunquam deselinquet bonitas et misericordia tua: sed per has vitæ periculosas ingrediẽtẽ comitabitur dies noctesq́: & è corpore emigrãtem deducet in domum illam tuam cælestẽ, omnibus bonis & gaudijs affluentem, vbi tecum habitans beatus æuo fruar sempiterno.

PARAPHRASIS CARMINE.

Rex cœlitum est pastor meus,
Nihil boni deerit mihi.
Vberrimis in pascuis,
Amœna propter flumina

Me

Me Spiritus sanctissimi
Aura beata recreat,
Dulcique mentem pabulo
Nutrit suæ scientiæ.
Miserrimus animus meus
Dum longius abit à Deo,
Errauerat procul à via,
Quæ ducit ad cœlestium
Oras beatas; at Deus
Meæ misertus miseriæ,
Benignitate maxima
Quæsiuit illum vltrò, & sui
Reduxit ad caulam gregis.
Si solâ solus per loca
Inermis eam, vbi plurima
Imago mortis terreat,
Interritus perrexero
Custode securus Deo.
Me, virga, pastor optime,
Coercet errantem tua,
Ne grauiùs offendar cadens,
Tuo baculo fulcior.
Me mensa roborat tua,

Me dulcis exhilarat calix
Tuus, oleo foueor tuo.
Nec me pater dulcissime
Per has inexplicabiles
Vias eum deseres
Vnquam, sed ad tuam domum
Duces, vbi vita fruatur,
Et sempiterno gaudio.

ARGV. PSAL. XXIIII.

Est quidē Dei, quicquid omnibus terrarū finibus continetur, non tamen omnes mortales apud ipsum pari conditione sunt, aut æque in cœlu recipiūtur: illa enim sedes iis duntaxat parata est, qui vitam cœlestem in terris imitantur. Id monet vir sapctus his carminibus, & simul celebrat ascensum Christi Dei in cœlum, apposite id quidem, quando ille nobis iter in ea loca patefecit, & princeps immortali corpore penetrauit in concilium beatorum. Inducit autem cœlites ea de re colloquentes inter se, & gradum inferiorem mentium beatarum à superiore discretem, eum, qui humana specie ac figura ascendat in cœlum, esse cœlitum, atque hominum regem ac dominum, qua de re diligenter explicat Dionysius ille magnus: quem rite possumus appellare Theologum diuinum ac cœlestem.

Psalmus Dauid XXIIII.

DOmini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.

Quia

Quia ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum.

Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius?

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino, & iuſtitiam à Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentiũ eum, quærentium faciem dei Iacob.

Attollite portæ capita veſtra, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portæ capita veſtra, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus exercituum ipſe eſt Rex gloriæ.

EXPLANATIO.

Quis aſcendet. *Dixerat Deum terrarũ, & cunctarum rerum Dominum, & creatorem eſſe: nunc demonſtrat qua ratione poſſimus ad eum peruenire, quando ob eam cauſam creati ſumus vt in terris iuſtè cũ fide, & pietate viuentes in cælum migraremus, & cum Deo beati aum ageremus ſempiternum.*

Qui non accepit in vanũ animam ſuam.

Id

Id est, qui non contemnit eas res, quarum rerũ causa animus illi datus est à Deo: datus est autem omnibus, vt iustitiam, & pietatem colamus, atque omnem operam, curam, & studiũ ponamus in iuuãdis hominibus. Sed Chimis existimat eum commendari, qui falsum non iurat per animam suam, verùm verba hæc possunt ex Hebræo conuerti etiam ad hunc modum, qui nõ extulit ad vanitatem animam suam, id est qui animum suum ita refrenat, támque studiosus est simplicis veritatis, vt ab omni mendacio sibi temperet, neque vllæ in re vanitatem orationis adhibeat.

Et iustitiam à Deo. *Dictum est à nobis alio loco, iustitiã in literis sanctis sæpe applicari probonitate, & beneficẽtia, qua vtitur Deus in eos qui cum fide & virtute viuunt.*

Attollite portæ. *Cælites, qui* IESVM *in superas sedes ascendentem comitantur, his verbis portas cæli, portarũq; custodes affantur: sed hũc locum diligenter explanat Dionysius in eo libro, qui inscribitur de cælesti Hierarchia. Quod reliquum est scire oportet, nonnullos existimare, Dauidem cùm is templum Hierosolymis ædificare constituisset, atque omnia quæ ad ædificationẽ erãt necessaria, summo studio comparasset, hũc hymnum composuisse: itaque istorum sententia is ad hunc modum explanandus est: Cùm vir sanctus ait, domizi esse terram,*

&

& quicquid in ea cõtinetur, intelligi vult fortunatissimam esse nationẽ Hebræam quã Deus, qui omnium terrarum Dominus est, præcipuè tuendam, atque ornandam susceperit, & sum apud eam domicilium collocare voluerit. Cùm verò infert, Quis ascendet in montem Domini? de Sione loquitur qui mõs tẽplo destinatus erat, tum exponit, qua vitæ, qui ve mores deceãt eos, qui locum illũ sanctissimum frequẽtare velint. Quòd autem hortatur fores templi, vt sese tollãt, atq; assurgant: regem enim gloriæ ingressurum significat, perfecto ædificio arcam fœderis in eadẽ à sacerdotibus introferendam, cui arcæ Deum inter Cherubinos insidere prædicant literæ sanctæ: propterea quòd ex eo loco responsa dare, & precibus populi benignas aures adhibere cõsueuerat. Denique fores templi æternas vocat ad significandam eius diuturnitatem: tũ etiã quòd Deus id certum, & stabile domicilium habiturus erat, cùm superiori tempore arca sæpius locum, & sedem mutauisset, itaque alio loco dicitur, elegit Dominus Sion, Desideranit eã in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam.

PARAPHRASIS.

DOmini est orbis terrarum, & quicquid ea continetur.

Iam

Imperat autem ille omnibus terris, non per vim occupato principatus aut altero de possessione deiecto, sed ipse vt cæteras mundi partes, sic globum terræ eminentem ex aquis adsiciauit, & ex nihilo fecit vt omnia existerent, quò extaret monimentũ suæ bonitatis admirabile atq; sempiternum. Nos autem ob eam rem creauit, atq; animum in corpore, intelligentiam conclusit in animo vt in terris iustè cum fide ac pietate viuentes, ad cœlum migraremus, & secum beati æuum ageremus sempiternum.

Quis igitur hoc assequi, atque ad hunc altissimum dignitatis gradum peruenire poterit?

Nempe cuius neq; facta, neque cogitata vllo scelere aut flagitio contaminata fuerint: qui neque peierarit, neq; cõtempserit eas res, quarum rerum causa animus ille datus est à Deo: datus autem omnibus, vt dictũ est, quò res diuinas cõtemplemur, & iustitiam colamus, & humanã societatem tueamur, quò totam viuẽdi rationẽ in modestia, & animi magnitudine, atque rerum humanarum contemptione & despicientia, & in omni virtute ponamus.

Qui vitam instituunt ad hũc modum, atq; animum exercent in optimis rebus, ij maximis præmijs donabuntur à Deo, ij Dominum quærunt, ij recipientur in concilium cælestẽ, & iucundissimo maximi patris aspectu fruentur in perpetuũ. Quòd si purè & castè vitam colentibus

bus est aditus ad cœlestes domos quis tã purus & innocens, quis tã integer animi, quàm IESVS *ille maximus atq; sanctissimus? Itaq; primus ille in superas sedes inuectus est triũphãs è rectoribus tenebrarũ, & sempiternis illis hostibus generis humani secũ agens innumerabiles animos piorum, qui sub imis terris multa sæcula detinebantur.*

Ergo IESV *mundi Domino in cælum ascendente præcurrerunt mentes illæ beatæ, corporũ semper expertes, atq; his verbis affatæ cœli portas, & cum earum custodibus ad hunc modum collocutæ sunt: tollite, ô fores capita vestra, tollite, inquã, vos altius ô fores sempiternæ, & ingredietur rex ille illustrissimus.*

Quisnã est iste rex illustrissimus? Dominus fortis & potens, Dominus bellator eximius.

Tollite ô fores capita vestra, tollite, inquã, vos altius ô fores sempiternæ, & ingredietur rex ille illustrissimus.

Quisnam est iste rex illustrissimus? Dux cœlestis exercitus est rex illustrissimus.

ARGV. PSAL. XXV.

Precatio est hominis in maximo periculo versantis, & quoniam sæpenumero res aduersæ nobis accidũt à Deo ob res paru honeste actas, propterea sibi misericordiam tribui, & omnia peccata remitti ac condonari deprecatur, idque lenitate ac diuini numinis clemẽtia dignum esse demonstrat. Interponit autem sententias grauissimas, atque ad rectam

& piam vitæ institutionem vtilissimas. In primis cõmendat lenitatem animi & modestiã, nosque ad humanitatem & mansuetudinem amplexandam cohortatur, affirmans Deum istarum virtutum amatoribus ducem & comitem futurum, atque illis rectissimam viuendi viam monstraturum. Quòd si tãta præmia tribuuntur hominibus mansuetis, seq; summissè gerentibus, nimirum omni studio lenitas colenda est, morumq; facilitas, & superbia radicitus ex animo extrahẽda, quo Dei cura & eruditione digni efficiamur, qui in Euang. clara voce pronuntiat. Discite à me, animo enim miti atq; humili sum. Et profectò cum nulla ferè virtus existat, quam summa diligentia Christianus colere nõ debeat, tũ verò præcipuum ac singulare insigne huius sanctissimæ professionis est suauitas morum & mansuetudo, quæ nos amabiles in primis & hominibus charos, & Christo Deo quàm simillimos facit: qui cum acerbissimè excruciatus necaretur, & supplicia impiorum asperrima crudelissimáque perferret: mitissimo animo tulit omnes iniurias. & cùm vim quidem incredibilem sui numinis ac potentiã declararet, vrbem atque agros horribili terræ motu concutiens, & portentosa nocte meridianum lumen obscurans, non minora tamen lenitatis suæ documenta dedit, cum teterrimum facinus Iudæorum, non modò non vindicaret. verum etiam se deprecatorem pro illorum salute ac commodis præberet, parentem suum orans atq; obtestans, vt inimicorum furori atque amentiæ parceret, ac supplicia quæ illi erant commeriti, pro sua benignitate condonaret. Quo quidem saluberrimo exẽplo nos admonitos esse voluit, nihil esse in tota ferè via, quod homines æquè diuino numini cõmendet, ac si repudiatis moribus duris atq; asperis humanitati sese toto animo dedãt, morũq; facilitati.

Psal

Psalmus Dauid XX.

AD te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido ne erubescam.

Neque lætentur de me inimici mei: etenim vniuersi, qui expectant te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus saluator meus.

Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quę à seculo sunt.

Delicta iuuentutis meæ, & transgressiones meas ne memineris.

Secundùm misericordiam tuam memẽto mei tu, propter bonitatẽ tuam Domine.

Bonus, & rectus Dominus, propter hoc docebit peccatores viam.

Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.

Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas custodientibus testamentum eius, & testimonia eius.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.

Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram.

Arcanum Domini timentibus illum, & testamentum suum manifestabit illis.

Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, & miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me.

Vide afflictionem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, & erue me: ne erubescam: quoniam speraui in te.

Simplicitas, & rectitudo custodiant me, quia expectaui te.

Libera Deus Israël ex omnibus tribulationibus suis.

EXPLANATIO.

Ne erubescam. *Id est, ne, quæso ea spes me fallat, quam in tua clementia fixam, & locatã habeo.*

Iniqua agentes superuacuè. *His verbis designat eos, qui neque errore labuntur, neque ob animi infirmitatem, atque inconstantiam se turpi*

turpitudine, ac maleficijs delectantur, atq; ijs qui nihil meruerunt infesti sunt.

Vniuersę vię Domini. *Quicquid agit Deus, quicquid præcipit ac loquitur plenũ est misericordia, veritate, & iustitia: sed quibus? ijs nimirũ qui obseruant sanctissimi fœderis leges, quas ipse monumentis librorum diuinorũ voluit esse testatas, hoc si geratur, in omnibus consilijs, & factis & verbis Dei perspicitur incredibilis misericordia, et veritas, atq; iustitia: quarũ specie non intuetur animus impiorum caligine vitiorum & cupiditatum obcæcatus. Misericordia pertinet ad beneficia, quæ nobis tribuit Deus gratuitò, id est nullis meritis nostris prouocatę. Veritas referẽda est in primis ad fidẽ dictorũq; constantiam. Misericordia Dei gratis pollicetur veritas summa fide promissum facit. Sic interpretatur veritatem Dei Diuus Paulus in epist. ad Rom. cap. 15.*

Propter nomen tuum propiciaberis peccato meo. *Id est, cùm sis clemens, & misericors, ignoces Domine peccatis meis, quorũ turpitudinem, & maculas ego sponte mea non possum eluere.*

Legem statuit ei in via, quam elegi. *Hoc est, habebit Deũ magistrum, & doctorem, qui leges ipsi dabit salutares, et accommodatas ad eam viuendi rationem, quem is sibi constituerit: nequè enim omnes, qui pietatem colunt, eã-*

dem vitæ sequuntur viã. Sed potius hoc ad ipsũ Deũ referendum est, vt sit sensus, illũ fore magistrũ hominibus pijs in eo vitæ genere, atque instituto quod ipse probat.

Arcanum Domini. *Pollicetur, Deũ hominibus pijs, & religiosis aperturũ mysteria sua, & scientiam fœderis, quod monimentis legũ diuinarũ continetur, traditurum: quo munere nihil excellentius, nihil salutarius, aut iucundius excogitari potest.*

PARAPHRASIS.

AD te Domine tollo mentem atque animũ meũ, humana omnia obliuiscens, te solum cogitans, in te vnum omnium rerum Dominũ & moderatorẽ aciem mentis intendens. Confidant alij viribus suis, amicorum opibus et gratia nitantur: ego certè ad tuam misericordiã confugio, te vnum inuoco, te mihi omniũ mearum rerum defensorem adiutoremq; adopto.

Ne quaso Domine ea spes me fallat, quã in tua clementia fixam et locatã habeo, neve permitte, vt irrideant me inimici mei ope tua destitutum, et in tãtis calamitatibus derelictũ. Ero animo erecto atq; cõstãti, cùm exploratissimum habeã eam semper fuisse bonitatem tuam, vt nunquam pios destitueres, nunquã violari sustineres: qui ad te suppliciter cõfugissent, & in præsidio tuo spes suas collocassent.

Multiplex ratio est peccandi, quidam enim

non

non tam voluntate, quàm casu quodam & errore labuntur: multi ob inconstantiam & animi infirmitatem. At qui ad eam turpitudinẽ & insaniã producti sunt: vt sine causa seso flagitijs & sceleribus cõtaminent, & peius morte oderint vitam maleficio vacantẽ, neq; vnquam intermittant bonos & innocentes vexare, et capite ac fortunis oppugnare: hi Domine ope tua sunt indigni, horũ tu conatus & consilia infringe, ne ad scelera perueniant, qua machinantur.

Et quoniam multi aberrãt à veritate et syncera diuini cultus tui sanctitate, aut vitijs & perturbationibus animi obcaecati, aut falsis impiorũ opinionibus inducti: in hos errores ne ego precipitem, tu quaso per has tenebras & vias vitæ difficiles vadentem comitare dies noctesq; optime parens, & custos salutis meæ: tantumq; amorẽ tui excita in animo meo, vt nihil rectius mihi, nihil aut facilius aut iucũdius esse videatur, quàm honestã viuendi rationem sequi, & cursum conficere præceptorum tuorum, vt aliquãdo post tãtos labores & ærumnas huius vitæ perueniam ad illam domum tuam celestẽ, omnibus bonis et gaudijs circũfluentẽ, vt perfectè cumulateq; beatus in sempiterna pulcherrimi numinis tui cõtẽplatione conquiescã. Te Domine Dies noctesq; sẽper expecto, ex toto animo, tota cogitatione pẽdeo, te mihi doctorem & ducẽ et propugnatorem votis omnibus requiro.

Neque tamẽ sum nescius, quàm me indignũ amore et liberalitate tua reddiderim assiduè peccãdo, et ab obseruatione præceptorum tuorũ nimium sæpe aberrãdo: sed recordare pater optime admirãdæ lenitatis & clementiæ, quæ semper vsus es iam inde ab vltima origine mundi. ex quo effectum est, vt viri sancti te misericordiæ parentem appellarent.

Itaque per hoc tuum institutum saluberrimum sempiternum vnum oro atque obtestor, vt quicquid ad hãc diẽ peccaui, quicquid sceleris & flagitij concepi, mihi condones, & oblitione deleas sempiterna. Plurima, fateor Domine, per imprudentiam cõmisi, plurima per amorem & iram et agritudinem animi: dũ stimulis adolescentiæ incitabar, et vanis bonorum simulachris delusus, vera solidaque & expressa bona contemnebam.

Horum quæso omnium memoriã depone pro tua incredibili misericordia & bonitate, atque in reliquũ tempus animum meum ita cõfirma & corrobora, & tuis armis rege vt possim viriliter obsistere rectoribus tenebrarũ vitæ huius, cum quibus continẽtia bella nobis intercedunt, & tam dura certamina, vt salus omnino desperanda sit, nisi tu imbecillitatem nostram respicias, & præ immensa bonitate tua saluos incolumésque conserues.

Euentura precor: nam Dominus est bonus,

suam

ſuam q3 bonitatem liberaliter impertit, idem q3 recti amantiſſimus eſt: propterea rectam viuendi viam errantibus monſtrabit, & præſcribet illis quid ſequendum & quid fugiendum.

Dominus mansuetos, ſeq3 ummiſſè gerentes liberaliſſimè docet quomodo delectum habeant bonorum & malorum & omnia iudicio & ratione adminiſtrent. Dominus humanis & mitibus in hoc periculoſo vitæ curriculo dux & comes fidiſſimus eſt vt tuto ac facili itinere perueniant ad vitam beatam & immortalem.

Quicquid docet ac præcipit Dominus, quicquid illa agit, plenũ eſt miſericordia pariter atque iuſtitia: ſed quibus? obſeruantibus leges & præcepta ſaluberrima, quæ optimus pater pro ſua benignitate monimẽtis librorum diuinorũ voluit eſſe teſtata. Hoc ſi geratur, in omnibus cõſilijs, & factis, & verbis Domini perſpicitur incredibilis miſericordia atque iuſtitia: quarũ ſpeciem non intuetur animus impiorũ caligine vitiorũ obcæcatus: quo fit, vt ſupplicio affecti, Deum vocent iniquum et cruaelem: quanquã minores quàm pro ſceleribus pœnas pendunt.

Cùm igitur hæc ita ſe habeant, et clemens appelleris & bonus, ignoſce precor Domine peccatis meis, longè enim maiora ſunt illa, quã vt ſponte mea poſſim eorum turpitudinem & maculas eluere.

Ecquis eſt quã eſt, qui reuereatur Dominũ,

illumq; purè & castè veneretur et colat? rarus sanè sed felix fortunatusq;, quisquis est talis: habebit enim Deum magistrum & doctorem, qui leges ipsi dabit salutares, & accommodatas ad eam viuendi rationem, quam is sibi constituerit. neque enim omnes qui pietatem colunt, eandem vitæ sequuntur viam: sunt enim qui rempub. capessant, seq; ad gerendas res magnas, hominumq; generi fructuosas accommodet, sunt qui otium præferant, & in contemplatione rerum diuinarum sese totos constituant: alij ad ius ciuile, alij ad mercaturam sese applicant, alius denique alio ætatis degendæ genere implicatur: sed quam quisq; vitæ non vitiosæ viam adamarit, in ea potest iustitiam, fidem pietatem, temperantiam præstare. Deoq; charissimus esse, qui publicanis & militibus seruis & dominis, parentibus & liberis, maritis & vxoribus aptissimas leges dat.

Quòd si quis eas leges obseruauerit, animus eius omnibus bonis abundabit, leges enim Domini sanant animos, inanes timores & solicitudines detrahunt, cupiditatem & libidinum flammas ardoresq; restringunt: homines magnos, excelsos, et humana omnia contemnentes efficiunt: pietatem, gaudium, pacem, spem, securitatem largiuntur, et excedentibus è vita duces sunt in cœlum: vbi sanctis viris parata sunt præmia, quæ neq; oculis cerni, neq; verbis explicari, neque animo comprehendi queunt. Et quoniam natura ingenitum

ſt nobis præcipuus quidã amor poſteritatis, vt in omne tempus familia noſtra conſultum velimus: & magno dolore afficiamur, ſi quãdo illã interiturã exiſtimemus, aut grauiter aliquod incommodum acceptura: polliceor & ſtirpis: & rerum ſecundarum diuturnitatem, ijs qui virtutem & pietatem colunt.

Sed quid ego res paruas, & leui momẽto æſtimãdas polliceor? imò verò ſpondeo & aſſeueranter affirmo, Deum homini pio & religioſo myſteria ſua aperturũ, ſcientiamq; traditurũ literarum ſanctarum: quo munere nihil excellentius, nihil ſalutarius, nihil aut pulchrius aut iucundius excogitari poteſt, quippe cùm his monimentis contineatur omnis rerũ diuinarũ cognitio: quæ quidem ſic animos piorum afficit, ſic ebrios, & ſancto quodã furore incitatos agit, vt parẽtes, amicos, opes, honores, humana obliti, ſolũ Deum cogitẽt, ſolum illum ſuſpirent, ſolum precibus & votis continentibus expoſcant, & ſi ita res ferat, ſeſe pro eius nomine vinculis & telis, & omnibus tormentis, animo lato ac præſenti offerant. Sæpe etiam ex oculis mortalium ſeſe remoueãt, & ſolitudines montium, & recondita nemora perſequantur, vitam herbis et baccis arborum ſumma cum voluptate tolerantes, quo poſſint ab omnibus curis et moleſtijs vacui in ſola Dei cõtemplatione conquieſcere. Sed amoris æſtus in dies ſingulos creſcẽte, iam lucis

huius

huius Sturã pertasi, iam sponsi videndi desiderio confecti continenter oculos & puras manus ad cæli sanctissima templa subiata habent, & vim lachrymarũ profundẽtes, his vocibus Deũ venerãtur: Quàm amabile est domicilium tuum, ò rex maxime cælitum? deficit, et tabescit animus meus desiderio domus tua.

Cùm itaq; intelligã talia, & tanta præmia esse proposita hominibus cum iustitia et pietate viuẽtibus iure ac merito ego omnes cogitationes meas in Deo constitutas habeo, nũquam ab illo oculos animi deijcio, in sola eius misericordia cõfido: ipse enim extrahet pedes meos ex laqueis insidiarum, quibus irretitus tenebor.

Solus sum Domine, & omni hominum auxilio destitutus: at tu solitudinem & calamitatẽ meam placidis oculis intuere, & si quid valent preces ardẽti pietate incensa, da pater auxiliũ, & tantis auerte periclis.

Satis superq; pœnarum dedi, satis laborũ & ærumnarũ exhausi, iam queso mihi misericordiã tribue, iam iræ tuæ violentiam remitte, & pro tantis calamitatibus ignosce peccatis meis.

Aspice multitudinem hostium meorum, aspice scelus et acerbitatem: non satis fuit, innocentem patriæ finibus eiecisse: iectũ, egentem, sylvas & deserta loca peragrantem persequũtur, neque finem furoris facere possunt, nisi cruciatu & sanguine meo saturentur.

At

At tu Domine tuere vitam meã, quam mihi eripere illi omni ſtudio contendunt, et libera me tãtis angoribus & ærumnis. Ne quæſo has ſupplicis tui voces Domine contemptas habe, néve permitte me crudelitati et ludibrio inimicorũ, quando in te vnum atque tuam miſericordiã me totus conuerti, te intueor, in te omnis ſpes ſalutis meæ conſtituta eſt.

Innocentia mea tueatur me, & mihi opem impetret quam expecto.

Libera Deus ab omnibus incommodis & calamitatibus Iſraël.

ARGV. PSAL. XXVI.

Exponit vitæ ſuę rationem, ſeque omnibus proponit imitandum. Videtur autem hæc ſcripſiſſe, cũ falſis criminibus vocaretur ab inimicis in inuidiam, atque in exilium eiectus apud Palæſtinos homines impios & facinoroſos, ætatem agere cogeretur.

Pſalm. Dauid XXVI.

IVdica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, & in Domino ſperans non infirmabor.

Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.

Quoniam miſericordia tua ante oculos meos, & ambulaui in veritate tua.

Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.

Odiui cœtum malignantium, & cum impijs non ſedebo.

Lau

Lauabo in innocentia manus meas, & circundabo altare tuum Domine.

Vt audire faciam vocem laudis, & enarrem vniuersa mirabilia tua.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis Deus animam meã, & cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me, & miserere mei.

Pes meus stetit in rectitudine, in congregationibus benedicam te Domine.

EXPLANATIO.

Et in Domino sperans non infirmabor. *Deus enim fortitudinem, & firmitatem animi præstat ijs, qui spẽ habẽt in misericordia ipsius, atque illos ita corroborat, vt summa constãtia perseuerent in recta, & pia viuendi ratione.*

Proba me Domine. *Fac (inquit) periculũ innocentiæ meæ, atque vt aurum, & argentum igne perspiciunt, sic tu intimos sensus, & affectiones animi mei diligenter explora.*

Quoniam misericordiæ tuæ. *Hæc sunt quæ Deus requirit à nobis: primũ scilicet, vt omnem salutis fiduciã in eius misericordiæ collocemus: deinde vt nostras actiones ad normã voluntatis suæ dirigamus: veritatem autẽ diuinã*

hoc

hoc loco interpretor, quicquid Deus suis legibus sanxit, quibus nihil verius, nihil iustius aut rectius fieri potest. Quid verò, si huius versiculi hæc sit sententia? Mihi semper ob oculos versata est misericordia tua, in qua omnem meã spẽ fixam, & locatã habeo, tota vitæ meæ ratio semper nixa est veritate numinis tui: te enim promissa facturum, & summa fide præstaturum quæ pollicitus es, nunquam dubitaui: promisisti autem, colentibus piè tuum sanctissimum numẽ te præsidio & ornamento, salutique futurum. Hæc proponit vir sanctus tanquam certissima signa innocentiæ suæ: & rectissimè quidem: nemo enim misericordiæ & promissionibus Dei potest confidere, quin pietatem, & iustitiam, & temperantiam colat, ipsumq́; Deũ propitium, & fauentem habeat.

Lauabo in innocẽtia manus meas. *Id est, incumbam toto pectore in eam curam, vt omnes actiones meas ab omni labe integras, & castas exhibeam.*

Ne perdas cum impiis. *Theodoretus existimat Dauidem fecisse hunc Psalmum, cum versaretur apud Palæstinos, ad quos perfugerat expulsus à Saule, optat igitur in patriã redire, ne cum hominibus impijs, & humano sanguine cruẽtis pereat, quibus certa pernicies impendet: vel potius significat iis verbis, se non ita confidere innocentiæ suæ quin intelligat, se vnà cum*

impijs perituru, si tu dex ille summus iure magis uti uelit, quàm misericordia.

In quorum manibus. *Qui semper in promptu habent scelera quæ edant in aliquem innocentem.*

Dextera eorum. *Accipiunt enim pecuniã ob ius dicendum, & insontes condemnandos.*

Pes meus. *Ait se uirtutis & pietatis uiam semper secutum esse; intelligẽs autem, & bonã mentẽ, & omne studium recti existere donum Dei, profitetur se gratum, ac memorẽ tanti beneficij futurum, & laudes sanctissimi numinis in conuentibus piorum celebraturum.*

PARAPHRASIS.

Magnis criminibus oneror ab inimicis, & tanquam iure indignus ab importuno tyranno capite cõdemnor. At ego maxime omniũ rerũ Domine te appello, tu uerus & iustus es iudex, tu causæ meæ disceptator esto, pro certo enim dico, me neminẽ unquã uiolasse, & animum ab omni scelere ac flagitio semper alienum habuisse: neque hanc gloriam meam ulla uis labefactabit quãdiu spem habuero in misericordia tua, à qua omnia bona promanant, et inuiolata conseruantur.

Domine fac periculum innocẽtiæ meæ & ut auru, atq; argẽtũ igne perspiciũt, sic tu intimos sensꝰ, et affectiones animi mei diligẽter explora.

Hoc ego non deprecor, neque recuso, quoniã mihi

mihi semper ob oculos versatur bonitas tua: & summa diligẽtia semper caui, ne impijs opinionibus animo imbibendis, aut tuis legibus sanctissimis violandis tibi displicerem.

In primis omni studio repudiaui vsum & familiaritatem hominum vanorũ & fallaciũ, ac cœtus & consuetudinem nocẽtium impiorumq; declinaui, meq; ad honestas amicitias semper adiunxi: atq; in posterũ incumbã toto pectore in eam curam, vt animũ ab omni labe integrũ & castũ exhibeã. At cùm me ab exilio domum reduxeris, aram tuam domine choro canentẽ, & magna victimarum multitudine circundabo, atq; hymnos & carmina de laudibus tui sanctissimi numinis cantabo, & mirabilia pulcherrimaq; facinora ad citharam memorabo.

Summe pater, odi ego peius morte colloquia & consuetudines impiorum: at pulchritudinẽ & sanctitatem templi tui plusquam oculos & vitam diligo, atque amo.

Quòd si mores & amicitias impiorum semper declinaui si semper bonos & innocentes summo studio colui & obseruaui, ne quæso domine me condemna cum istis hominibus impuris, & humano sanguine cruentis, cum quibus coactus & inuitissimus viuo.

Sed habeant ipsi semper in promptu scelera, quæ edant in bonos viros & iustos, accipiãt ipsi pecuniam ob ius dicendum, & insontes circun-

uenicndos, ego certè pergam tenere eam viam, quam à puero institui: neque animum meũ ab innocentia, & pietate, mores & exempla perditorum hominum auertent.

Tua benignitate factum est domine, vt semper virtutis & pietatis viã secutus sim, neque à recto viuendi cursu vnquã aberrarim: quãdo igitur tãtis bonis à te auctus et ornatus fu, nunquam desistam tibi gratias & habere & agere, & nomẽ tuum in conuentibus hominum prædicare. Quinetiam tempus veniet, cùm in omnibus terrarum oris & templis tuas laudes celebrabo, & tibi voce piorum plenissimos sanctitatis hymnos canam.

ARGV. PSAL. XXVII.

Vir sanctus crebris & maximis periculis liberatus à Deo, fortis & animosus erat factus, vt nulles impetus, aut insidias inimicorum iam extimesceret. Eam fiduciam proponit nostri confirmãdi causa: tum etiam pietatem suam prædicat aduersus Deum, & ab eo præsidium implorat contra importunitatem aduersariorum, ac spe eius præsidij animum suum confirmat.

Psalmus Dauid. XXVII.

DOminus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

Dum appropinquant contra me nocentes, vt edant carnes meas.

Tribu

Tribulantes me, & inimici mei, ipſi im pegerunt, & ceciderunt.

Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.

Si exurgat aduerſum me prælium: in hoc ego ſperabo.

Vnum petij à domino, hoc requiram: vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ.

Vt videam iucunditatem domini, & viſitem templum eius.

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.

In petra exaltauit me, & nunc exaltabit caput meum ſuper inimicos meos.

Qui in circuitu meo ſunt, & immolabo in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis: cantabo, & pſalmum dicam domino.

Exaudi domine vocem meam, cùm clamauero: miſerere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meũ, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam domine requiram.

Ne auertas faciem tuam à me, & ne labi ſinas in ira ſeruum tuum.

Adiutor meus eſto ne derelinquas me, neque deſeras me Deus ſaluator meus.

Quoniã pater meus, & mater mea dereliquerunt me, dominus autẽ aſſumpſit me.

Doce me domine vitã tuã, & deduc me in semita recta propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & loquentes mendacium.

Nisi credidissem, me visurum bona domini in terra viuentium.

Expecta dominum, viriliter age, & ille roborabit cor tuum, & expecta dominum.

EXPLANATIO.

Dominus illuminatio mea. *Alio loco dictum fuit pericula, & calamitates appellari tenebras in literis sanctis, itaq; dominũ malorũ depulsorem ritè vocat illuminationem suam, à quo etiam mors illustratur, vt possit aspicere pulchritudinem virtutis & pietatis, quarũ gradibus ascenditur in cælum.*

Vnum petij à domino. *Tantis ego beneficiis affectus à Deo, tam propitium, & salutare numen expertus, vnum quæro, vnũ votis omnibus expecto, vt pace parta cõquiescam in sanctissimo templo Dei mei, & canẽdis eius laudibus, rebúsque diuinis contemplandis reliquam vitã consumam.*

Quoniam abscondit. *Allegoria est, quæ significat præsentem tutelam Dei, qua quidem allegoria ducta est ab historia Mosis, qui tutus fuit ab impetu populi, cùm fugisset in tabernaculum Dei.*

In

In petra exaltauit me. *Hæc quoque est allegoria ducta ab ijs, qui persequentibus inimicis se recipiunt in rupem aliquam excelsam, & præruptã, & omnibus ex partibus natura munitam.*

Hostiam iubilationis. *Sic appellat genus illud sacrificij, quod fiebat pro adepta victoria: in eo enim tubarum clangor adhibebatur, vt scriptum est in numeris.*

Tibi dixit cor meum. *Id est, te precor ex animo.*

Ne tradideris me in animas tribulantiũ me. *Ne salutem (inquit) meam dede potestati, ac libidini hominum perditorum, qui me capite & fortunis acerbissimè oppugnãt. Anima pro desiderio, & cupiditate sæpenumero sumpsitur in literis sanctis.*

Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui. *Queritur de ijs, qui ipsum proditionis insimulabant, & criminibus falsis in inuidiam, et vitæ periculum vocabant.*

Nisi credidissem me visurum bona domini in terra viuentium. *Non malè sentire videntur & nostri, & quidem ex Hebræis explanatoribus, qui terram viuẽtium interpretãtur cælestem illam regionem, quam incolũt animi piorum, qui tum demique verè viuunt, cum è corporum vinculis euolauerunt: nostra enim quæ dicitur vita, mors potius est. Verumtamen*

negare non possumus, quin literæ sanctæ viuentium terram, appellare soleant hunc medium mundi globum, vbi degitur vita hæc breuissima, & caduca, sicut inferos nominant terram obliuionis: id ita esse, vel ille versiculus Psal. 52. confirmare potest, propterea Deus destruet te in æternum, tollet te, & euellet te de tabernaculo, & radicem tuam de terra viuentium. Quinetiam Esaias Iesum Christum, abscissum esse dixit de terra viuentium, cùm dicere vellet, illum à Iudæis è medio sublatum, & crudelissimè interfectum esse. Itaq; videtur oratio huius versiculi, quæ quidem præcisa, & imperfecta est, hãc continere sententiam: profectò de vita iampridem desperassem (tanta vi ab inimicis potentissimis vndique oppugnor) nisi fidem habuissem verbis Dei, qui pollicitus est, post exilium longum, & grauissimas calamitates se mihi & regnum, et vitam placidissimam, omniúmque bonorũ plenissimã concessurum, cùm itaque scias ô anima mea tibi tãta bona esse promissa ab illo, qui fallere non potest ne dubita, sed dominum patiẽter expecta, téque virilster gere: ille roborabit animum tuum, confide misericordiæ domini, & illum patienter expecta.

PARAPHRASIS.

DOminus, & lux, & salus mea est, quem igitur metuam?

Dominus firmamentũ ac robur est vitæ meæ, quic

quis ergo me perterreat?

Non temerè hanc animi fiduciam præ me fero: iã enim expertus didici, quàm sit chara salus mea domino. Immineb̃at hostes capiti meo, & in eum locum ventum erat, vt ex eorũ telis & manibus elabi posse nõ viderer, cùm subitò procubuerunt, & quam perniciem mihi comparabant, in eam ipsi nec opinantes incurrerunt.

Itaque cùm videam Deum pro me propugnantem, si me hostium castra circunsedeant, nõ trepidabit animus meus: si præliorum in me vis & furor inuadat, placida & trãquilla mẽte consistam.

Tantis ego beneficijs affectus, tam propitiũ & salutare numen expertus: vnũ quæro, vnum votis omnibus expeto vt pace parta conquiescã in sanctissimo templo Dei mei, & canẽdis eius laudibus, relusq; diuinis contemplandis reliquam vitam cõsumam. Hac ergo delectatione affici, hac vna voluptate potiri expeto.

Nimirum ille mihi tutissimũ perfugiũ semper præbuit in calamitate, nõ secus ac si me in intimas domus suæ latebras abdidisset, aut in rupẽ aliquã sustulisset, excelsam illam quidẽ, & præruptã, atque omnibus ex partibus natura munitam. Quinetiam certò scio, me breui tempore regno potiturũ, sublatis inimicis, à quibus circunsedeor.

Itaque aliquando tandem sanctissimũ tem-

plũ Dei mei Generabor, & pro Victoria lætus Victimas immolabo, adhibitis hymnis, & clangore tubarum.

Audi domine preces meas, quoties imploro numen tuum: miserere mei. & supplicis tui Vocem ne contemptam habe: quoniam te precor ex animo, teq; semper summa pietate colui, & in reliquum tempus semper colam.

Ego pater clementissime, totum animũ meũ ad te conuerti, faciem tuam semper quæro, eam quæso ne auerte, neve sublato Vultus tui lumine mentem meam in tenebris, & cæca nocte relinque, néve sinas iratus opprimi seruum tuũ: sed quam mihi salutem pro immensitate benignitatis tuæ donasti: eam tuere ab impetu & crudelitate inimicorum.

Cùm me nõ solùm amici, & propinqui deseruissent, sed etiam solatio parentum orbatus forem, Dominus solitudinem & calamitatẽ meã miseratus, me in fidem suã amantissimè recepit. Ita enim ferè fit, vt qui destituuntur ab hominibus, confugiant ad misericordiã domini, qui neminem aspernatur, atq; adeò laborãtes & afflictos in suum sinũ Vltrò Vocat, suauissimis Verbis eos ad hunc modum appellãs: confugite ad me omnes quicunq; laboratis & grauati estis, atque ego reficiam & recreabo Vos.

Monstra mihi domine Viam tuam, neq; permitte animum meũ Vlla Vi, Vel metu inimicorum

eorū à curriculo virtutis & pietatis aberrare: nēve salutem meam dedę potestati & libidini perditissimorum: subitò enim exorti sunt testes vani, periuri, & ab omni religione abhorrētes, qui me proditionis insimulēt, & criminibus falsis in inuidiam & vitæ periculum vocent.

Profectò me iampridem animus & vita defecisset præmagnitudine calamitatum, nisi hæc illātē iam iamq; ruentem ea cogitatio fulsisset quòd certissimā spem habeo, me post tantos labores & erumnas huius vitæ miserrimæ, aliquādo tādem migraturum in illas beatissimas oras, quo neque mors, neq; dolor, neque vis vlla morbi aut calamitatis aspirat: vbi placidissima quies, dulcissima pax & vita sempiterna vigent: vbi maximus ille omnium rerū creator, & dominus æternas voluptates, lætitias, iucunditates animis sanctis ex abundantissimo sui numinis fonte profundit.

Confide misericordiæ domini, excita fortitudinem animi, teq; viriliter gere, ne dubita: ille roborabit mentem tuam, confide misericordiæ domini.

ARGV. PSAL. XXVIII.

Precatio est, qua vsus fuerat, cùm in magno periculo versaretur.

Psalmus Dauid XXVIII.

AD te domine clamabo, protector meus ne fileas à me, ne quando taceas

à me, & assimilabor descẽdẽtibus in foueã.

Exaudi domine vocẽ deprecationis meę dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cũ peccatoribus, & cum operantibus iniquitatẽ ne perdas me.

Qui loquuntur pacẽ cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundùm opera eorum, & secũdùm nequitiam studiorum suorum.

Secundùm opera manuum eorũ tribue illis, redde retributionem suam eis.

Quoniam non intellexerunt in opera domini, & in opus manuum eius destruet illos, & non ædificabit eos.

Benedictus dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.

Dominus fortitudo mea, & clypeus meus est, & in ipsum sperauit cor meum, & adiutus sum.

Et exultauit cor meũ, & in cantico meo confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suæ, & robur saluationum Christi sui est.

Saluum fac populum tuum domine, & benedic hereditati tuæ, & pasce eos, & extolle illos vsque in æternum.

EXPLANATIO.

Ne sileas à me. *Id est, ne quæso, repudies pre-*

ces

ces meas, nè ve deseras me ĩ tãtis malis, si enim mihi nõ subuenis, similis ero descendẽtibus in fo ueam id est, mortuis, qui sepultura afficiuntur.

Ne simul trahas me. *Ne trahas me ad supplicium ũnà cum impijs hominibus, quorũ ũtor consuetudine coactus, & inuitus.*

Qui loquuntur pacem. *Eos designat, qui insidias ipsi comparabant, cùm tamen speciem præ se ferrent amicitiæ.*

Quoniam non intellexerunt. *Quoniam isti animum adijcere nolũt ijs cõsideradis, quæ gerũ ur à prouidentia Dei, neq; intelligere ũo lunt, me consilio, ac numine diuino constitutum esse regem, & qui fortunas meas conuellat, illũ Dei ũoluntati repugnare, propterea à Deus illos ũnà cum stirpe, & nomine funditus delebit.*

Et robur saluationum Christi sui est. *Maxima pericula adierat Dauid, ex ijs omnibus se ereptum à Deo significat ijs ũerbis, illũq; pro salute, ac dignitate sua propugnare gloriatur.*

ARGVM. PSAL. XXIX.

Celebrat potentiam Dei, simúlque docet, vim imbrium, & ventorum, & fulminum non casu & fortuito existere, sed prouidentia Dei.

Psalmus Dauid XXIX.

AFferte Domino filij Dei, Afferte Domino gloriam, & fortitudinem, afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in atrio sancto eius.

Vox

Vox Domini ſuper aquas, Deus gloriæ intonuit, Dominus ſuper aquas multas.

Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringens cedros, & cõfringit dominus cedros Libani.

Et ſaltare facit eas tanquàm vitulum. Libanum quoque, & Sirion, quemadmodum exilit filius Vnicornium.

Vox Domini intercidens flammã ignis, vox Domini concutiens deſertum, & commouet Dominus deſertum Cades.

Vox Domini parere facit ceruas, & detegit ſaltus, & in templo eius omnes ipſi dicent gloriam.

Dominus in diluuio ſedit, & ſedebit Dominus rex in æternum.

Dominus virtutem populo ſuo dabit, Dominus benedicet populo ſuo in pace.

EXPLANATIO.

Afferte Domino. *Solet Vir ſanctus celebrare Sim, & prouidentiam Dei tum deſcribẽdis rebus cæleſtibus, tum etiam commemorandis ijs quæ magna cũ admiratione omnium in regione aëris ſiunt, cuiuſmodi ſunt horriſona illa tonitrua, & vis incredibilis fulminum, ac ventorum obuia quæque diſturbans. Hoc genere Sititur in hoc hymno, materiam fortaſſe nactus ex aliqua turbulenta tempeſtate, quam elegãtiſſimè*

simè describit. His similia leguntur in libro, qui inscribitur Iob.

Filij Dei. *Filios Dei nominare solent literæ sanctæ homines virtute præcellẽtes, quiq; imperio, & potestate præditi sunt: quæ quidem de re in explanatione Psal. 82. explicatius dicemus.*

Vox Domini in virtute. *Vox (inquit) Dei prepotentis est, quippe quæ maria, & terras tremefacit, & infinitam imbrium vim profundit.*

Libanum quoque & Sirion. *Hi sunt montes terræ Iudææ, quos ait vi vocis diuinæ, et magnitudine tempestatis tremefieri.*

Vox Domini intercidens flammas ignis. *Ad fulmina conficienda, & iaciendæ.*

Desertum Cades. *Ea est solitudo Arabiæ, quæ pertinet vsque ad Idumæam.*

Parere facit ceruas. *Aiunt, Partus ceruarũ esse difficillimos, itaque magnitudo terroris significatur quòd illæ metu percussæ fœt⁹ eijciãt.*

Et in templo eius omnes dicẽt gloriam. *Id est, homines his rebus excitãtur ad vim diuinam colendam, & venerandam, atq; hymnis et laudibus prosequendam.*

Dominus in diluuio sedit. *Regnabat (inquit) Deus, cum immensa illa vi aquæ obrutus est orbis terrarum, neque temerè ac fortuitò exi stunt eiusmodi eluviones, nimbi, procellæ, cæteræq; immoderatæ tempestates, sed in supplicijs delictæ mortalium persequitur Deus.*

Arg.

ARGVM. PSAL. XXX.

Gratias agit Deo, grauiſsimo morbo liberatus. Quòd verò carmen inſcribitur pro dedicatione domus, ſuſpicantur nonnulli dedicationem ædiũ magnificentiſsimarum, de quibus mentio fit in libr. ii. Reg. incidiſſe in id tempus quo emerſerat è morbo: itaq; illum gratias agere Deo, qui valetudine cõfirmata facultatem ſibi dediſſet dedicandæ, atque habitandæ domus, quam nuper exædificarat.

Pſalmus Cantici dedicationis Domus Dauid. XXX.

EXaltabo te Domine, quoniam exaltaſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.

Domine Deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me.

Domine eduxiſti ab inferno animã meã: ſaluaſti me à deſcendentibus in foueam.

*P*ſallite Domino ſancti eius, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.

Quoniam momentum eſt in ira eius, & vita in beneuolentia eius.

Veſpere demorabitur fletus, & ad matutinum tempus lætitia.

Ego autẽ dixi in proſperitate mea, non mouebor in æternum.

Domine in voluntate tua præſtiteras monti meo fortitudinem.

Auertiſti faciem tuã à me, & factus ſum conturbatus.

Ad

Ad te Domine clamaui, & ad Deum meum deprecatus sum.

Quæ vtilitas in sanguine meo: si descendero in corruptionem?

Nunquid cõfitebitur tibi puluis: aut an nuntiabit veritatem tuam?

Audi Domine, & miserere mei: Domine esto adiutor meus.

Conuertisti planctum meum in gaudiũ mihi, cõcidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia.

Propterea cantabit tibi gloria mea, & non silebit: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

EXPLANATIO.

Dedicationis domus Dauid. *Suspicantur nonnulli, dedicationẽ domus magnificẽtissimæ, de qua mẽtio fit in lib. 2. Regum, incidisse in id tẽpus, quo emersérat vir sanctus è morbo: itaq́ illum gratias agere Deo, qui valetudine cõfirmata facultatem sibi dedisset dedicandæ, atq́ habitandæ domus, quam nuper exædificarat.*

Saluasti me à descendentibus in foueam. *Clarius verterunt quidam ex Hebræo ad hunc modũ, viuificasti me, ne descenderem in foueã, id est, in sepulchrum.*

Quoniam momentum. *Significare videtur iram Dei aduersus pios breuissimam existere, benevolentiam verò esse æqualem vitæ.*

Vespere. *Id est, si quid aduersi acciderit hominibus pijs, celeriter omne incommodum vertit in bonum, & aduersa rebus secundis commutantur.*

Ego autem dixi *Cùm delctis hostibus, & regno constituto omnia mihi secunda cederent, ego demens cum animo meo loquebar ad hunc modum: certè nulla vis me deijcit de hoc floreti rerum statu, semper potens, ac beatus ero. Et sanè tu Domine fortunas meas ita stabiliueras, vt firmissimi mõtis instar haberẽt. Verũ id mihi cõtigerat nulla virtute mea, sed infinita liberalitate tua, quod quidẽ vt planè cognoscerem ac stultam illam superbiam & arrogãtiam ex animo deponerem, auertisti paulisper oculos tuos atque illicò incredibilis omnium rerum mearũ facta est commutatio.*

A te domine. *Exponit precationem, qua est vsus cùm salutem à Domino precaretur.*

Nunquid confitebitur. *His verbis demonstrat vir sanctus, vitam sibi iucundam atque optatam fuisse, quò posset maiestatem numinis præstantissimi laudibus efferre, atque homines ad eius cultum & veneration em cohortari.*

PARAPHRASIS.

EXtollam te carminibus misericordiæ parẽs, vsque dum viuam, propterea quòd ex tenebris inferorum extulisti me neque voluptatem inimicis meis & lætitiam dedisti.

Domi

Domine Deus meus numẽ tuum implorauí, & sanasti me.

Domine vitã meam ex faucibus et orc mortis extraxisti, & fugientem animã sub imas terras in lucem reuocasti.

Canite hymnos Deo, quicunque pietatem colitis, quicũque purè sanctéque viuitis, agè sanctissimum nomen Domini ad cantum & citharam celebrate.

Ira quidẽ Domini breuissima est, at eius benignitas semper salutem & vitam, semper omnia bona largissimè donat, atque conseruat.

Proinde si quid duri accidat hominibus pijs, celeriter calamitas vertit in bonum, & lachrymas fletumq; mœrẽtem subitò exoriens latitia plaususque restinguit.

Scilicet cùm deletis hostibus, & regno constituto omnia mihi secunda cederent: ego demens cùm animo meo loquebar ad hũc modum: Iam me nulla vis, nulla calamitas deijciet de hoc florenti rerum statu semper potẽs & beatus ero.

Et sanè tu Domine fortunas meas ita stabilieras, vt firmissimi montis instar haberent. Vtiñ sd mihi contigerat nulla virtute mea, sed infinita liberalitate tua: quod quidẽ ut planè cognoscerem, ac stultã illam superbiam & arrogantiam ex animo deponerem, auertisti paulisper oculos tuos, atque illico mutata & versa sunt omnia.

Ita q; afflictus & mœrens ad te supplices manus tẽdebam, atque ad hunc modum plurimis cum lachrymis orabam: Quidnam proficiet vita mea, prematura morte restincta?

Ecquid animus corpore exutus poterit memorare gloriam nominis tui? aut prædicare mortalibus incredibilem bonitatem tuam?

Exaudi Parẽs misericordia voces meas, miserere supplicis tui, iam extrema in morte versantis, & hunc pestiferum morbum depelle de membris meis.

Talibus orabam verbis: at tu Domine pijs lachrymis cõmotus, audiuisti preces meas, & detracto mœrore omni, ac vestitus fœditate, cũcta lætitia & plausu & gratulatione compleuisti.

Propterea tibi omne meũ studium, ingeniũ omne ac vocem conseruo, & dico, te semper cantabit cithara mea, lingua mea semper de tua benitate prædicabit, Domine Deus meus immortales ago tibi gratias, agamq; dum viuam.

PARAPHRASIS CARMINE.

Te semper efferam pater sanctissime
Cantu meorum carminum,
Qui me tenebris inferorum, & horrida
Lethi extuliſti ianua.
Tua benignitate perfectum est, meis
Ne risus hostibus forem.

Domi

Domine pia prece inuocatus tabido
Morbum expuliſti corpore.
Iam iam ſub imas ire terras coeperat
Moerens anima, iam nexibus
Soluta chari corporis dulciſſimas
Liquebat oras ætheris:
Cùm reſtituta viuere, & iuſſa eſt frui
Lucis cupito munere.
Adeſte caſtæ virgines, homines pij
Adeſte, mecum laudibus
Deum benignum tollite, agite gratias,
Quantas poteſtis maximas
Incomparabili illius clementiæ.
Vt vere nimbus vnido
Vix ortus euaneſcit, Aquilonis feri
Siſpiritus ſuperuenit:
Sic ira ſancti numinis breuiſſima eſt.
At illius benignitas
Semper ſalutem, ſemper hominibus pijs
Syncera præbet gaudia.
Quòd ſi quid vnquam incommodi interuenerit,
Deo fauente celeriter

Multiplicatis commodis rependitur:
Verùm ipse victis hostibus,
Et constituta pace, cùm mihi omnia
Feliciter succederent,
Demens adhunc modum loquebar,
Nulla vis,
Me nulla iam potentia
Deiicere poterit hoc statu rerũ optimò.
Tu scilicet regnum meum,
Meásque fortunas ita stabiliueras,
Vt montis instar omnibus
Habere visa sint, at hoc nulla mihi
Virtute contigerat mea:
Sed liberalitate maxima tua.
Quod ne mihi ignotum foret,
Illãque stultam opinionem vt ponerem,
Paulisper auersus mihi
Memet reliquisti domine, sintque illico
Mutata, versáque omnia.
Tum lachrymans, vocesque lamentabiles
Fundens, Quid, inquam, maxime
Rex cælitum, quid vita proficiet mea
Restincta morte tam cita?

Ecquid

Ecquid sepulchro lingua condita poterit
Cantare nominis tui
Laudes, tibiue docta dextra psalleres?
Ne, quæso, supplicis tui
Nouissimo in casu precem contemptam
habe,
Sed pestilentem corpore
Depelle morbum de meo, sic lachrymas
Orabam: at iste tristibus
Aurem querelis admouens, pro lugubri
Mœrore læta gaudia,
Pro fœditate vestium squallentium
Vestem dedisti candidam.
Itaque tibi ingenium meum, & studia
mea,
Meamque vocem consecro:
Semper tibi laudes cithara dicet mea:
Semper tuam clementiam
Cantabo: semper gratias tibi maximas
Agam pater sanctissime.

ARG. PSAL. XXXI.

Orat Deum pro salute sua, commemorat in quanto periculo sit, prædicat benignitatem Dei erga homines pios.

Victori, Psalmus Dauid, XXXI.

IN te Domine speraui, ne confundar in æternum, in iustitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, accelera, vt eruas me.

Esto mihi in petram fortitudinis, & in domum refugii, vt saluum me facias.

Quoniam firmamentum, & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quē absconderunt mihi, quoniam tu es fortitudo mea.

In manus tuas cōmendo spiritū meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

Odi obseruantes vanitates superuacuē.

Ego autem in Domino speraui, exultabo, & lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti afflictionem meam, saluasti ex necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor: contabuit præ mœrore oculus meus, anima mea, & venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Infirmata est propter iniquitatem meā virtus mea, & ossa mea contabuerunt.

Supra omnes inimicos meos factus sum oppro

opprobrium,& vicinis meis valde,& timor notis meis.

Qui videbãt me,foras fugerũt à me, obliuioni datus ſum tanquã mortuus à corde.

Factus ſum tanquàm vas perditum,quoniam audiui vituperationem multorum, formido me circunſtetit.

Dum conuenirent ſimul aduerſus me, capere animam meam conſiliati ſunt.

Ego autem in te ſperaui Domine, dixi, Deus meus es tu:in manibus tuis ſunt tempora mea.

Eripe me de manu inimicorum meorũ, & à perſequentibus me.

Illuſtra faciem tuã ſuper ſeruum tuum: ſaluum me fac in miſericordia tua Domine ne confundar,quoniam inuocaui te.

Erubeſcant impii, & deducantur in infernum,muta fiant labia doloſa.

Quæ loquuntur aduerſus iuſtum dura cũ ſuperbia,& deſpectione.

Quàm magna multitudo bonitatis tuæ Domine,quam abſcondiſti timentibus te.

Quámq; operatus es pro eis, qui ſperant in te,in conſpectu filiorum hominum.

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.

Protege eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.

Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.

Ego autem dixi in festinatione mea, proiectus sum à facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dũ clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti eius, fideles custodit Dominus. & retribuit abũdanter facientibus superbiam.

Viriliter agite & ille roborabit cor vestrum, omnes qui speratis in Dominum.

EXPLANATIO.

In iustitia tua libera me. *Id est pro bonitate tua ex tantis periculis eripe me.*

Redemisti me. *Ob eã causam Domine misericordiam tuam fidenter imploro, quòd sæpe aliàs mihi in periculis auxilio, salutiq; fuisti.*

Odi obseruantes vanitates. *Odi (inquit) illos, & stultissimos iudico, qui spes suas collocauerunt in superstitione, ac rebus vanis, et fallacibus, quæ illis neque decori, neque illi emolumento erunt.*

Quoniam respexisti. *Confirmat animam recordatione temporis superioris, quo maximis periculis illum liberauerat Deus.*

Supra omnes inimicos. *Iam (inquit) maiore sum opprobrio quã aduersarij mei, homines omnibus notis turpitudinis insignes: idque mihi*

euenit

euenit quoque in vicinate mea, que testis esse debuerat innocentiæ meæ.

Qui videbant. *Metuebãt enim, ne quod periculum sibi per amicitiam Dauidis crearetur, et ob eam causam omnes eius abitum, congressionem, colloquiumque fugiebant.*

Tanquàm mortuus à corde. *Effluxi ex animo meorum perinde atque homines, quorũ memoria simulcum vita iampridem extincta est.*

Tanquam vas perditum. *Comparat se vasi confracto, qua quidem re vilius esse nihil potest aut contemptius.*

In manibus tuis. *Id est in tua vnius potestate mors, & vita mea posita est.*

Quàm magna. *Sensus est talia sunt Domine ac tanta illa præmia, quæ in cœlo paraſti colentibus te, vt eorũ magnitudo & præstantia neque oculis cerni, neque auriũm sensu percipi, neque animo queant comprehendi. Quinetiam de ea bonitate Dei loquitur vir sanctus, quam pij sentire solent vel in mediis calamitatibus: ea verò sæpe talis & tanta est, vt dum miseri existimantur ab alijs, ipsi se beatos ducant. Expositurus autem beneficiũ, quod acceperat à Deo, exorditur ab hac exclamatione admirationis plena, qua laudat infinitã beneficentiam Dei.*

Quámque operatus es pro eis. *Significat, Deum sæpenumero tam illustra suæ ad-*

nersus pios beneuolentiæ documenta cõstituere, vt omnes perspiciant, ipsi maximæ curæ esse eos, qui pietatem & iustitiam colunt.

Abscondes eos. *Hac elegantissima allegoria exprimit vir sanctus, quanta cura sit Deo piorũ salus, quamque securi, & ab omni periculo tuti sint quicunque se ac sua omnia tutelæ, ac misericordiæ ipsius commiserunt, est autem sumpta hæc orationis exornatio ex similitudine regis, qui eum quem securissimum esse velit ab impetu & insidijs inimicorum, in suum cubiculum recipiat: vt non solùm parietes regiæ, sed etiam oculi regis salutem ipsius custodiãt, qua quidem tutela nihil securius, aut amantius excogitari potest. hinc sæpe videmus, homines pios nulla vi, aut vexatione improborum de trãquillitate mentis depelli posse. Hunc locum Dauidis imitari videtur Asaphus in Psal. 83. cùm Hebræos vocat absconditos Dei, nimirum significans, eam nationem Deo charissimam, atque in præcipua ipsius esse tutela.*

Benedictus Dominus. *Immortales Deo gratias ago, qui mirabili misericordia prosecutus est calamitates meas, vt salus mea perinde tuta esset, quasi mœnibus, et firmissimo præsidio munita foret.*

Ego autem dixi. *Cùm (inquit) in fuga essem, iamiamque hostes in eadem meam immi nerent, salutem penè desperauerã, mẽque abiectum*

ctum, & auxilio tuo spoliatum arbitrabar.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, cùm clamarem ad te. *Tametsi vir sanctus in eas angustias venerat, vt suspicari cogeretur, se à Deo derelictum esse, nequaquam tamen precandi finem faciebat: qua quidem re ostendebat spem cum desperatione contendere, neque fiduciam, quam in Deo locatam habebat, periculi magnitudine fundit' extingui posse: ideò preces illius audiuit misericordiæ parens, qui solet aliquando pios, etiam cùm minus sperant, è maximis calamitatum angustijs eripere, quò benignitas ipsius fiat illustrior.*

ARG. PSAL. XXXII.

Docet exemplo suo, si quid turpiter, aut nefariè commissum fuerit, id non esse celandum, sed ad Domini misericordiam confugiendum esse, quòd erranti salutaris sit medicina confessio.

Dauid eruditio, Psal. XXXII.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.

Quoniã tacui inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, conuersus est humor meus in siccitates æstatis.

Delictum meum cognitum tibi feci, & in

& iniustitiam meam non abscondi.

Dixi confitebor aduersum me iniustitiã meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

Propterea orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno.

Vtique in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Tues refugium meum, à tribulatione defendes me, canticis liberationis circundabis me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

Quorum maxillas freno constringere oportet, ne approximent ad te.

Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circundabit.

Lætamini in Domino, & exultate iusti, & iubilate omnes recti corde.

EXPLANATIO.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates. *Illud animaduersione dignum est in his verbis, quòd beatos appellet non qui ab omni peccatorum labe puri & integri sunt: nemo enim talis est, dũmodo in terris: sed illos quibus misericordia Dei peccata condonat, condonat autem ijs,*

qui

qui confitentur peccata sua, et ex animo credũt sanguinem Domini nostri Iesu Christi omniũ delictorum, & scelerũ expiationem esse. Diuus Paulus in Epistola ad Romanos scripta explanat hos primos versiculos ad hunc modũ: Ei verò qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiã, sed secundùm debitũ. Ei verò qui nõ operatur, sed credit in eũ, qui iustificat impiũ, imputatur fides eius ad iustitiam: quẽadmodum & Dauid explicat beatitudinem hominis, cui Deus imputat iustitiam absque operibus, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tectæ sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.

Nec est in spiritus eius dol°. *Significat his verbis, eam beatitudinem, quã celebrat his versibus ad eos pertinere, qui cognoscũt, & syncerè confitentur, & ex animo, se impuros, et multis peccatorum maculis contaminatos esse: hic enim remissio peccatorum contingit à Deo, præterea nulli. Nimirum maximus est dolus, et maximè quidẽ pernicies in mente illius, qui se aliquid putat, cùm nihil sit eãque animi puritatem sibi arrogat, & condonatione delictorum, quã prædicat hoc loco vir sanctus, se egere nõ existimet, quæ quidem arrogãtia nihil est detestabilius, miserius nihil: contrà, beati, qui esuriũt & sitiunt iustitiam: Deus enim esurientes implet bonis, & diuites dimittit inanes.*

Quo

quoniã tacui. *Propterea quòd delicta mea celabam, neque illa, vt par erat, agnoscebam, iracundiam, & pœnam mihi non remittebat Deus, itaque ob eã causam in tãtas inciderã calamitates, vt confectus animi corporisq; doloribus, incredibili macie extabescerem.*

Delictum meum. *Cùm animaduerterem, silentium & dissimulationem meam tantas mihi calamitates importasse, ad extremum tibi cõfessus sum de peccatis & malefactis meis, et tã magnis vulneribus salutaris fuit medicina cõfessio, nulla enim interposita mora mihi omnem animi impietatem condonasti: itaque exemplo meo, & hac tua singulari benignitate adducti homines pij veniam erratis suis postulabũt tempore opportuno, ne scilicet in diem ex die differẽdo grauiores pœnas pendant, quinetiam si quis maiore aliquo delicto commisso sese in hunc tutum, ac tranquillum cõfessionis portum recepit, is profectò, cùm magna aliqua tẽpestas, atque eluuio calamitatũ extiterit, incolumis ab omni detrimento, salusque permanebit.*

Canticis liberationis circundabit me. *Intelligit hymnos, quibus ipse liberatus aliquo periculo, & calamitate, Deo gratias agere consueuerat.*

Intellectum tibi dabo. *Deum inducit respondentem, & apertè docet, quòd homines pœnitentem bonam habeant, quodque de recto vitæ*

cũrri

curriculo non declinent, id attribuendum misericordiæ Dei, non virtuti, aut viribus ipsorum.

Nolite fieri. *Nolite (inquit) animos vestros libidinum, & cupiditatum imperio permittere: atq; equos, et mulos imitari, qui sunt rationis expertes, & frenorum duritia cohiberi solent, ne ferocitate exultantes aliquem lædant.*

ARGV. PSAL. XXXIII.

Hoc hymno pulcherrimo differit de immensa vi ac sapientia, & misericordia Dei.

Psalmus XXXIII.

EXultate iusti in Domino, rectos decet laudatio.

Confitemini Domino in cithara, in psalterio decachordo psallite illi.

Cantate ei canticum nouum, bene psallite cum iubilatione.

Quia rectum est verbū Domini, & omnia opera eius in fide.

Diligit iustitiam & iudicium, misericordia Domini plena est terra.

Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris eius omnis ornatus eorum.

Congregans sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra, ab eo paueant omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, & factum est: ipse mandauit, & extitit.

Dominus dissipat consilia gentium, irritas facit cogitationes populorum.

Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione, & generationem.

Beata gens, cuius Deus est Dominus, & populus quem elegit in hæreditatem sibi,

De cœlo respexit Dominus, & vidit omnes filios hominum.

Et habili habitaculo suo respexit super omnes habitantes terram.

Qui finxit pariter corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.

Non saluatur rex in multitudine exercitus, & gigas non saluabitur in multitudine roboris sui.

Fallax equus ad salutem, & in multitudine roboris (sessorem) non saluabit.

Ecce oculi Domini super metuentes eũ, super eos, qui sperant in misericordiã eius.

Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.

Anima nostra sperat in *D*omino, quoniã adiutor, & protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum, propterea quòd in nomine sancto eius speraui mus.

Fiat misericordia tua *D*omine super nos, quemad modum speraũimus in te.

EXPLANATIO.

Quia rectum est verbum domini, & omnia opera eius in fide. *Verbum consuetudine linguæ Hebrææ non solùm significat voces illas quibus certa aliqua sententia subiectæ sunt, sed etiam res ipsas, & facta, itaq; sensus est huius versiculi, quicquid loquitur, & præcipit dominus, quicquid ille gerit, rectum sanctum, & cum summa fide, & æquitate coniunctum esse.*

Diligit iustitiam, & iudicium. *Quoties litera sancta hæc duo verba inter se coniungunt, significare solent optimam administrandarum rerum viam, & rationem, cùm scilicet omnia rectè, atque ordine geruntur, ac fiunt. Hæc autem laus est maximè propria summi moderatoris, & cunctarũ rerum domini, cuius cõsilio, & prouidentia natura omnis, & hæc omnis mũdi pulchritudo optimè regitur, conseruaturq;.*

Omnis ornatus eorum. *Sic appellat solem, & lunam, & reliquorũ vagantiũ syderũ fulgorem, tum innumerabilem illam vim stellarum inerrantiũ quibus cæli species vndiq; ornata, insatiabile spectaculum mortalibus præbet.*

Quoniam ipse dixit. *Nihil (inquit) est dictu tam inopinatum atque mirabile, nihil à cogitatione hominis tam remotum, et in omni memoria inauditum, quin ad Dei voluntatem, nutúmque statim existat.*

Non saluatur rex. *Significat, neque vires*

corporis, neque opes, & copias hominibus prodesse: sed in sola Dei misericordia sitam esse vitam, & salutem omnium.

Ecce oculi domini. *Ex altera parte iudicium Dei metuendum est, vt licentiam peccandi, & omnem importunitatem, atque arrogãtiam fugiamus: ex altera, misericordiæ illius cõsidere oportet ne peccantes veniã desperemus, præsertim cũ nulla scelera, aut maleficia tam magna esse possint, quin clemẽtia Dei infinitis partibus maior existat.*

ARGV. PSAL. XXXIIII.

Celebrat hoc cælesti hymno prouidentiam, & liberalitatem Dei erga eos, qui ad eius misericordiã confugiunt, atque omnes ad innocentiæ, ac pietatis studium adhortatur.

Dauid, cùm immutauit rationem suam coram Abimelech, & eiecit eum, & abijt,

Psalmus. XXXIIII.

BEnedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

In domino gloriabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur.

Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius simul.

Exquisiui dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus pauoribus meis eripuit me.

Aspicite ad eum, & illuminabimini, & facies vestræ non confundentur.

Iste

Iſte pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.

Caſtrameratur Angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Guſtate, & videte, quòd ſuauis eſt dominus: beatus vir, qui ſperat in eum.

Timete dominũ omnes ſancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum.

Leones inopes ſiunt, & eſuriunt: inquirentes autem dominum nullum deficiet bonum.

Venite filij, audite me, timorem domini docebo vos.

Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.

Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.

Oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.

Vultus domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.

Clamauerunt iuſti, & dominus exaudiuit eos, ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

Iuxta eſt dominus ijs qui tribulato ſunt corde, & contritos ſpiritu ſaluabit.

Multæ tribulationes iuſtorũ, & de omnibus liberauit eos dominus.

Cuſtodit dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur.

Occidet impium malitia, & qui oderunt iuſtum, deuaſtabuntur.

Redemit dominus animas ſeruorum ſuorum, & non deuaſtabuntur, quicunque ſperant in eo.

EXPLANATIO.

Cùm immutauit rationem ſuam. *Id eſt, cùm ſimulauit ſe incidiſſe in inſaniam, vt ex periculo capitis euaderet. Ea hiſtoria ſcripta eſt in libris Regum. Neque aliquem moueat quòd eo loco rex Palæſtinorum appellatur Achis, quem Dauid nominat Abimelechum: vt enim veteres Aegyptiorum reges vocabantur Pharaones, ita veriſimile eſt, principibus Palæſtinorum Abimelechis cognomentum fuiſſe.*

Benedicam dominum in omni tempore. *Id eſt, non minus rebus aduerſis quã ſecundis: ſemper verò eſt, cur homines pij maximas Deo gratias agant, quando nihil ipſis euenire poteſt, quod non magnum afferat adumentum ad ſalutem.*

Accedite ad eum. *Hoc eſt, ſumma cũ fiducia ad eius miſericordiã cõfugite, & ille vos omni periculo & calamitate liberabit, neq; ſinet vos in tenebris errorum, & ignorantia verſari.*

Caſt

Castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum. *Hoc ita esse, Eliſæi ſatis præſtãtiſſimi factum comprobauit: cũ enim illius capiendi gratia magna Syriorum copia vrbem Dothaim obſedisſent, & ob eam cauſam miniſter eius fractus & debilitati metu eſſet, vir ſanctus a Deo precatus eſt, vt quæ ipſe cernebat, miniſter quoq; cerneret: tũ ille circumcirca proſpiciens montem curribus igneis plenum videt atque equitibus, qui pro ſalute Eliſæi propugnabant, & ipſum tanquam muro firmiſſimo vndique ſepiebant.*

Guſtate, & videte quòd ſuauis eſt dominus. *Qualis enim & quãta ſit bonitas Dei, nemo intelligere poteſt, niſi expertus, & qui beneficia ab eius liberalitate ſibi tributa diligenter attendit.*

Timete dominum omnes ſancti eius. *Timorem Dei ſolent appellare vates ſancti reuerentiam aduerſus Deum, & verum ipſius cultum, & vitam legum diuinarum ſtudioſam, atque amantem.*

Leones. *Sic appellare videtur homines potẽtes, ac violentos, qui infirmiores prædæ loco habent, atque oppr mere per vim ſolent. Hoc capitale, & peſtiferum genus hominũ vir ſanctus comparat leonibus etiam in Pſalmo 10.*

Venite filij. *Hortatus fuerat ad religionẽ et pietatẽ, nunc docet quibus in rebus illa cõſiſtat.*

Inquire pacem, & persequere eam. *Illud quidem in primis Deus ab hominibus pijs requirit, vt mansuetudinem, & lenitatem animi colant, & quàtũ in ipsis est pacem cum omnibus hominibus omnium generum habeant: sed hoc præstare, arduum, & difficillimum est: tot causa dissidiorum, & offensionum ferè semper existunt. Itaque primùm summa diligentia vestiganda est via, & ratio, quemadmodum possimus hunc pulcherrimum, & dulcissimũ pietatis fructum capere, deinde nõ minore studio cõtendendum est, vt ipsum capiamus, illud est, pacem quærere: hoc est, ipsum persequi. Sed cùm omnia cogitatione, animoq; lustraueris, vna dũtaxat ratio inueniri potest huiusce diuini boni consequendi, si diuitias, honorem, vitam, & humana omnia cõtemnas, tẽque in seruitutẽ Dei piè sanctèq; dices, atq; illius gratia, tutelaq; cõtentus, reliqua cæteris æquo ac libenti animo cõcedas. Hæc autem ab ijs effici possunt, quibus spiritum suum Deus impertierit: cæteri neque ea exequi, neque cũ Deo, neq; cum hominibus, neque secum ipsi pacem habere possunt. Itaque hoc præstantissimum donum à Deo petere debemus qui solus ex omnibus & pacem, & cætera bona liberaliter, munificè, prolixeq; largitur.*

Iuxtà est dominus ijs, qui tribulato sunt corde, & contritos spiritus saluabit. *Sic appellat homines fractos, atque afflictos calamitate*

tate, & mœrore, qui misericordiam Dei suppliciter implorant: is verò libentissimè solet miseris opitulari & suscipere defendẽdos, quos homines deseruerunt.

ARGVM. PSAL. XXXV.

Implorat auxilium Dei aduersus inimicos, in quorum scelera, & crudelitatem magno impetu orationis inuehitur.

Psalmus Dauid XXXV.

IVdica domine iniuriam facientes mihi, impugna impugnantes me.

Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi.

Profer frameam, & conclude viam aduersus eos qui persequuntur me: dic animæ meæ, salus tua ego sum.

Confundantur, & erubescant quærẽtes animam meam.

Auertantur retrorsum, & cõfundantur cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam puluis ante faciem vẽti, & Angelus impellat eos.

Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, Angelus domini persequatur eos.

Quoniam sine causa abscondẽrũt mihi foueam laquei sui, sine causa fecerunt foueam animæ meæ.

Veniat illi calamitas, quam ignorat, & captio, quam abscondit apprehendat eum,

& in calamitatem ipſam cadat.

Anima autē mea exultabit in Domino, & lætabitur ſuper ſalutari ſuo.

Omnia oſſa mea dicent, domine quis ſimilis tibi?

Qui eripis inopem de manu fortiorū illo, egenum & pauperem à diripiētibus eū.

Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis, ſolitudinem animæ meæ.

Ego autem, cùm ipſi infirmarentur, induebar ſacco.

Affligebam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinum meum reuertetur.

Quaſi amicus, & quaſi frater meus eſſet; ſic incedebam, quaſi lugens matrem, cōtriſtatus incuruabar.

Et ipſi in calamitate mea lætati ſunt, & conuenerunt, congregati ſunt contra me abiecti homines, & ego neſciebam.

Sciderunt, & non ſilucrunt cum aſſentatoribus deriſores parаſiti, frendebant contra me dentibus ſuis.

Domine, quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorū, à leonibus vnicam meam.

Confitebor tibi in eccleſia magna, in populo multo laudabo te.

Ne

Ne gaudeãt de me, qui aduersantur mihi iniquè, qui oderũt me gratis, ne annuãt oculis.

Quoniam pacificè non loquuntur, & cõtra mansuetos terræ cogitant dolos.

Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt, euge, euge, viderunt oculi nostri.

Vidisti domine, ne sileas, domine ne discedas à me.

Exurge, & intende iudicio meo, Deus meus, & dominus meus in causam meam.

Iudica me secundum iustitiam tuam domine Deus meus, & non gaudeant de me.

Non dicant in cordibus suis, euge, euge animæ nostræ, nec dicãt, deuorabimus eũ.

Erubescant, & confundantur simul, qui lætantur malis meis.

Induantur confusione, & pudore, qui se erigunt contra me.

Exultent, & lætentur, qui volũt iustitiã meam, & dicant semper, magnificetur dominus, qui voluit pacem serui sui.

Et lingua mea prędicabit iustitiã tuam, tota die laudem tuam.

EXPLANATIO.

Et conclude viam aduersus eos. *Hostis immanis furore incitatus supplicem tuum insequitur, at tu domine tete illi armatus obijce, atque iter interclude, ne me consequi possit.*

Veniat illa calamitas. *Subita (inquit) nec opinata calamitas aduersarium meum opprimat, & quas insidias mihi comparauit, ijs insidijs capiatur ipse. Hæc autem mala precatur Sauli, homini perditissimo atq; impio à quo iniustè capite & fortunis oppugnabatur.*

Surgentes testes. *Queritur de hominibus nefarijs, qui falsis criminibus ipsum onerabãt, perinde quasi regnũ appeteret, & insidias vitæ Saulis pararet.*

Solitudinem animæ meæ. *Queritur se in calamitate ab ijs proiectum & derelictum, qui perfugium ipsi & solatium præbere debebant.*

Et oratio mea in sinum meũ reuertetur. *Id est, ad meũ fructum redundabit: si enim humanitas mea mihi nullius fuit apud inimicos, at certè proderit apud Deum.*

Quasi amicus. *Cùm illi in calamitate aliqua versarẽtur, similiter eorum vicem dolebã, & incommodis cõmouebar, ac si arctissimo necessitudinis vinculo inter nos copulati essemus: neq; aliter afflictabar, & in squalore luctuq; iacebam quàm si charissimam mihi parentem amisissem.*

Et ipsi calamitate. *Narrat quàm præclaram sibi gratiam retulerint pro tanta humanitate, & beneficio.*

Sciderunt, & non siluerunt. *Id est, verborum contumelijs me lacerarũt: sic explanat hũc*

locum

locum Abrahamus Esdra.

Derisores parasiti. *Ita expressimus ex Hebræo, sententiam secuti: si enim verbum verbo reddere voluissemus, vertendum erat, derisores platęta. Verùm hoc vt apud Hebræos est elegãs, ita apud nos ineptum fuisset atque obscurum.*

Domine quousque. *Quousque sines homines perditos in meas miserias tã crudeliter insultare? quousque illorũ scelera impunita, atq; inulta patiere? Iam quæso adhibe misericordiã in calamitate supplicis tui, iã propulsa iniurias, perniciem, quam mihi dies noctesq; machinãtur, & salutem meam ab omnibus derelictam prohibe ab impetu & feritate hominum immanium, & barbarorum.*

Ne annuant oculis. *Id est, ne miseri fortunis illudant.*

Viderunt oculi. *Quod scilicet diu multúmque optauimus nimirũ te afflictum, calamitosum lachrymis & mœrore perditum.*

Vidisti Domine. *Vidisti certè, quàm acerbè quàm latè, & insolẽter insultẽt in fortunas meas, ne quæso dissimula, hanc crudelitatẽ tibi displicere, néve me deseras in tantis malis.*

Euge euge animæ nostræ. *Id est, iam bene habet, nũc exultamus gaudio, nunc triumphamus, quãdo hũc afflictũ, & perditũ videmus.*

Exultent & lætentur. *Libera me tandem ijs calamitatibus, vt homines pij, qui fauẽt innocen*

nocentiæ meæ, exultent, & lætẽtur, & tibi gratias agant, quòd tuo beneficio reliquam vitam in pace, atque otio dulci colere possim.

ARGV. PSAL. XXXVI.

Describit cogitationes & facta impiorum, deinde clementiam & misericordiam Dei laudibus prosequitur.

Psalmus XXXVI.

DIcit iniquitas impij in medio cordis mei, quòd non est timor Dei ante oculos eius.

Quoniã blanditur sibi ipsi in oculis suis, vt inueniatur iniquitas eius ad odium.

Verba oris eius iniquitas, & dolus: noluit intelligere, vt bene ageret.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autẽ non odiuit.

Domine vsq; ad cœlos misericordia tua, abyssus multa.

Homines, & iumenta saluabis Domine, quàm preciosa est misericordia tua Deus!

Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Saturabuntur abvbertate domus tuę: & torrente voluptatum tuarum pota bis eos.

Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Extende Domine misericordiam scientibus

tibus te, & iustitiam tuã ijs, qui recto sunt corde.

Ne veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris ne moueat me.

Ibi cadent, qui operantur iniquitatem, expellentur, nec poterunt stare.

EXPLANATIO.

Dicit iniquitas. *Scelera (inquit) impiorum tanquam pro testimonio dicunt animo meo, nullo illos metu diuini numinis tangi.*

Quoniã blanditur. *Dum impij in sceleribus sibi blãdiuntur: & placẽt, id cõsequuntur vt incurrãt in odium, offensionẽq; Dei, atq; hominũ.*

Iniquitatem meditatus. *Id est, noctu cùm animo suo cogitat, quid in Deũ, atque homines peccare possit interdiu.*

Domine vsq; ad cœlos. *Cùm tanta sit in hominibus improbitas, infinitis tamẽ partibus amplior est misericordia tua, quæ illorum scelera, & flagitia tanta lenitudine tolerat.*

Iustitia tua sicut mõtes Dei. *Id est, par est altitudine montibus excelsissimis. Hebræa enim lingua diuinũ solet appellare, quicquid aliquo in genere excellit, sic vocat paradisum Dei hortos amœnissimos, exercitũ Dei copias maximas, item cedros Dei arbores proceras, & formosas.*

Iudicia tua abyssus multa. *Id est, profundissimo mari sunt similia, cùm autem iustitia Dei, & iudicia dicit, intelligi vult cõsilium, &*

prou-

prouidentiam ipsius summa sapiẽtia, summaq; bonitate res humanas, & omnem mũdum gubernantis, qua de re dictum est in explanatione Psalm. 33. De misericordia & veritate eiusdẽ explicauimus in explanatione. Psal. 26.

Homines & iumenta. *Tu (inquit) Domine homines, & bestias incredibili bonitate sustentas, & omni animantium generi spiritum, vitamque largiris.*

Filij autem hominum. *Dixerat, Deum non solùm humano generi sed bestiis amanter consulere, ac prouidere: nunc ostendit, beneficentiã eius potissimum illustrem, & salutarem erga homines existere, quippe qui ad cognoscendum, & colendum Deum, & beatam vitam ab eo consequendam nati, aptiq; sint.*

Saturabuntur. *Intelligit his verbis, eos qui se fidei, ac tutelæ Dei commiserunt, maximis beneficiis, & muneribus ab illo affici, neque id solùm in altera illa vita, quæ sempiterna est, sed etiam in hac breuissima, & fugaci, euadunt enim filij Dei, atque omniũ rerum Domini, & spiritu sancto afflati vitam cælestem in corporibus humanis imitantur, & maximis, purissimisque ac perpetuis voluptatibus fruuntur.*

Et in lumine tuo. *Id est, cùm splendor cognitionis tuæ vberior nobis illuxerit, tunc demum omnium malorum tenebræ facessent, & clarissimam, pulcherrimúmque summi boni lucem*

cem intuebimur, eáque in perpetuum fruemur.

Extende misericordiam. *Vteris tu quidē bonitate tua aduersus omne hominū genus, sed tamen illa largius, & profluentius manat ad homines pios, & iustitiæ amantes.*

Non veniat mihi. *Ne pedes superborum & violentorum hominum mihi propinquent, sed illorum quęso vim, & furorem à me prohibe, vt post maximas ærūnas, & calamitates aliquando quietæ, & tranquillæ mente consistam.*

Ibi cadent. *Hunc versiculum in explanatione Psalmi. 14. interpretati sumus.*

PARAPHRASIS.

Scelera impij tanquam pro testimonio dicūt animo meo, nullo illum metu diuini numinis tangi.

Et is quidē dum sibi in scelcribus & flagitiis impudēter impieq; blāditur, id consequitur, vt in odiū Dei hominumq; acerbissimū incurrat.

Nihil in eo simplex, nihil syncerum aut candidum, quicquid loquitur ad fraudem, ad iniuriā & perniciem spectat alterius, neq; rectè & salutariter admonētes audit: quinimò ad grauissima quæq; facinora tanto furore incitatus rapitur, vt tota nocte cum animo suo cogitet, quid in Deum aut homines peccare possit interdiu.

Cùm tanta sit in hominibus improbitas, infinitis tamen partibus amplior est misericordia tua Domine, qua illorum scelera & maleficia tan-

tanta lenitudine tolerat. Nimirum longissimè lutissimèque bonitas tua, & ab infimis terris ad summum cælum usque pertinet.

Sed & iustitia tua vincit altitudine mõtes excelsissimos, atque altior est profundo mari: & illa quidem facit, ut peccata hominum quæuis capitalia leniter feras, hæc autem cõtumaces, et in vitijs obstinato animo perseuerantes punit.

Quàm præclara & commemoranda est misericordia tua Domine, qua homines & iumẽta incredibili bonitate sustẽtat, & omni animantium generi spiritum vitámque largitur.

Tu quidem Domine pecudibus etiam & feris amãtissimè cõsulis & prouides, sed quis possit explicare dicendo, quas opes & copias quantas commoda, quàm magnas quasq; honestas voluptates hominum vitæ comparasti? quæ verò bona pios & sanctos homines in illa tua domo cælesti & sempiterna manent, ea talia sunt & tãta, ut nulla vis ingenij vel præstãtissima possit illorũ excellentiam præstantiámque cogitatione complecti.

Scilicet hæc, quam viuimus in terris, non vita, sed mors est: atque id quod oculis cernimus, non lumen, sed tenebræ sunt. At cũ exuti corporibus in domum illam beatissimam migrauerimus, tunc ex illo tuo fonte augustissimo vitam veram & sempiternã hauriemus, & cũ splendor cognitionis tuæ plenior & liberior nobis illuxerit,

xerit, tunc demum omnium malorũ tenebræ ceſſent & clariſsimã pulcherrimamq; ſummi boni faciem intuebimur.

Interim, dũ in hac vita fragili miſeraq; verſamur, ſtare tu quid. m bonitate tua aduerſus omne hominum genus: ſed illa tamẽ largius & profluẽtius manet ad homines pios, & iuſtitia amantes.

Et quoniã omnia redundãt ſuperbis & violentis hominibus, horũ quæſo vim & furorem à me prohibe, vt poſt maximas ærumnas & labores exhauſtos, aliquem tranquillum & quietum ſpiritum ducere poſsim.

Sed quã volent impij crudeliter & nefariè debacchentur in bonos iã iamq; enim ex alto dignitatis gradu præcipitabũtur. En locum aſpicio, vbi tormenta, cædes, multorumq; innocentium ſanguinem acerbo ſupplicio luent.

ARGV. PSAL. XXXVII.

Hortatur pios, ne grauius commoueantur rebus ſecundis improborum, quippe quæ ſint breues, & fugaces, & maiora illis ſupplicia pariant: cum econtrario hominibus vitam cum fide, iuſtitiaque colentibus nihil mali poſsit euenire nec viuis, nec mortuis

Pſalmus Dauid XXXVII.

NOli irritari propter malignantes, neque æmuleris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam gramen velociter

succidentur, & quemadmodum olera herbarum cito decident.

Spera in Domino, & fac bonitatẽ, & inhabita terram, & pasce fidem.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Volue super Dominũ viam tuam, & spera in eum: & ipse faciet.

Et educet quasi lumen iustitiam tuã, & iudicia tua tanquam meridiem: tace Domino, & expecta eum.

Noli irritari propter eum, qui prosperatur in via sua, propter hominem facientem iniustitias.

Desine ab ira, & derelinque furorem, noli irritari, vt malignetis.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur, expectantes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.

Adhuc pusillum, & non erit peccator: contemplaberis locum eius, & ipsum non inuenies

Mansueti autem hæreditabũt terram & delectabũtur in multitudine pacis.

Cogitat impius cõtra iustum, & stridet contra eum dentibus suis.

Dominus autẽ irridebit eum, quoniam prospicit quòd veniet dies eius.

Gladium euaginauerunt peccatores, intenden

tenderunt arcum suum.

Vt prosternant pauperem, & inopem, vt trucident rectos corde.

Gladius eorum introibit in corda ipsorum, & arcus eorum confringetur.

Melius est modicum iusto, quàm diuitiæ peccatorum multæ.

Quoniam brachia peccatorum conterentur: sustentat autem iustos dominus.

Nouit Dominus dies immaculatorũ, & hæreditas eorum in æternum erit.

Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt.

Et inimici Domini velut adeps agnorũ absumentur, cum fumo deficient.

Mutuabitur peccator, & non soluet: iustus autem miseretur, & tribuit.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.

A Domino gressus hominis dirigetur, & viam eius volet.

Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus sustentat manum eius.

Iunior fui, etiam senui, & non vidi instum derelictum, nec semen eius quærens panem.

Tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit.

Declina à malo & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi.

Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos, in æternum conseruabuntur.

Iniusti punientur: & semen eorũ peribit.

Iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

Os iusti loquetur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

Lex Dei eius in corde ipsius, & non vacillabunt gressus eius.

Considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum.

Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum, cùm iudicabitur ipse.

Expecta Dominum, & custodi viã eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terrã: exterminationem peccatorum videbis.

Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani.

Et transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus.

Obserua innocentem, & attẽde iustum, quoniam ad extremum erit huic viro pax.

Iniusti autem disperibunt, ad extremum impij exterminabuntur.

Salus autem iustorũ à Domino, & fortitudo

tudo est eorum in tempore tribulationis.

Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos, quia sperauerunt in eum.

EXPLANATIO.

Fac bonitatem, & inhabita terram. *Id est si cũ virtute, & pietate vixeris, certum habeto, te domi tuæ vitam placidè, & tranquillè ad senectutem perducturum: hoc enim promittit Deus in legibus fœderis sui. Quod verò sequitur, et pasce fidem: multæ sunt huius loci interpretationes. Explanatores Hebræi, alij quidẽ legunt ita vt nos, & Dauidem aiunt ijs verbis adhortari homines, vt animũ intendant potissimùm ad eas res, quibus alitur, augescitq; fiducia, & pietas aduersus Deum: alij verò legunt pasce fide, idq; interpretãtur in hanc sententiã, non esse putandum satis si virtutem ac pietatẽ ipse colas, nisi diligenter operam des vt harum rerum disciplina, & institutione alios etiam alas, qui est vnus saluberis, & proprius suauissimusq; pastus animorum.*

Volue super Dominum viam tuam. *Id est, commẽda illius fidei te, ac tua omnia, atque ex eius bonitate pendeto.*

Et educet quasi. *Id est, reddet clarissimam, & maximè illustrẽ probitatẽ tuã apud omnes.*

Tace Domino, & expecta eum. *Hoc est, in rebus aduersis quiet' esto, atque æquo animo*

expecta, & sque dum ipse Dominus tibi subueniat. Similis est illa diuina Esaiæ sententia, In silentio, & spe erit fortitudo vestra.

Nouit Dominus dies Immaculatorum. *Id est, illorum vitæ consulit, & prouidet.*

Velut adeps absumentur. *Hostiarũ adeps voraci flamma consumitur et penè in nihilũ it: similiter impij, & hostes Dei fundit' interibũt.*

Mutuatur peccator. *Pulcherrima collatio, qua vir sanctus demõstrat, etiam in ijs, quæ populariter bona fortuna nominantur, virum iustum & probum longè meliori conditione esse, quàm improbum, & iniustum. Hic enim quantus copiosus, & dives, ob intemperantiam ferè semper ære alieno obstrictus est, neque eo se liberare potest, aut vult: illi nunquam ferè deest, quod alteri de re familiari liberaliter impertiat. Alter vel in maximis diuitijs eget, alter etiã in paupertate dives est. Improbus ne reddit quidẽ quod debet amicis, probus & pius largitur, quod non debet, egẽti quãuis inimico: denique ille plerunque ex opulento pauper fit, huic fauente Deo semper omnia, quæ sunt ad victũ, & cultum necessaria suppeditant.*

Quia benedicentes ei. *Ea (inquit) est beneuolentia Dei erga homines pios, & sanctos, vt etiam fautores, & amantes eorũ maximis muneribus afficiat: quòd si quis inimicitias cũ ijs gerat grauissimas odij pœnas dabit.*

A Domi

A Domino gressus hominis dirigetur. *Sensus est, Deũ hominibus pijs in hoc periculoso vitæ cursu ducem, & comitem esse, vt recto, ac tuto itinere perueniant ad beatam vitã et immortalem. Nam quod subiungit, Deũ hominis iusti viam velle, hoc intelligit, illũ inceptis priorum fauere, & prosperos exitus concedere.*

Cum ceciderit, non collidetur. *Id est, si quid aduersi accidit, calamitati non succũbet, quia Dominus sustentat, & corroborat animum eius: quinetiã vir pius peccat, ille quidẽ, & aliquando graviter offendit, sed Deo adiuuante celeriter resipiscit.*

Lex Dei eius in corde ipsius. *Id est, illam ex animo vereque diligit, quippe qui nihil antiquius habet, quàm vt intelligat, quid iubeat Deus, quidue prohibeat, vt ad normam voluntatis diuinæ possit omnes vitæ suæ rationes dirigere, propterea (inquit) non vacillãt pedes eius, sed forti, & constanti animo in iustitia, & pietate perseuerat.*

Nec damnabit illum. *Id est nec sinet illum calumnijs inimicorum opprimi, si quando in iudicium vocetur.*

Expecta Dominum. *Consolatur animos imbecillos, qui graviter ferre solent, quòd Deus sæpe bonos opprimi, malis vero omnia ad voluntatem fluere permittat.*

Obserua innocent. *Obserua (inquit) euen-*

tus piorũ impiorumq; animaduertes enim illos tandem exitus prosperos consequi, hos verò ex illustri, & florenti rerum statu in maximas miserias, & illas quidem perpetuas præcipitari.

ARGVMENT. PSAL. XXXVIII.

Deplorat peccata sua, & calamitates, in quas ob illa inciderat.

Psal. David ad memorandum,

XXXVIII.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curuatus sum vehementer, tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt ardore, & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam propter turbationẽ cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorũ, & ipsum non est mecum.

Amici mei & proximi mei è regione plagæ meæ steterunt.

Et propinqui mei à longè steterunt, & laqueos tetenderunt, qui quærebant animã meam.

Et qui inquirebãt mala mihi, locuti sunt prauitates, & dolos tota die meditabantur:

Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi ne fortè lætentur de me inimici mei, & dum commouebantur pedes mei, insultauerunt mihi.

Quoniam ego ad flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & anxius ero pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & roborati sunt, & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, aduersabantur mihi, quoniam sequor bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus,

ne discesseris à me.

Festina in adiutorium meum Domine Deus, salus mea.

EXPLANATIO.

Domine ne in furore tuo. *Describit acri, & vehementi oratione angustias, & terrores, cõscientiæ iudicium Dei atq; iram formidãtis.*

Quoniam iniquitates meæ. *Dicit se vi, et multitudine peccatorum ita obrui, vt vires tãto oneri ferendo pares non existant. Nimirum hæc sui cognitio tam ingentem metum & terrorem affert, vt animus fractus, & debilitatus succũbat, atq; omnis spe salutis deturbetur, nisi ad misericordiam Dei fortiter adnitatur: sed maxima pars hominum ita cæca est, & ipsa sibi tam libenter assentatur vt neque turpitudinẽ suam, & fœdissimas labes cernere possit, neque quàm longè distet ab illa excellentia, præstantiaque pietatis, & iustitiæ, quã Deus requirit à nobis, ex ea re fit, vt tam securo animo simus, nostrisq; virtutibus, & benefactis tanta cum temeritate confidamus.*

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ. *Sic appellat peccata, & noxias affectiones quæ sunt animi vulnera, ea cùm sanata esse existimamus, & cicatrices videntur obductæ, sæpenumero ita putrida, et corrupta repentè apparent, vt pejore loco salutem nostram esse videamus, quàm erat antea, scilicet animi nostri*

er assissimis circũfusi sunt tenebris, & in maxima sui ignoratione versantur, nisi ab illo sole illuminentur, quem diuus Iacobus patrem luminum appellat ex eo, quòd ipse omnibus, quæ lucent, & fons & principium est lucendi: sed quò quisque maiorem sibi sanitatem arrogat, hoc se magis insanire certo sciat, magisq́ pestifero morbo laborare.

Lumbi mei impleti sunt ardore. *Vocabulum Hebraum significat etiam fœditatem: sed siue fœditatem dicas siue ardorẽ, vtrunque verbum significat cupiditates, & libidines, quæ & fœdissimæ res sunt, & maximos ardores in animis nostris excitare solent.*

Et non est sanitas in carne mea. *Hoc loco verbũ carnis in eam sententiam accipere videtur, in quã diuus Paulus illud accipit, cùm etiã ipse queritur, non habitare in carne sua bonum sic reliquias veteris hominis appellãs. Sunt tamen, qui hæc intelligẽda putant de corporis morbo: quibus ego non assentior.*

Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum. *Iam (inquit) vires animi, & corporis me defecerunt & propter assiduas lachrymas penè iã oculos amisi. Vel potius de oculis animi loquitur, & hoc intelligit se propter magnitudinem pertubationis lumine mentis defectum esse.*

Amici mei & proximi mei. *Necessarij mei*

recusarunt propius ad me accedere, & mecum sermone, & congressione coniungi, qui tamen officij sui leuare debuissent mœrorem, et calamitates meas.

Quia dixi, ne fortè: *Orauit (inquit) te Domine, ne sineres homines impios, & nefarios lætari malis meis: cùm enim paulùm modò offendissem, incredibile dictu est, quá proteruè, ac petulanter insultarint mihi. Cõmemorat autem plures causas, quibus adducitur, vt credat se impetraturũ à Deo, quod orat: primũ, quoniam in eo vno spem omnẽ locauit omniũ rerum suarũ: deinde, quia honesta petit: dum ab illa deprecatur, ne se virum pium ludibrio patiatur esse & despectui hominibus impijs: addit se paratũ esse ad quæuis supplicia pro peccatis suis sustinẽda, seque ea peccata & agnoscere, & confiteri, & maximum, atque continuum ex ijs dolorem capere: denique profitetur se maximo studio in posterum sibi ab omni maleficio temperaturum. Hæc autem signa sunt euidentissima hominis ex animo pœnitentis, cui non potest Deus se non exorabilem, placidum q; præbere.*

ARGV. PSAL. XXXIX.

Existimant virum sanctum fecisse hos versus, cùm sibi Absalonem fugienti Semeis occurrisset in via, & calamitatem ipsius acerbissimam conuitiis exagitaret, quæ quidem conuitia ipse sedate ac patienter tulit. Deplorat autem, atque oratione flebili miserias & incommoda vitæ lamentatur.

Vict

Victori pro Idithum, Psal.
Dauid XXXIX.

DIxi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.

Posui ori meo frenum, cùm consisteret peccator aduersum me.

Obmutui silentio, & silui à bonis, & dolor meus exagitatus est.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione exarsit ignis.

Locutus sum lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum.

Et numerum dierum meorum, qui est, vt sciam, quanto tempore viuam.

Ecce mensura pugillorum terminasti dies meos, & æuum meum tanquam nihilum coram te.

Certè vniuersa vanitas est omnis homo viuens.

Certè in imagine pertransit homo, sed & frustra tumultuatur.

Thesaurizat, & ignorat cui cõgregabit ea: & nunc quæ est expectatio mea Domine? certè in te spes mea est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium insipienti ne ponas me.

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti, amoue à me plagas tuas.

A verberatione manus tuæ ego defeci,

cum

cum increpationibus propter iniquitatem corripis hominem.

Tabescere facit (sicut tinea vestimentū) animā eius, certè vanitas est omnis homo.

Exaudi orationem meam Domine, & clamorem meum auribus percipe, & ad lachrymas meas.

Ne sileas, quoniā aduena ego sum apud te, peregrinus, sicut omnes patres mei.

Recede à me, vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non sim.

EXPLANATIO.

Obmutui silentio &c. *Id est, Usque eò inimici conuitia tuli silentio, vt linguam à bonis verbis similiter ac malis prohiberem: sed cū improbus ille petulanter mihi malediceret, animo sese obiecit memoria sceleris, quod admiserā, eaq; res mœrorem meum vehementer auxit, animūq; incensum dolore atque ira inflammauit, cùm cogitarem peccata mea mihi has calamitates peperisse.*

Locutus sum. *His verbis significare videtur, se calamitatum magnitudine fractum mortem optauisse.*

Ecce mensura pugillorū. *Intellige his verbis, vitam humanam breuissimam esse, imò nullam, præsertim si cum illo sempiterno Dei conferatur.*

In imagine pertransit homo. *Id est homo*

tan

tanquam imago quædam vana. & adũbratæ nihil solidi aut expressi habẽs, vitam pertrãsit.

Sed & frustra tumultuatur. *Id est, accedit ad hæc incommoda, quòd is nescit hoc pugillum temporis, quod illi est datum placidè, trãquillè lenitérque traducere: sed turbulẽtis, & concitatis animi permotionibus semper agitatur, semper aut inani formidine, aut effrenata cupiditate torquetur, modò lætitia temerè exultat, modò ægritudine ac dolore muliebriter debilitatur, animumq; demittit.*

Et nunc quæ est expectatio mea Domine? *Itaque cũ omnia humana plena sint miseriarũ summæq; leuitatis quid reliquum est mihi, nisi vt in misericordia tua omnẽ meã spem, omnem cogitationem, curamq; constituã? Iam Domine id ago, tam me ad tuũ clementissimũ numẽ totus conuerto, te solùm intueor, in te vno nititur salus mea,*

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me. *Significat peccata sua causam esse earũ calamitatum in quibus versatur.*

Opprobrium insipienti. *Ne quæso, me sinas esse ludibrio, & despectui hominibus stultis, & impuris.*

Obmutui, & non aperui. *Cùm semeis calamitatem meam petulantissima lingua vexarẽt, obmutui, & patienter tuli, propterea quòd sciebam hæc mihi non accidisse sine consilio, &*

volun-

Voluntate tua.

Et tabescere eum. *Tu (inquit) hominē pec cantem aliquādo tanta seueritate punis, vt illum lachrymis, mœrore, cruciatu cōficias, similiter atque tinea vestimentum consumere solet.*

Quoniam aduena ego sum. *Id est: in terris vt hospes, & peregrinus ætatem ago, & in hac vita tanquam in diuersorio sum, non tanquam in domo propediem discessurus ad mortem. Hanc eandem sententiam repetit in libro primo Paralipo. his verbis, Peregrini sumus coram te, & aduenæ, sicut omnes patres nostri, dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora.*

Recede à me. *Id est, hanc seueram animaduersionē tuā à me prohibe, vt antea quā de vita exeo, aliquantulū temporis ad respirandum habeam, scilicet vir sanctus desiderabat, ante mortem Deum sentire propitium, quem tunc sentiebat iratum: vt cūm bona, & certa spe ad alteram illam vitam proficisceretur.*

PARAPHRASIS.

Proposueram me, non modò à malefactis, sed etiam verbis homine pio parum dignis abstinere.

Itaque tanquam freno linguam cohibui, cū homo perditus ac petulans in calamitatē meā insultaret mihi, maledictis & probris acerbissimis incesseret.

Obm

Obmutui certè, & inimici cõtumelias adeò toleranter & silentio tuli, vt linguam à bonis verbis similiter ac malis prohiberem.

Tũc animo sese obiecit memoria sceleris quod admiseram, eaq́ res mœrorem meum incredibiliter auxit, animumq́ iã incensum dolore atq́ ira inflammauit, cùm cogitarem peccata mea mihi has miserias peperisse.

Itaq́ elatus nimia cupiditate moriendi, te domine orabam, vt indicares, quantum temporis ad viuendum mihi reliquum foret, tum etiã generis humani vicem & conditionem lamentabar, cùm vitæ proposita sit plena miseriarum, et breuissima, quid dico breuissima? imò nulla, præsertim si cum æuo illo sempiterno tui numinis conferatur.

Nimirum futilissima res est homo, & ipsa inanitate inanior: certè inanissima vmbræ similimus est homo.

Is tanquã imago quædam vana & adũbrata nihil solidi aut expressi habens, in hoc angustissimo viuendi curriculo versatur. Accedit ad hæc incõmoda, quòd is nescit hoc tẽporis quod illi est datũ, placidè, trãquillè, leniterq́ traducere: sed turbulẽtis et cõcitatis animi permotionibus semper agitatur, semper aut inani formidine, aut effrenata cupiditate torquetur: modò lætitia temerè exultat, modò ægritudine ac dolore muliebriter debilitatur, animumq́ demittit.

Quid? quòd violento quo dã quasi æstro. impetu auaritiæ rapitur ad diuitias, & in coacervãda pecunia diet noctesq; consumit? Congerit ille quidem infinito labore inculentas opes: sed ignorat infelix, cuinam illas congerat.

Hæc igitur cùm ita se habeant, & humana omnia plena sint miseriarum, summaq; leuitatis, quid reliquũ est mihi, nisi vt in misericordia tua omnẽ meã spẽ, omnem cogitationem curamq; cõstituam? Iam domine id ago, iam me ad tuum clementissimum numen totus cõuerto, te solum intueor, in te vno nititur salus mea.

At tu quæso miserere laborantis, & condona supplici tuo peccata omnia: neq; me sinas esse ludibrio et despectui hominib' stultis & impuris.

Scilicet cùm Semeis calamitatem meam petulãtissima lingua vexaret, obmutui, & patienter tuli: propterea quòd sciebã, id mihi non accidere sine consilio & voluntate tua.

Sed iam quæso finẽ fac verberandi, iam quæso, mihi misericordiam tribue, quãdo tormenta & cruciatus tantos ferre nõ possum: me non vires solùm, sed vita iam deficit.

Increpas tu quidẽ domine peccantes, & in illos paterna seueritate animaduertis: quinetiã nõnunquàm eò procedit iracũdia tua, vt hominem lachrymis, mærore, cruciatu cõficias, similiter atque tinea depascere vestimentum solet. Certè inanissima futilissimaq; res est homo.

Audi

Audi misericordia parens preces meas, clamorem supplicis tui ne contemptum habe, néve repudia lachrymas meas.

Equidem in terris & hospes & peregrinus ætatem ago, sicut omnes maiores mei, & in hac vita tanquàm in diuersorio sum, non tanquã in domo, propediem discessurus ad mortem.

Proinde antequàm de vita exeo, aliquanto mecum lenius ac remissius age, & hanc seuerã animaduersionem tuã à me prohibe, & aliquã tulum temporis ad respirandum habeam.

ARGV. PSAL. XL.

Christus agit gratias Deo pro reditu suo ad vitam.

Psalmus Dauid. XL.

EXpectans expectaui dominum, & intendit mihi.

Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu strepente, & de luto, & limo.

Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum nouũ, carmen Deo nostro.

Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in domino.

Beatus vir, qui posuit dominum spem suam, & non respexit ad superbos, & declinantes ad vanitates.

Multa sunt mirabilia tua domine Deus

meus, quæ feciſti ſicut, & cogitationes tuæ de nobis, non eſt qui ſimilis ſit tibi.

Annunciaui, & locutus ſum, multiplicata ſunt ſupra numerum.

Sacrificium, & oblationem noluiſti: aures autem aperuiſti mihi.

Holocauſtum & hoſtiam pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi, Ecce venio.

In volumine libri ſcriptum eſt de me, facere voluntatem tuam Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annunciaui iuſtitiam tuam in eccleſia magna, ecce labia mea non prohibebo, domine tu ſciſti.

Iuſtitiam tuã nõ abſcondi in corde meo, & veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi.

Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam à conſilio multo.

Tu autem domine ne longè facias miſerationes tuas à me, miſericordia tua, & veritas tua ſemper cuſtodiant me.

Quoniam circundederunt me mala, quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre.

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi domine, vt eruas me, domine ad adiuuandum me feſtina.

Confundantur, & ignominia afficiãtur

ſimu

simul, qui quærunt animam meam, vt auferant eam.

Conuertantur retrorsum, & ignominia afficiantur, qui volunt mihi mala.

Desolentur pro retributione cõfusionis suæ, qui dicunt mihi euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes quærentes te, & dicant semper: magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, & pauper, dominus solicitus est mei.

Adiutor meus, & liberator meus es tu, Deus meus ne tardaueris.

EXPLANATIO.

Expectans expectaui dominum. *Idem est argumentũ huius hymni, & 22. Sed dispositio orationis nõ est eadem: nam vtroque loco Dominum nostrum Iesum Christum inducit loquentem de sua morte, & reuocatione ad vitam: sed in huius hymni principio is Deo gratias agit iã ab inferis excitatus, in fine autem exponit deprecationẽ, qua vsus fuerat, cùm in media iã morte versaretur, cõtrà verò prima pars hymni 22. continet implorationem auxilij, vltima autem gratiarum actionem. Quòd si quis Dauidẽ existimet de se ipso scribere hos versus, cùm hoc ego nõ contendero: modò concedat nonnulla inferri, quæ nõ Dauidi cõueniant, sed Christo, cuius ille imaginẽ gerebat. De hac verò scribẽdi ratio-*

ne dictum est à nobis in explanatione Psal. 16.

Expectans expectaui Dominum. *Hoc loquendi modo significat, se magna æquitate animi tolerasse dilationẽ auxilij, quod tamen incredibili desiderio præstolabatur. Expectat autẽ hoc modo, qui neque locum, neque tempus, neq; modũ opitulandi Deo præscribit, sed omnia relinquit in illius arbitrio, persuasissimum habens, se tandem adiutum iri.*

De lacu strepente. *Describit elegantissimè magnitudinem perturbationis, & vim calamitatum, quibus penè obrutus fuerat.*

Et limo. *Verbum Hebræum significat lutum densius.*

Et statuit supra petram pedes meos. *Hærebam (inquit) in profunda & difficili voragine, neque licebat vsquàm pedibus consistere, at dominus me trãstulit in eum locum, vbi & stare possum, & liberè ingredi. Significat autẽ, se maxima calamitate liberatum, atque in tuto, et tranquillo collocatum esse.*

Et immisit in os meũ canticum nouum. *Id est, nouam mihi materiam suppeditauit celebrandæ prouidentiæ ac misericordiæ suæ.*

Videbunt multi & timebunt. *Multi qui antea Deum contemnebant, propterea quòd illũ res humanas curare non arbitrabãtur, iam incipient eum colere, & venerari, atque circa bonitati, ac misericordiæ cõfidere, cum intelligant*

ex

ex hac mea liberatione, & penè oculis videant: ipsum pietatis amantes amantissimè tutari.

Beatus vir. *Monet sapientissimè, nequaquã illorum opibus & gratia nitendum, qui fortunis & potẽtia florentes sibi temerè præsidũt, & cogitationes suas abũciũt in res inanes, & futiles, sed Deum summa cum fiducia inuocandum esse, atque illum omnium nostrarum rerum defensorem, adiutoremq; adoptãdum, idque confirmat ea sententia quæ sequitur, admirãs bonitatem diuinam, quæ iam inde ab vltima origine mundi tam multas res præclarissimas, & maximè admirabiles gesserit pro salute ac incolumitate piorum.*

Annunciaui & locutus sum. *Ego (inquit) semper occupatus fui in celebrandis consilijs, & mirabilib' facinoribus prouidẽtiæ tuæ, sed quis ea possit numero comprehendere, nedum satis dignè verbis, & oratione persequi?*

Sacrificium & oblationem. *Qui Iudæorũ literis, & doctrina plus æquo dediti sunt, vt reliquas hymni partes, ita hanc conantur ad Dauidem accommodare: sed mea quidem sententia, parum proficiunt. at explanatio diui Pauli, qui ad Iesum Christum hæc refert in epistola, quã scribit ad Hebræos, ita facilis, dilucida, & apta, concinnáque est, vt nihil fieri possit elegantius: quamobrem ad eam te reijcio.*

Aures autem aperuisti mihi. *Id est, perfe-*

cisti, vt dicto audiens essem, ac tuæ voluntati libens obedirem.

In volumine libri. *Me (inquit,) è cælo in terras descensurum, & humanum genus miserrima seruitute diaboli liberaturum, iampridē vaticinatus est Moses, idque testatum reliquit in monimentis legum suarum. Hāc sententiā repetit Dominus in Euangelio cùm ait: Si crederetis Mosi, crederetis etiam mihi, de me enim ille scripsit.*

Facere voluntatē tuā Deus meus volui. *Id est, me summopere delectat tuæ volūtati obsequi, illamq; cæteris omnibus rebus antepono.*

Annunciaui iustitiam tuam. *Quæ sit hæc iustitia Dei, quā Iesus Christus prædicauit, diuus Paulus in Epistola quam scribit ad Romanos, docet his memorabilibus verbis: Nunc autē sine lege iustitia Dei manifestata est, quæ comprobatur testimonio legis: & prophetārū. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio: omnes enim peccauerūt: & egent gloria Dei: iustificantur autem gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorē per fidem, interueniente sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ per remissionem præteritorum delictorum, quæ Deus toleranit ad ostendendam iustitiam suam in hoc tempore, vt sit ipse*

ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.

Veritatem tuam. *Promiserat Deus multò antè saeculis se demissurũ è cœlo vnigenã filium suũ, qui à tenebris, & potestate diaboli mortales miseros ad beatissimam regni sui lucem, & libertatẽ traduceret. At Christus se venisse ad hoc praestantissimum munus exequendũ, & verbis & factis mirabilibus testificatus est: quae cùm ageret, veritatem Dei optimè, & honorificentissimè praedicabat, illum in persoluẽdis promissis fidelissimum esse demonstrans.*

Non abscondi misericordiam tuam. *De infinita misericordia Dei aduersus humanũ genus extat hoc clarissimũ eulogiũ Christi in euãgelio Ioãnis: Sicut (inquit) Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum nõ pereat, sed habeat vitã aeternã: sic enim Deus dilexit mũdũ, vt filium suũ vnigenitũ daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitã aeternam. nõ enim misit Deus filiũ suum in mũdum, vt condemnet mundũ, sed vt saluetur mũdus per ipsum. Qui credit in eum, non condẽnatur: qui autem nõ credit, iam condemnatus est: quia non credidit in nomen vnigeniti filij Dei. Poterátne misericordia Dei illustrioribus verbis, & sententijs praedicari?*

Tu autem domine. *Nunc expenit, quibus*

precibus salutem suã Deo commendauerit, cùm sibi mors acerbissima immineret: solet enim vir sanctus aliquando sic orationem disponere, vt actionẽ gratiarũ præponat, eiq; subijciat expositionem periculorum, quibus ipsum Deus liberarat: vt minimè mirum sit illũ hunc eũdẽ ordinẽ seruare, dum loquitur sub persona Iesu Christi.

Comprehẽderunt me iniquitates meæ. Delicta & scelera generis humani innocentissimus Dominus & clementissimus appellat sua: ipse enim ille est quem diuus Petrus ait peccata nostra pertulisse in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viueremus: Et Esaias, omnes (inquit) quasi oues errauimus, vnusquisq; in via sua declinauit, & dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum, nimirum vt quæ supplicia nos pro illis commerebamur, ea supplicia ipse acerbissima nece persolueret: itaq; delicta illum nostra comprehenderunt, & à patre potestati impiorũ traditus pro nobis factus est execratio, vt nos ab execratione legis liberaret: execrabilis enim quisquis in patibulo pendet.

Et nõ potui videre. Id est tam multa sunt peccata, vt illa omnia cernere non possim.

Pro retributione confusionis suæ. Hoc est vt pœnas sustineant ignominiæ, qua me afficere conati sunt.

ARGV. PSAL. XLI.

Commẽdat eos qui afflictos & calamitosos miseran-

rantur. Queritur de iis qui lætitia exultauerunt, cũ ipse grauiter æger ac propè deploratus iaceret.

Victori, Psalmus XLI.

BEatus, qui intelligit super pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conseruabit eum, & viuificabit eum: & beatum faciet eum in terra, & non tradet eum in animam inimicorum eius.

Dominus opem feret illi in lecto doloris eius, vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.

Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi, quãdo morietur, & peribit nomen eius?

Et si ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur cor eius, congregauit iniquitatẽ sibi.

Egrediebatur foras, & loquebatur simul.

Aduersum me susurrabant omnes inimici mei, aduersum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum diffusum est in isto, & qui decubuit, non adijciet vt resurgat.

Etiam homo pacis meæ, in quo sperabã: qui edebat panes meos, magnificauit cõtra me calcaneum.

Tu autem Domine, miserere mei, & re-

suscita

ſuſcita me, & retribuam eis.

In hoc cognoui, quòd voluiſti me, quoniã non gaudebit inimicus meus ſuper me.

Me autem propter innocentiam adiuuiſti, & collocaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Benedictus dominus Deus Iſrael à ſæculo, & vſque in ſæculum, fiat fiat.

EXPLANATIO.

Beatus qui intelligit ſuper pauperem. *Affirmat, beatum illũ eſſe, qui miſeretur afflictorum, & quibuſcunq; rebus poteſt, illos iuuat: miſericordi enim Deus miſericordiam impartitur, ſine qua nulla poteſt ſalus exiſtere.*

In die mala liberabit eum Dominus. *Diem malam appellat tempus aſperũ, & calamitoſum.*

Et non tradet eum. *Id eſt, neq; patietur, vt is in arbitrium, & poteſtatẽ inimicorũ veniat.*

Vniuerſum ſtratum eius. *Tu (inquit) domine tuis manibus lectum eius verſabis, quo is ſuauius, ac molliùs cubet. Significat autem hac elegãtiſſima allegoria, cùm vir pius, & miſericors aliquo morbo laborarit, Deũ illi omnia officia vel indulgentiſſimæ matris præſtaturum, & quamuis aliã calamitatem magnis ſolatijs leuaturum.*

Ego dixi. *Narrat ſe, cùm grauiter ac periculosè ægrotaret, & ab omnibus ferè derelictus*

ſuiſſ

fuisset, ad Dei misericordiam confugisse.

Sana animam meam. *Nimirum intelligebat Dauid, se vitio animi in morbū corporis incidisse: itaque conualescente illo non dubitabat, corpori quoque rectius futurum.*

Et si ingrediebatur. *Si quis eorū (inquit) per simulationem amicitiæ me inuiseret, id consequebatur vt officio ficto, simulataq; sedulitate scelus scelere cumularet, idemq; egressus domo ad socios fraudium, & insidiarum aduelabat.*

Verbum iniquum. *Profectò, aiebāt: Iste aliquo inexpiabili scelere se contaminauit, quod Deus morte mulctare constituit: itaq; fieri non potest, vt qui mortifero morbo oppressus iacet, rectis viribus surgat. Verbū autē in literis sanctis pro re, & facto appellari, notissimum est.*

Magnificauit contra me calcaneum. *Id est, magnas mihi fecit insidias: calcaneus enim in literis sanctis sæpe appellatur pro fraude, & dolo, quæ quidem translatio sumpta est ab ijs, qui in cursu aliquem supplantant.*

In hoc cognoui. *Exultat lætitia, quòd Deus audierit preces suas, neq; permiserit inimicos lætari morte sua, qua quidem in re magnā Dei erga se beneuolentiam dicit agnoscere.*

Et collocasti me in cōspectu tuo in æternum. *Id est, nunquā oculos à me auertis, quem iuuandum, tuendum, atque ornandum perpetuò suscepisti.*

Par

PARAPHRASIS.

BEatus ille qui miseretur afflictorũ, & quibuscunque rebus potest, eos iuuat.

Illum vicissim Deus ab omni calamitate prohibebit, ille incolumis & florens ad extremam senectutem vivet: neq; unquàm in arbitriũ & potestatem inimicorum veniet.

Quòd si quis aliquando morbus intervenerit, præstò erit Deus qui medicinã ei faciat, quiq; suis manibus lectum vertet, quo is suauius ac mollius cubet.

Ego verò cùm grauiter ac periculosè ægrotarem, meq; omnia hominũ adiumenta & amicorum solatia deficerent, ad tuam misericordiã supplex Domine confugi, teq; multis cum lachrymis orabam, vt animum meum ægrũ, & peccatis pestiferis infectũ pro tua bonitate sanares. Scilicet intelligebam, convalescente illo, corpori quoque rectum futurũ: quippe quòd ipsius animi vitio laboraret.

At inimici mei mala mihi precabantur: neq; ijs longius quicquam videbatur, quã vt vitam & spiritum amitterem.

Quòd si quis illorum per simulationem amicitiæ me inuiseret, id cõsequebatur, vt officio ficto simulataq; sedulitate scelus scelere cumularet.

Idémque egressus domo, ad socios fraudium, & insidiarum adulabat.

Ibi nefariæ susurrationes & clandestina colloquia.

loquia de mea pernicie fiebãt. Ibi gratulabantur, & interitũ meũ spe ac desiderio repræsentabant.

Profectò iste, aiebant, aligno inexpiabili scelere se cõtaminauit, quod Deus morte mulctare cõstituit: quamobrem non verendum est, vt tãta mali grauitas vlla medicina releuetur: neque fieri potest, vt qui mortifero morbo oppressꝰ iacet, refectis viribus surgat.

Sed illud in primis animum meũ incredibili dolore conficit, quòd familiaris meus, qui cum suauissimè viuebã, in cuius amore & fide semper acquieueram, insidias mihi comparauit: Nõ illum fœdus sanctum amicitiæ, non dulcissimus conuictus, non mensa communis à scelere nefario reuocauit.

At tu Domine abiectum, proditum, & abomnibus derelictũ miserare, méque hoc grauissimo morbo tandem leua, vt homines nefarij debitas perfidiæ pœnas pendant.

In eare potissimum Domine tuam erga me beneuolentiam agnosco, quòd tam vires recipio, iam sentio mihi medicinam à te factam, neq; amplius vereri cogor, ne inimicus meus de mea morte gaudio triumphet.

Tu Domine miseratus innocentiam meam, mortiferum morbum depulisti: & me iuuandũ tuendum, atq; ornandum perpetuò suscepisti.

Vtinam Deũ Israëlis vniuersi mortales ad

innoxiæ

innumerabilia sæcula augustè sanctéque Geneventur & colant.

ARGVM. PSAL. XLII.

Exponit in quanta solicitudine ac dolore esset cùm Hierosolymis eiectus à Saule, neque templum augustissimum cum reliquis ciuibus, celebrare, neque sacrificiis solennibus interesse posset.

Victori, erudiens Canticum filiorum Core, Psalmus. XLII.

QVemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quòd transibo cum multitudine, adducens illos vsque ad domum Dei.

In voce exultationis, & cõfessionis multitudine tripudiante.

Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deum, quoniam adhuc confitebor illi propter salutare vultus sui.

In me anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis,

&

& Hermonij, & à monte Mizaar.

Abyssus abyssum aduocat in voce cataractarum tuarum.

Omnes fluctus tui, atque procellæ tuæ super me transierunt.

In die mandabit Dominus misericordiã suam, & nocte canticum eius apud me.

Oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, rupes mea.

Quare oblitus es mei, & quare contristatus incedo, dũm affligit me inimicus?

Quasi gladio concidunt ossa mea, dum exprobrant mihi inimici mei.

Dicentes mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus?

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deum, quoniam adhuc confitebor illi, qui est salutare vultus mei, & Deus meus.

EXPLANATIO.

Erudiens Canticum. *Sic inscribitur psalmus quoniam docet, etiam cùm nihil ad spem ostenditur sperandum tamen esse, & misericordiæ Dei confidendum.*

Dum dicitur mihi. *Id est, dum mihi impij insultãt interrogantes, vbi nam sit Deus cuius ego præsidio confido? Cùm enim homines perditi viderent Dauidẽ exulem, egẽtẽ, & magnis ca-*

Lamitatibus oppressum, irridebant eius religionem, & pietatem aduersus Deum. Id vero ad dolorem accidebat acerbissimum homini pio, qui nihil tam valde expetebat, quàm omnibus persuasum esse de bonitate & prouidētia Dei: sed ingrauescente rerum aduersarum mole, ita debilitatur, & frangitur aliquando piorū animus, vt etiā ipsi dicant sibi, vbi est Deus tuus? quippe qui se derelictos esse atque abiectos ab illo suspicētur, asperrimum profectò certamen in quo spes cum desperatione confligit, & omnino succumberet, nisi ad promissiones Dei tenaciter anniteretur: id quod agebat vir sanctus, vt verba sequentia testantur, cùm homines impij fiduciā eius acerrimè oppugnarēt, atque illum penè cogerent de salute sua & misericordia Dei desperare.

Hæc recordatus sum. *Cùm essem (inquit) in his angoribus spes rerum futurarū quæ promissioni Dei nititur, me consolata est, & animum doloris magnitudine contractū quodammodo effudit, ac dilatauit, hæc nempe recordabar, tēpus fore, cùm me ciues mei summa omnium voluntate ab exilio reuocarent, tunc ego ab immenabili gratulātium multitudine deducar ad augustissimum templum Dei, tunc omnia plausu, lætitia, & faustis acclamationibus personabunt, tunc libentissimis omnibus regnum & imperiū obtinebo. Cum itaque scias ò anima mea.*

Deum

Deum tibi tanta bona promisisse cur nullũ dolendi finẽ facis? cur me respirare nunquã sinis?

Propter salutare vultus sui. *Id est, illi gratias agam de salute quam mihi dabit respiciẽs vultu placido calamitates meas.*

Propterea memor. *Cùm, inquit, acerbitate doloris, & nimio mœrore conficiar, reliqua est vna consolatio, vt animum labentem, et propè iacentem suauissimi numinis tui recordatione sustentem in hac solitudine Iordanis, & Hermonij, & Mizaari, quibus in locis ego vitam inopem, & vagam persequor.*

Abyssus abyssum. *Id est, calamitas calamitatẽ vrget, neq; vllus est miseriarum finis. Est autem elegans allegoria, qua inducitur Deus excitatis tonitruis, & ingenti tẽpestate Dauidem obruere infinita copia imbrium. Aquas autem in literis sanctis appellari pro calamitatibus, nemo est, qui nesciat.*

In die mandauit. *Aliquãdo (inquit) placabitur Deus, & illo inbẽte optatissima lux prosperitatũ illucescet: interim manente hac horribili calamitatum nocte, nunquam [illegible] Deum meum colere, & [illegible] dulcissimum illo mihi atque ore versabuntur.*

[illegible] diesque dies, ac noctes in ani-

PARAPHRASIS.

QVàm cupidè cervus fontẽ quærit calore
sitiq; confectus, tam cupidè numẽ tuum

ſanctiſſimum Domine quærit animus meus.

Ardentiſſimè cupit animus meus adire ad præpotentem & ſempiternum Deum: O ſi dies ille pulcher illuceſcat, quo mihi aditus pateat ad optatiſſimum domicilium Dei.

Fuerunt mihi lachrymæ meæ dies noctesq; pro cibo, cũ homines perditi de me petulanter quærerent, Vbinam foret Deus meus. Cur, aiebant, Deus tuus cultorem ſuum exulem, afflictum, omnibus rebus egentem deſerit in tantis malis?

Has voces profectò ferre nõ potuiſſem, iamdiu dolori & calamitatibus ſuccubuiſſem, niſi labentem & propè iacentem animum bonorum, quæ mihi promiſiſti, recordatione fulſiſſem. Hæc nempe recordabar, tempus fore, cùm me ciues mei ſumma omnium voluptate ab exilio reuocarent. Tunc ego ab innumerabili gratulantium multitudine deducar ad auguſtiſſimũ templum tuum: tunc omnia plauſu, lætitia, & ſanctis acclamationibus perſonabunt, tunc libentiſſimis omnibus regnum & imperium obtinebo.

Cùm ita q; ſcias ò anima mea Deũ tibi tanta bona promiſiſſe, cur nullum dolendi finem facis? cur me reſpirare nunquam [illegible] & meminerit [illegible]

Confide miſer[illegible] Deũ & meminerit [illegible] pus fore, cũ omni periculo liberatus illi gratias agam, conſeruatori & parenti ſalutis meæ.

Hæc quidem ego cum animo meo ſæpe colloquor: ſed ille nonnunquam ita vi doloris opprimitur.

mitur, vix vt resistere possit. Propterea à Domine quā sæpissimè potero, ad cogitationem iucundissimā nummis tuis mente recurram. Quanquam verò longissimè absum à paterna domo mea, et templo tuo sanctissimo: quāquam exul, abiectus, arumnosus, solitudines Iordanis & Hermonij, Mizariq; nemora deuia et deserta peragro, nunquā tamen recordationē nominis tui deponā ex animo meo, semper mihi obseruabitur ante oculos bonitas et misericordia tua, sē per optimum maximū numen tuum venerabor & colam, & calamitas mea in sanctissima sua missimaq; tui memoria conquiescet.

Eheu calamitas calamitatē vrget, neq; vlla ab arumnis & miserijs datur intermissio.

Ac veluti cùm vere nouo cælum fulminibus & horrisonis fragoribus tremefacis, immensa vis grādinis atq; imbrium ex alto præcipitans agros & segetes viresentes obrutas oppletasq; tenet: tali ac tanta malorum vi, & tēpestate me miserum obruisti.

Sed aliquando placabitur Deus, et illo iubente optatissima lux prosperitatem fortunis meis illucescet. Interim manēte hac horribili miseriarum nocte, nunquàm intermittam Deū meum colere ac venerari, dulcissimum ipseus nomen, laudesq; dies ac noctes in animo mihi atq; ore versabuntur.

Illius ego misericordia supplex plurimis cum

lachrymis dicam: ò refugiũ et ũnica salus mea, quare oblitus es mei?

Quare continuo luctu & mœrore consumor? dũ mihi ab importuno hoste nulla quies datur?

Me acerbissimè excruciãt, me enecãt hostes mei, dum mihi quotidie insultant percunctantes, ũbinam sit Deus meus.

Cur nullã dolendi finem facis ò anima mea? cur me respirare nunquam sinis?

Confide misericordiæ Dei, & memineris tempus fore, cùm omni periculo defunctus illi gratias agam, conseruatori & parẽti salutis meæ.

PARAPHRASIS CARMINE.

Vt cerua fontem anhela quærit anxiè,
Quam vis canum sagacium
Vexauit, vrit arua dum sol igneus:
Sic te pater dulcissime
Desiderat anima mea, cor meum tuam
Sic expetit præsentiam.
Osi niuea lux illa fulgeat mihi,
Cùm liceat ad templum Dei
Adire, & hymnos numini augustissimo
Cum gente sancta dicere.
Noctes, diésq; lachryma tristissima
Fuere pro cibo mihi:

Dum

Dum continenter ſciſcitantur impiæ
Gentes, Deus meus vbi ſit,
Cur ille, dicunt, exulem ſeruum ſuum
Tantis relinquit in malis?
Iam fracta virtus ponderi ſuccumberet
Rerum aſperarum, niſi bona
Fulciret illam ſpes, & animum reficeret
Iucunda cogitatio:
Nimirum adhuc tempus fore, cùm ad
amabilem
Redibo lætus patriam.
Tunc me meorum multitudo ciuium
Immenſa gratulantium
Templum Dei deduceт ad ſanctiſsimum,
Tunc ciuitas clamoribus
Fauſtiſsimis ſonabit, omnia tinnulis
Latè ſonabunt plauſibus.
Ergo bona tibi tanta ó anima mea à tuo
Promiſſa cùm ſcias Deo,
Cur non dolori iam modum figis? mihi
Cur omne tollis gaudium?
Committe iam, committe præſentiſſimo
Tuam ſalutem numini:

Nam liberati ab omnibus malis adhuc
Agemus illi gratias.
Hæc sæpe mecum colloquor, sed intimis
Resurgit in præcordijs
Quandoque tanta vis doloris anxij,
Vix vt queam resistere.
Quapropter ad tui memoriam nominis
Amabilem sæpissimè
Recurram, ò vnica spes mea, ò lux & salus,
Charúmque solamen meum,
Dulcescet illa amaror omnis, & animo
Illa eluet curas meo.
Quanquam paterna sum fugatus à domo,
Vastásque solitudines
Iordanis, auiósque saltus Hermoni,
Inhospitalem & Mizarum
Exul per agro, rerum egenus omnium.
Nunquam tamen tui pater
Non meminero, nunquam effluet animo meo.
Dulcissimum nomen tuum.

Ehen

Eheu dolorem vrget dolor, neque vlla fit
Laboris intermissio.
Vt densus imber, visq; saeua grandinis
Ingente glomerati agmine,
Cum turbulento decidunt ex aethere,
Magnis & omne motibus
Celum quatitonitrũ horrisonus fragor,
Sternuntur agri, sternitur
Seges viresces, rura plenis omnia
Natare fossis rusticus
Miratur: heu tali pater miserũ agmine
Grauium malorum vsque obruis.
Sed tu serena placidus inueberis
Me fronte tandem, & candida
Lux pellet horridas tenebras: interim
Manente nocte desinam
Laudes tibi nunquam canere, numen tuum
Nunquam precari desinam,
Dicam tibi flens, ò salus, ò lux mea,
Cur tandiu immemor es mei?
Cur lachrymis, dolore, luctu macerer,
Dum vexat hostis Barbarus?

Infrusta corpus omne concidunt meum,
Et me miserrimè enecant,
Dum continenter sciscitantur impiæ
Gentes, Deus meus ubi sit.
Cur tristis es anima mea? cur nunquam mihi
Per te licet quiescere?
Committe iam, committe præsentissimo
Tuam salutem numini,
Nam liberati ab omnibus malis, adhuc
Agemus illi gratias.

ARGV. PSAL. XLIII.

Habet idem argumentum hic Psalmus, atque superior.

Psalmus XLIII.

IVdica me Deus, & discerne causam meã de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deducent, & adducent in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei, ad Deum lætitiæ, & exultationis meæ.

Con

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus, quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, qui est salutare vultus mei, & Deus meus.

EXPLANATIO.

Iudica me Deus. *Vir sanctus in periculum vitæ falsis criminibus vocatus à Saule, optat Deum disceptare causam suam.*

Et discerne causam. *Quidam vertunt clarius ex Hebræo in hūc modum, & defende causam meam à gente non sancta.*

Emitte lucem tuam. *Lucem, & veritatē appellat favorem, & auxilium omnibus pijs promissum à Deo, quibus rebus pelluntur tenebræ calamitatū sed lux Dei splendidissima spiritus sanctus est, cuius sempiterna comes est veritas: hanc lucem, & hanc veritatem è cælo demittit Deus, vt filijs suis duces sint ad mōtem sanctum suū, atque ad illud templum immortale, vbi numen ipsius augustissimum perpetuis hymnis celebrant mentes beatæ. Nimirum nisi cælestis hæc lux in hoc difficili, et periculoso vitæ cursu præluceat, & nobis iter veræ pietatis ostē dat, semper in maximis tenebris versamur, & falsa pro veris amplectentes longissimè aberramus à via, quæ ducit in cælum.*

Argu-

ARGV. PSAL. XLIIII.

Queritur gẽs Dei se ab impiis cultoribus Daorũ crudelissimè, vexaris neq; tamẽ Deũ sibi opitulari. qui maiores suos benignissimé tutatus sit, ac illustri bus & cõmemorãdis beneficiis illos ornauerit, & precatur ab illo, vt tãdem numen suũ propitiũ ostẽdat.

Victori filiorum Core eruditio.

Psalmus XLIIII.

DEus auribus nostris audiuimus, patres nostri annuntiauerunt nobis.

Opus, quod operatus es in diebus eorũ, in diebus antiquis.

Manus tuas gentes disperdidit, & plãtasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos.

Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos.

Sed dextera tua, & brachium tuũ, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.

Tu es ipse rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo conculcabimus insurgentes in nos.

Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.

Saluasti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudisti.

Deum laudabimus tota die, & nomini tuo confitebimur in sæculum.

Nunc

Nunc autem repulisti, & confudisti nos, & non egressus es cum exercitibus nostris.

Fecisti nos dare terga inimicis, & qui oderunt nos diripiebant sibi.

Dedisti nos tanquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populũ tuum sine diuitiis, & non multiplicasti in commutationibus eorum.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, & derisum iis, qui sunt in circuitu nostro.

Posuisti nos in prouerbium gentibus, cõmotionem capitis in populis.

Tota die verecundia mea coram me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.

A voce exprobrantis, & obloquentis, à facie inimici, & persequentis.

Hæc omnia venerunt super nos, & non obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo.

Et non recessit retro cor nostrum, neque declinauerunt gressus nostri à semita tua.

Certe afflixisti nos in loco draconum, & operuisti nos vmbra mortis.

Si obliti sumus nomẽ Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deũ alienum.

Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis.

Quoni-

Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.

Exurge, quare obdormis Domine? & ne repellas in perpetuum.

Quare faciem tuam auertis? obliuisceris afflictionis nostræ, & tribulationis nostræ.

Quoniam humiliata est vsque ad puluerem anima nostra, adhæsit terræ venter noster.

Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter misericordiam tuam.

EXPLANATIO.

Gentes disperdidit. *Id est, Cananæos, & cæteras finitimas nationes.*

Non enim in gladio suo. *Plenissima pietatis est sententia, qua docet, quicquid belli, domique feliciter administratur, attribuendū misericordiæ diuinæ, non prudentiæ, aut viribus humanis.*

Et illuminatio vultus tui. *Id est, tuus fauor illos illustrans.*

Non enim in arcu. *In nullo nr inquā tuo, non in armis, & viribus nostris spem victoriæ ponimus: quoties enim seruati sumus in bello, et periculis, tuo tantum numine seruati? quamobrem de tanta tua erga nos benignitate semper tibi gratias agemus, & nomen tuum sempiternis laudibus persequemur.*

Dedi-

Dedisti nos tanquam. *Dedisti (inquit) nos hostibus tanquam pecudes cadi destinatas.*

Vendidisti populum tuum. *Id est, tam paruo populum tuum vendidisti: vt nullas inde diuitias tibi cõparaueris. Quod verò sequitur, & non multiplicasti in commutationibus eorum. Verbum illud multiplicasti, referendum esse videtur ad diuitias, vt sensus sit, illum non esse factum ditiorem ob venditionem populi, sed quidam reddiderunt ex Hebræo ad hunc modum, neque auxisti pretia eorum, hi cum Symmachi interpretatione consentiunt.*

Posuisti nos in prouerbium gentibus. *Vt scilicet, qui alicui mala precari velit, nostram illi calamitatem precetur.*

Commotionem capitis. *Id est fumus apud impias natiões ioco, & derisui: simile est illud in Psalmo 22. distenderunt labia, & mouerunt caput.*

Neque declinauerunt. *Id est, nulla tormẽta, nulla vis calamitatum potuit nos impellere ad violandas leges, & præcepta tua. Hunc locum vertit etiam diuus Hieronymus ad hunc modum.*

In loco Draconum. *Dracones appellant gẽtes impias, & immanes, quibus seruiebant.*

Vmbra mortis. *Vmbram mortis vocant seruitutem acerbissimam, & tenebris mortis comparandam.*

Si obliti sumus. *Dixerant se nulla vi calamitatum potuisse cogi, vt deficerēt ad Deos falsos, & commentitios: ad id confirmandum hæc subiungunt: si (inquiūt) abalienati fuissemus à Deo nostro, nonne ipse, qui nouit intimos sensus animorum, hoc nostrum scelus animaduertisset auderemus ne igitur apud illum mentiri, & falsa prædicatione iactare innocentiā, & pietatem nostram erga ipsum? Sed quid opus est pluribus? Nonne quotidiana cædes, & asperrima supplicia, quibus afficimur nominis tui causa, testātur nos esse pietatis, & sancte religionis amantissimos?*

Quoniam propter te. *Hoc verbum, quoniam, apud Hebræos sæpe habet vim ornandi tantum, aut asseuerandi, vt apud Latinos quidem me hercule, profectò.*

Quoniam humiliata est. *Id est, ad terram abiecti sumus pondere calamitatum, & ad miserrimam, atque infimam fortunam depressi.*

ARGVM. PSAL. XLV.

Est carmē nuptiale, quo celebratur Iesus Christus verus Deus, & verus homo & ecclesia ipsius sponsa.

Victori super Lilijs filiorum Core, erudiens canticum Amorum Psal. XLV.

ERuctauit cor meum verbum bonum, dico ego opera me regi.

Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.

Speciosus

Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſsime.

Gloria tua, & ſplendore tuo, & cũ ſplendore tuo proſperè procede, equita.

Super verbum veritatis, & manſuetudinis, & iuſtitiæ, & docebit te mirabilia dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadẽt, in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga rectitudinis, virga regni tui.

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitiæ præ conſortibus tuis.

Myrrha, & ſtacte, & caſia ab omnibus veſtimẽtis tuis, ex domibus eburneis, ex quibus lætificauerunt te filiæ regum inter honoratas tuas.

Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuã, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus tuus, & adorabis eum.

Et filia Tyri cum muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

Omnis gloria filiæ regis abintus, ex intertexto auro vestimentum eius, in vestibus acu pictis.

Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius adducentur.

Adducentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis.

Pro patribus tui erunt tibi filij, cõstitues eos principes super omnem terram.

Memor ero nominis tui domine in omni generatione & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in sæculum sæculi.

EXPLANATIO.

Super lilijs. *Vocabulum Hebræum sine dubio significat lilium, neq; in aliam sententiã id acceperunt Aquila, & Theodotio interpretes luculenti in primis, sed plerique Hebræorum suspicãtur, hoc in loco significari eo nomine instrumentum musicũ, ad quod sacerdotes huius hymni verba modularentur, mihi verò liliorum inscriptio videtur ad materiam carminis aptissimè conuenire, quo carmine Christi, & ecclesiæ nuptiæ celebrãtur. Quis autem studiosus literarum diuinarum nescit, hunc sponsum de se dicere in Cãticis, Ego flos campi, & lilium conuallium: & de sua sponsa, Sicut lilium inter spinas*

sic amica mea inter filias? Quinetiam ipsa sponsa in eodem libro loquens de hominibus pijs, ex quibus corpus suum constituitur, ait dilectum suum inter lilia pasci.

Eructauit cor meũ. *Animus, inquit, meus suauissimis epulis spiritus sanctī saturatus eructat carmen bonum, & hos ego versus ad dei. & laudem sempiterni regis canto.*

Lingua mea calamus. *Vt enim calamus eò mouetur, quò manus scriptoris illũ duxit sic in guã Dauidis spiritus sanctus mouebat, & moderabatur.*

Speciosus forma præ filijs hominũ. *Quid enim tam pulchrum, tam elegãs tamve formosum, quàm Iesus Christus opt. max. qui ab omni labe, & macula peccati purissimus fuit, & omnibus virtutũ numeris absolutissimus? Quæ species tam amabilis, tam suauis, & iucunda, quàm huius mansuetissimi regis aspectus? qui neminem pœnitentem, quamuis improbum & impium, aspernatur, atque adeò omnes laborantes, & afflictos in suum sinum vltro vocat, dulcissimis verbis eos ad hunc modum appellans: Cõfugite ad me omnes, qui laboratis, & grauatis estis. & ego reficiam, & recreabo vos.*

Diffusa est gratia in labiis tuis. *Id est, tam grata, tã suauis, & plena auctoritatis est oratio tua, vt ōis persuadēdi vis labris tuis insedisse videatur. Itaque nonnulli in Euangelio Ioãnis*

hanc loquendi diuinitatem admirantes asseuerant, neminem ex omnibus mortalibus ꝟnquã ita locutum esse, ꝟt Iesum Christum.

Accingere gladio tuo. *Christi gladius est ꝟis illa spiritus, & ꝟerborum efficacissima: & penetrabilior omni gladio ãcipiti, ꝟt inquit diuus Paulus. Quæ quidem ꝟi, & gladio ille ꝟsus crudelissima tirannide hostis sempiterni humanum genus liberauit, & sub potestatẽ, ac ditionem suam omnes nationes, terrasque subiũxit. Eum gladiũ appellat gloriam, & splendorem Christi, propterea quòd is ea rẽ sibi dec', & imperium comparauit.*

Equita super verbum. *Tu (inquit) tanquã equo ꝟectus euangelio totũ orbẽ terrarũ peragrabis, dextera diuinitatis tuæ cõmemorãda, et inaudita facinora edens. Est autẽ animaduersione dignissimũ, quòd euangeliũ ꝟates sanctus appellat ꝟerbum ꝟeritatis, & mansuetudinis, & iustitiæ, quibus nominibus illius ꝟis, & proprietas ita describitur: ꝟt nihil ad eam explicãdam excogitari possit magis accommodatũ: siquidẽ euangelio traditur ꝟera cognitio Dei rerumq; diuinarũ, & pœnitentibus omniũ peccatorum condonatio promittitur, & iustitia Dei patefit, ꝟt inquit diuus Paulus, qualis autẽ sit hæc iustitia Dei, & quib' impartiatur, quo ꝟe modo, dictum est in explanatione Psal. 40.*

Sagittæ tuæ. *Id est, sagittis euãgelij, & cha-*

r, tæ

ritatis feries animos mortalium, qui te odẽrẽt, & illorum innatam impietate interficies, atq; omnes gentes ad terram sese abijcientes nomen tuum suppliciter venerabuntur. Sed sagittæ significãt etiam pœnas, & supplicia, quibus plectitur eorum pertinacia, qui salutare imperiũ Christi repudiant, euangeliũ enim alijs est odor mortis ad mortem, alijs odor vitæ ad vitã, vt inquit diuus Paulus.

Sedes tua Deus. *Pronunciat imperiũ Christi sempiternum fore, propterea quòd ille & Deus sit, & summa iustitia, & æquitate regnum administret.*

Propterea vnxit. *Te ô Christe Deus, Deus tuꝰ vnxit spiritu sancto vberrimo fonte lætitiæ, vnxit autẽ hoc oleo pretiosissimo longè vberius te quàm cæteros filios suos, qui sunt cõsortes & coharedes tui: ijs enim spiritus sancti vis finitè communicatur, in te verò copiosissimè, largissimeq; effusa totum tota repleuit. Sed paulo fusius hæc explicanda sunt, quò facilius intelligãtur. Deus instituerat apud Hebræos, vt qui regis honore, ac nomine afficerẽtur, aut sacerdotiũ inirẽt, oleo sacro vngerẽtur, de cuius compositione mentio fit in eo libro, qui inscribitur Leuiticus: itaque cũ is Iesum illius gentis, cæterarumq; nationum & regem & pontificem constitueret, antiquo more ipsum oleo perunxit, nõ illo quidẽ manu, atque opere hominum facto,*

Sed eo, cuius efficacitate acti, creata & effecta sunt omnia, nempe spiritu sancto. Hoc cœleste oleum è Christo defluens in vniuersa ipsius mẽbra, id est, in omnes, qui non fictè sed verè Christiani sunt, eos quoque reges, sacerdotes q; constituit. Sed inter hanc nostram, & Christi vnctionem plurimum interest: hic enim spiritum accepit nulla mensura, vt inquit Ioannes Baptista, nobis eius accipiẽdi certus definitus est modus, isq; pro eo quantum metitur vnicuique liberalitas Christi, ex quo tanquam ex fonte plenissimo ad nos omnia bona pérmanãt. Ex his, quæ breuiter attigimus, satis perspicuũ esse videtur, quare vates sanctus cecinerit Christum oleo lætitiæ delibutum esse vberiùs quàm consortes suos.

Myrrha & stacte. *Vestimẽta Christi sunt anima, & corpus, quibus eius diuinitas induta est, quæ diuus quoque Paulus in epistola ad Hebræos scripta nominat velamẽ: vnguenta suauissima sunt excellentissimæ virtutes, quæ diuinum aflant odorem ex ea natura, quam ille assumpsit.*

Ex domibus eburneis. *Aedes eburneæ, id est ornatissimæ, ac magnificentissimæ, sunt mentes piorum, quas incolit Christus, vt ait diuus Paulus in Epistola ad Ephesios scripta. Harum mentium puritate mirandũ in modũ pij Christum exhilarant gaudentem virtutibus, & religione suorum.*

Filiæ regum inter honoratas tuas. *Etiam filiæ principum, & regū (inquit) se tibi in seruitutem, piè sanctéq; dicabunt.*

Astitit regina à dextris tuis. *Hactenus sponsum laudibus celebrauit, nūc ipsam sponsam elegātissimè describit, id est, ecclesiam sanctā, quam dicit assidere sponso: id quod etiam diuus Paulus affirmat his verbis, Deus, qui dives est in misericordia propter multā charitatem suā, qua dilexit nos, etiam cùm mortui essemus per delicta, conuiuificauit nos vnà cū Christo (per gratiam seruati estis) simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.*

Obliuiscere populum tuum. *Monet sponsam si velit amore sui sponsum incēdere, necesse esse, vt ipsa in illum omnem amorem suū trāsfundat, atq; omnia obliuiscatur quæ antea charissima habebat. Hæc est illa præstātissima animi affectio hominis Christiani maximè propria, quā nostri abnegationē sui & mortificationem carnis vsurpare atque appellare solent, de ea sponsus ipse, & ipsius discipuli præclarissima & verè diuina præcepta nobis reliquerunt.*

Filia Tyri. *Significat nationes, quæ falsos Deos colebāt, dona ecclesiæ sanctæ allaturas, & primarios viros illam supplicater veneraturos.*

Omnis gloria. *Ne quis existimaret decorē, & ornatum reginæ constare & rebus externis,*

& ijs quæ oculis cernuntur, dicit, omnẽ pulchritudinem, omniaque eius ornamenta constituta esse in animo illius: vt intelligamus, & aurũ, & vestes elegantissimas nihil aliud esse quàm præclaras, & diuinas ecclesiæ virtutes.

Virgines post eam. *Virgines (inquit) eam deducent, & proximæ eius: id est, quæ moribus, & pietate coniunctiores illi sunt adducẽtur ad te: Virgines autem nominari intelligito non solùm fœminas viri expertes, atq; intactas, sed promiscuè omnes, qui animos gerũt incorrupta doctrina, & morum integritate præstãtes, in quam sentẽtiam diuus quoque Paulus accipit hoc nomen virginitatis, cùm scribens ad Corinthios ait, despondi vos vni viro virginem castã exhibere Christo.*

Pro patribus. *Monuerat ecclesiam, vt obliuiscereture domum paternam nũc eam consolatur promittens, loco parentum: nascituros ipsi filios qui potiãtur imperio orbis terrarum, ij filij fuerunt Apostoli, & qui ab eorum disciplina profecti omnes nationes religiõe sancta imbuerũt: & illas dicto obedientes habuerunt.*

Memor ero. *Inducit ecclesiã gratias agẽtẽ sponso suo, qui eam tantis beneficijs affecerit.*

ARGV. PSAL. XLVI.

Superiore hymno prædixerat coniunctionem ecclesiæ cum Christo: at hoc exponit, quot bella, quot oppugnationes sit illa perpessura, maximè primis

mis temporibus: quam ob causam inscriptus esse videtur ipse hymnus, pro iuuenculis. Describit item magnifica oratione quãta sit fortitudo, fiducia, & securitas piorũ ob tutelam Dei. Inducit autem ipsam ecclesiam loquentem.

Victori, filiorum Core, pro iuuenculis

Psalmus XLVI.

DEus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quę inuenerũt nos nimis.

Propterea nõ timebimus, dũ turbabitur terra, & trãsferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & intumuerunt aquæ eius, concussi sunt montes in fortitudine eius.

Fluminis riuuli lætificant ciuitatẽ Dei, sacrarium habitaculorum altissimi.

Deus in medio eius nõ commouebitur, adiuuabit eam Deus mane, diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna, dedit vocem suam, & mota est terra.

Dominus exercituũ nobiscum, adiutor noster Deus Iacob.

Venite, & videte opera domini, qui posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.

Vacate, & videte, quòd ego sum Deus, exaltabor in gẽtibus, & exaltabor in terra.

Dominus exercituum nobiscum, adiutor noster Deus Iacob.

EXPLANATIO.

Pro iuuenculis. *Cur existimem, ita inscriptum esse hunc hymnũ, supra dixi: sed multi suspicantur, vocabulo Hebræo, quod est Alamoth, hoc in loco significari instrumentum musicum, ad quod huius hymni versiculi canerentur.*

Propterea non timebimus. *Nos (inquit) freti præsidio summi Dei animo quieto & trãquillo erimus, etiam si horrificis terræ motibus orbis terrarũ conquassetur, & præcipitent montes in medium mare.*

Sonuerũt, & intumuerũt. *Tãta (inquit) hostium vis concitata est contra gentem Dei, vt tempestuoso mari, & undarum impetu mõtes concutienti comparari queat: sed nihil minæ, nihil impetus ingruentiũ malorũ obfuit ciuitati, & sacrario Dei, id est, ecclesiæ piorum, in qua veri Dei cultus viget, quam etiam ob causam cælestis faur, & spiritus sancti gratia illã tutam, & incolumẽ reddit, ac perpetuis gaudijs exhilarat. Fontes autẽ & flumina in literis sanctis appellari pro affluenti gratia spiritus sancti, nemo illarum studiosus est, qui nesciat.*

Conturbatæ sunt gentes. *Omnes nationes & omnia regna trepidauerunt, & tandem vltrò succubuerũt, cùm vox euangelij in tonuisset, & miraculorum fulgura coruscarent.*

Ven

Venite, & videte. *Considerate, inquit, quàm commemoranda, & omnem naturæ vim longè superãtia facinora ediderit Deus, dũ homines rudes, & idiotæ superant philosophos, pauci numero nationes vniuersas, homines infimæ fortunæ summorũ principum potentiam, mortales diabolum, & eius satellites immortales.*

Auferens bella vsque ad finem terræ. *De hac cœlesti, & dulcissima pace, quã terris attulit Christus, Esaias quoq; similia vaticinatur: sed qualis ea pax sit, pij soli ex omnibus hominibus intelligũt, eáque fruũtur etiam, cùm omni scelere, ac crudelitate vexantur ab impijs. eam significabat magna illa tranquillitas pacis, & otij, quæ omnibus ferè gentibus data est, dum Christus versabatur in terris.*

Vacate, & videte. *Desinite (inquit Christus) iam oppugnare gentem meam, & animo sedato cognoscite, me esse verum Deum: id enim vel cæcis apparere potest ex innumerabilibus miraculis, quæ vi euãgelij, & nominis mei passim edũntur. Sed sentẽtia diuina huius versiculi semper suam vim habet: est enim necesse, nos ab omnibus nostris operibus quiescere, & sapientiã hominũ pro summa stultitia putare, vt spiritus Dei regnet, atq; omnia administret in nobis, quò quisq; magis hoc modo quiescit, & cessat, eò clarius videt Iesum Christum vim salutarem, & præpotẽtem, atq; à Deo ipsam Dei sa-*

piens

pientiã existere, quam Iudæi, & Græci tãquã rem maximè imbecillam, & stultam pro nihilo ducunt: Græcos autem & Iudæos cùm dico, eos intelligi volo, qui stultis opinionibus inflati sapientiam veram, veramq; iustitiam humano labore, atq; industria comparari posse confidunt.

Exaltabor in gẽtibus. *Nouissima (inquit) est potẽtia & maiestas mea in cælo, sed ita nota erit etiã in terris, & omnes natiões abiecta superstitiõe veră et sanctã religionẽ amplectẽtur.*

Dominus exercituum. *His vocibus Christi confirmata ecclesia piorum exultat gaudio ac repetit versiculum superius cantatum.*

Illud tamen scire oportet, non improbandos esse, qui existimant his versibus etiam insignẽ aliquam victoriam celebrari, quam ciuitas Hierosolymitana consecuta fuerat, & quia nõ sine prodigijs res gesta memoratur, verisimile est, hunc hymnum fuisse compositum, cùm Deus eã vrbem obsidione liberauit Assyriorum, regnãte Ezechia, maximis copijs vna nocte ad internecionem cæsis: post eam victoriam pax omnibus finibus terræ Iudææ data est, vt scriptum est in libro Paralip. Propterea gloriatur popul⁹, Deũ abstulisse bellum vsque ad fines terræ. Vrbem verò Hierosolymam, appellat sacrarium Dei propter augustissimum templum, in quod gens Hebræa ex omnibus locis ad statas, solennesq; cæremonias conueniebat.

ARG

ARGVM. PSAL. XLVII.

Superiore psalmo descripserat tumultus, & bella concitata contra ecclesiam Christi, hoc autem inducit ipsam Ecclesiam lætitia exultantem ob victoriam adeptam, & religionem veram toto terrarum orbe propagatam. Est autem chorus Apostolorum, qui omnes nationes hortatur ad plausum, & gratias agendas Deo, cuius misericordia repudiauerint superstitionem, & religioni sanctæ, & inuiolatæ adhæserint.

Victori, filiorum Choræ Psal. XLVII.

OMnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis & rex magnus super omnem terram:

Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem nostram, pulchritudinem Iacob, quem dilexit.

Ascendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubæ.

Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro psallite.

Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.

Regnabit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Deo adhæserunt scuta terræ, vehementer eleuatus est.

EXPL

EXPLANATIO.

Et rex magnus. *Plaudu inquã lætitiam vestram declarate, quoniam Christus imperio omnium terrarũ potitus est, & apud omnes mortales diuinitatẽ, & potentiã suam declarauit.*

Subiecit populos. *Subiecit nostræ potestati, ac religioni sanctæ nationes, quæ falsis Diis seruiebãt, & selegit, ac nobis pro hæreditate assignauit quicquid speciosum, & excellens erat in familia Iacob, quem perpetuò dilexit.*

Ascendit Deus. *Celebrat ascensum Domini in cœlum, quoniam ex eare tanquam ex vberrimo fonte dona Spiritus sancti in animos hominum profluxerũt, & Apostoli vim illam, & robur incredibile cõsecuti sunt, quo omnia superarunt. Quòd verò dicit, Dominũ ascendisse in iubilo, et in voce tubæ, videtur innuere gratulationem illam cælitũ cum lætitia clamantiũ, Dominus fortis, & potens in prælio: quæ quidẽ verba sint tanquam militum gratulantium, & triũphum sui ducis clamoribus faustis prosequẽtiũ.*

Psallite sapienter. *Id est, non lingua tantũ, sed etiam animo, considerantes scilicet, quã sint admirabilia Christi facta, quæ carminibus vestris celebratis.*

Regnabit Deus. *Imperabat quidem antea Deus omnibus gẽtibus, sed inuitis ac rebellibus, nunc autem volentibus, ac libentibus illis dominatur.*

Prin

Principes populorum. *Id est, principes omnium nationum relicto cultu falsorum Deorum sese cum vero Deo coniunxerũt, atque ita vna ex Iudeis & cæteris gentibus ecclesia conflata est, nam Deo adhæserunt scutæ terræ, id est reges, ac gubernatores ciuitatum, quos etiam Oseas appellat clypeos, propterea quòd populi eorum virtuti ac tutelæ commendati sunt.*

Vehementer eleuatus est. *Concludunt hymnum exclamatione plena lætitiæ, gratulãtes cultum, & Generationem veri Dei in omnes terrarum fines propagatam esse.*

ARGV. PSAL. XLVIII.

Ciuitas sancta gratias agit Deo propter victoriam adeptam, & commemorat, quàm tuti, & beatifint, qui se illius fidei, ac tutelæ commiserunt, quæ autem continentur hoc psalmo, non tam conueniunt Hierosolymis quàm Ecclesiæ sanctæ, cuius imaginem illa ciuitas gerebat.

Psalmus Cantici filiorum Core. XLVIII.

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.

Pulcher locus, gaudium vniuersæ terræ est mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni.

Deus in domibus eius cognitus est esse tutum refugium.

Quoniam ecce reges congregati sunt, transierunt simul.

Ipsi

Ipſi viderunt, ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, in fugam præcipites dati ſunt, tremor apprehendit eos.

Ibi dolores vt parturientis, vento orientali contriuiſti naues Tharſis.

Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini exercituum, in ciuitate Dei noſtri Deus fundauit eam in æternum.

Expectauimus Deus miſericordiã tuam in medio templi tui.

Secundum nomen tuũ Deus, ſic & laus tua vſque ad fines terræ, iuſtitia plena eſt dextera tua.

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.

Circundate Sion, & circumite eam, numerate turres eius.

Ponite corda veſtra ad mœnia eius, & exaltate palatia eius, vt enarretis in progenie altera.

Quoniam hic Deus Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi, ipſe reget nos vſque ad mortem.

EXPLANATIO.

Et laudabilis. *Laudibus (inquit) efferendus eſt Deus, præcipue in Vrbe noſtra ob ſumma, & commemoranda beneficia, quibus nos quotidie ornat.*

Pulcher locus gaudium. *Montem Sionem, & Vr*

& urbem Hierosolymam appellat & aticinãdo gaudium vniuersæ terræ: quoniam vera cognitio Dei, veraque religio ex ijs locis manarũt in omnes terrarum oras, quæ quidem res & salutem, & lætitiam mortalibus attulit immortalem. Sionẽ verò appellat latera Aquilonis, propterea quòd is mõs situs est in Aquilonali urbis parte, & etiam meminit Esaias.

Transierunt simul. *Venerãt, inquit, multi principes ad obsidendam ciuitatẽ nostrã, sed ad internecionem cæsi profligatiq; sunt. Sæpe autẽ legimus in libris Reg. & Paralipo. reges coniuratione facta Iudæis bellũ intulisse, & temeritatis suæ pœnas grauissimas dedisse. Sed tamẽ hoc hymno ea victoria celebrari videtur quam reportauit Iosaphat à Moabitis, & Ammonitis, & Syris, ac etiam gentibus transmarinis.*

Ipsi viderunt. *Viderunt, inquit, hostes, & senserũt suo maximo malo, Deum propugnare pro ciuitate sua.*

Vento orientali. *Hanc esse allegoriã fatentur etiã Hebræi, quæ significat, hostes vi numinis ita disiectos, & fractos fuisse, vt naues impetu ventorũ dissipari ac deprimi solent. Hac eadem allegoria nauis fracta vsus est Ezechiel, cùm describeret excisionem Tyri: naues autem Tharsis appellat nauigia Ciliciũ si fides est adhibẽda Iosepho. Eas naues fuisse maximas significat Ezechiel.*

Sicut audiuimus. *Audieramus (inquit populus sanctus) Deum custodem esse & defensorẽ ciuitatis nostræ id verum esse, nosmetipsi vidimus, & re ipsa experti sumus.*

Deus fundauit eam. *Et hoc, & quædã alia, quæ continentur hoc hymno, falsa essent, nisi referrentur ad nostrã Hierosolymã id est ad Ecclesiam piorum, nam vrbs illa Iudæorum iampridem euersa est.*

Expectauimus Deus. *Cùm versaremur in maximis periculis cõfugiebamus ad templum tuum sanctissimum, opem tuã implorantes, & summa cum fiducia illam expectãtes, neq; nos expectatio nostra fefellit.*

Secundum nomen tuum. *Quemadmodũ nominis tui fama ad vltimas terrarũ oras penetrauit, ita & laudes tuæ omnibus locis celebrabũtur, teq; iustissimum atq; optimũ esse cũcta nationes prædicabunt.*

Circundate Sion. *Contemplamini, inquit, diligenter vrbis sanctæ mœnia, turres, domos, cæteraq; magnificentissima monumenta, quo positis eius laudes memoriæ posterorum commendare.*

Quoniam hic Deus. *Hic Deus erit Deus noster in perpetuum, nosque ac nostra omnia vsque gubernabit, ac tuebitur, dum vitæ istius vsura fruemur.*

ARG

ARG. PSAL. XLIX.

Hortatur ad contemnendas opes, & honores: & iustitiam, ac pietatem colendam: ostendens, stultissimos, & miseros esse eos, qui cupiditati rerum caducarum seruiunt: contraque sapientes, ac beatos, qui rebus omnibus humanis contemptis, cœlestia tantum bona consectantur.

Victori filiorum Core Psal. XLIX.

AVdite hæc omnes gentes, auribus percipite qui habitatis orbem.

Tam filij hominis, quàm filii viri, simul diues, & pauper.

Os meum loquetur sapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.

Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio ænigma meum.

Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circundabit me?

Qui confidunt in potentia sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.

Fratrem redimendo redimere non potest aliquis, neque dare Deo redemptionē eius.

Siquidem pretiosa est redemptio animæ illorum, vt aliquis scilicet vitet mortem & viuat adhuc in æternum.

Et non videat sepulchrum: certè vident etiam sapientes mori, simul insipiēs & stultus pereunt.

Et relinquunt alienis diuitias suas, & in-

timum eorum domus ſuæ in æternum.

Et tabernacula ſua in progeniem & progeniem vocauerunt nominibus ſuis terræ.

Et homo in honore non perdurabit, ſimilis erit iumentis, quæ intereunt.

Hæc via illorum ſtultitia eſt eorum, & poſteri eorum iuxta os illorum current.

Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors paſcet eos.

Et dominabuntur eis iuſti in matutino, & fortitudo eorum veteraſcet, infernus erit domicilium eorum.

At Deus redimet animam meam de manu inferi, quoniam ſuſcipiet me.

Ne timueris, cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.

Quoniam cùm interibit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.

Quoniam animæ ſuæ benedixit in via ſua: & laudabunt te, cum benefeceris tibi.

Introibit vſq; ad progenies patrum ſuorum, & vſq; in æternũ non videbit lumen.

Homo cum in honore eſt, ſi nõ ſit intelligens, ſimilis erit iumentis, quæ intereunt.

EXPLANATIO.

Audite hæc. *Reprehenſurus auaritiam, & cupiditatem honoris, & potentiæ, vocat omnes mortales ad audiendam orationem ſuam, propterea*

ptereà quòd nullum hominũ genus est, quod his vitijs, & grauissimis animi pertubationibus non laboret.

Tam filii hominis, quàm filii viri. *Id est, tã obscuro, quàm claro genere orti, nam ea verba in hanc sententiam accipiunt Hebræi.*

Inclinabo in parabolam. *Ego quoq; attẽto animo audiam, quæ sum expositurus, neq; magis vos, quàm meipsum admonebo. Sententias grauissimas huius carminis vocat cõsuetudine linguæ Hebrææ parabolas, easdẽ verò appellat ænigmata, propterea quòd cognitio earũ rerum quæ in ipsis continentur, capi non potest, neque approbari, nisi spiritu Dei mens illustrata sit.*

Cur timebo. *Videtur hæc esse oratio hominis qui secũ cogitauerit de diuitijs comparãdis, quique multis antè sæculis animaduerterit ea quæ postea monuit sapientissimè diuus Paulus his verbis, Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueũ, & desideria multa inutilia, et nocina quæ mergũt homines in interitum, et perditionẽ: radix enim omnium malorum est auaritia, quã quidã appetentes errauerunt à fide, & inseruerũt se doloribus multis. Hæc igitur cum animo suo considerans etiam sanctus vates, cur, inquit, pecuniæ causa velim committere, vt mihi timendũ sit, cùm dies ille formidolosus aduenerit, quo die*

Vniuersi mortales vocabũtur in iudiciũ totius vitæ rationẽ reddituri? Cur inquã ob diuitias coaceruãdas animũ scelere, & fraudibus implicem? Diem verò illum extremũ ea ratione malum appellauit, qua ratione alius vates eundẽ vocat diem iræ, calamitatis & miseriæ: talis enim erit ille improbis, & impijs: at ijs qui iustè cum fide vixerunt, lætissimus, & faustus illucescet. Calcaneũ verò appellari pro fraudibus, & dolis, alio loco explicatum est à nobis.

Qui confidunt. *Audiant ea quæ dicturus sum, ij, qui potẽtia, & magnitudine opum suarum confidunt, et gloriantur, nemo speret, se vel infinita vi pecuniæ cõparaturum sibi, aut suis huius vitæ perpetuitatẽ, cũ præsertim videat, etiam homines bonos, & sapientes mori. Quòd verò dicit, pretiosam esse redemptionem animæ ipsorum, id significat, nulla ratione mortem eui tari posse, similem loquendi modum animaduertimus in libro primo Regum: ait enim scriptor illius historiæ, Oraculum Domini erat in diebus illis pretiosum, id est, Deus ijs temporibus oracula non edebat.*

Intimum eorum. *Deridet stultitiã, & arrogantiam diuitũ, & potentiam, sed oratio est præcisa, atque imperfecta, & ob eã rem obscura. Est autem sententia horum verborũ: in animis istorum versatur hac cogitatio, ædes illas magnificentissimas, quas ædificant, fore sempiternas*

ternas vnà cũ fama suorum nominum sed profectò falluntur, nam simul cum ipsis & nomen, & tituli, & insana illa ædificia celeriter interibunt. Hæc quidem via, & ratio viuẽdi plena est stultitiæ, nihilo minus tamen prosperi eorum ad has opiniones, & præcepta vitæ suæ cursum accommodant, opes, & honores cæteris omnibus rebus anteponentes.

Sicut oues. *Describit diuitum arrogantiũ miserabilem exitum, qui tandem è vita excedẽtes ad inferos deiciuntur, vbi sempiternis cruciatibus afficientur. At cùm dies ille pulcherrimus illuxerit, quo die, hominũ corpora è somno mortis ad lucem alterius vitæ excitabũtur, tũc dominabuntur diuitibus impijs pij, qui nunc ab illis acerbissimè vexantur.*

At Deus. *Significat tempus illud optatissimum, quo Deus ab inferis excitabit pios ad vitam beatam, & immortalem.*

Ne timueris. *Ne perturberis (inquit) animo néue te conditionis tuæ pœniteat, quisquis cum fide ac pietate vitam colis, cùm videris improbum aliquem diuitijs, & honoribus florentem: celeriter enim his inanibus bonorũ simulachris spoliabitur, & nudus, atque egens detrudetur ad inferos.*

Quoniam animæ suæ. *Quia, inquit suauiter, ac delicatè vixit dives insipiẽs, nihil animo suo libidinibus, & insanis cupiditatibus ardẽ-*

ti negans, quinetiam cæteros ad eandem luxuriam, & intemperantiam adhortatus: finem eiusmodi homines te commendare solent, si voluptatibus seruias, & tibi (vt ipsi loquuntur) benefacias quoniam inquam tam malè sibi, ac cæteris consuluit diues stultus, propterea aggregabitur ad maiores suos quorum stultitiã & intẽperantiã imitabatur in vita, & in tenebris inferorum vnà cũ illis cruciabitur in perpetuum.

Homo cùm in honore est. *Cõcluditur carmen saluberrima sententia, hominem scilicet, cui contingunt amplæ fortunæ sine prudẽtia, & pietate, perinde atque bestias extincto corpore omnibus bonis in perpetuum spoliari.*

ARGVM. PSAL. L.

Prædicit ritus, & cæremonias à Mose institutas repudiandas esse, & excellentiorem colendi Dei rationem introductum iri.

Psal. Asaph L.

DEus Deorum Dominus loquetur, & vocabit terram.

A solis ortu vsque ad occasum. Ex Sion perfecta pulchritudine Deus resplendebit.

Veniet Deus noster, & non silebit.

Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.

Aduocabit cœlum de sursum, & terram, vt iudicet populum suum.

Congregate mihi sanctos meos, qui fecerunt

cerunt fœdus mecum super sacrificiis.

Et annuntiabunt cœli iustitiam eius, quoniam Deus Iudex est.

Audi populus meus, & loquar Israël, & testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, & quadrupedes quæ in mille montibus pascuntur.

Cognoui omnia volatilia montium, & bestiæ campestres mecum sunt.

Si esuriero, non dicam tibi: meus enim est orbis terræ, & plenitudo eius.

Nunquid manducabo carnes taurorũ? aut sanguinem hircorum potabo?

Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.

Et inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.

Peccatori autem dixit Deus, quare tũ narras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.

Si videbas furem, currebas cum eo, &

cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.

Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas opprobrium: hæc fecisti, & tacui.

Existimasti iniquè quòd ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuã.

Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deũ, nequando rapiat, & non sit qui eripiat.

Sacrificans laudem honorificabit me, & ei, qui ordinat viã ostendam salutare Dei.

EXPLANATIO.

Deus Deorum Dominus. *Id est, iudicum, & principum. Vt alio loco explicatũ est: tametsi Dionysius in libro de diuinis nominibus ostendat, etiam Deos vocari mentes illas cælestes ab omni concretione materiæ segregatas, quos Angelos nostri vocabulo Græco appellant, quòd hæ mentes sint interuncia, atque interpretes Dei.*

Loquetur, & vocabit terrã. *Deus (inquit) loquuturus aduocabit testem ipsam terrã. Ipsã ait, cælũ quoq; aduocatũ iri. His aũt loquẽdi modis vti solẽt scriptores sanctι, cùm declarare volunt magnitudinem rerũ dicendarum, vel ait, Deũ à solis ortu vsq; ad occasum terrã aduocaturũ, propterea quòd Christus ad omnes terrarum oras Apostolos suos misit, qui filios Dei dispersos, & dissipatos vnũ in locũ congregarent.*

Ven-

Veniet Deus noſter, & non ſilebit. *Deus (inquit) noſter aderit, et nobiſcum loquetur, & nos à cæremonijs, & legibus antiquis traducat ad longè præſtatiorem ſui colendi rationẽ: ſed cauete, ne eius conſilia, & admonitiones repudietis: ignis enim in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tẽpeſtas ualida: id eſt, habebit in promptu grauiſſima ſupplicia, quibus rebelles, ac dicto non audientes afficiat. Hæc autem omnia, perinde ut prædicta ſunt, ad uerbũ euenerunt: uenit enim Deus aſſumpto corpore humano, & ex Sione ſplẽdidiſſimã diuinitatis ſuæ lucem exiſit qua cæcos animos mortaliũ illuſtrauit, ſed cùm impia gens illum docentem, & ſaluberrima præcepta edentem crudeliſſimè interemiſſet, & diſcipulos eius non minore odio perſequeretur, diuinæ iræ ignis exarſit, et horrifica bellorum tempeſtas excitata eſt, quæ tecta urbis & mœnia diſturbauit, & gentem impiã ferro, fame, ac peſte conſumpſit, & reliquias omnium rerum egeſtate, atque exilio perpetuo multauit.*

Congregate mihi. *Cogite (inquit) Deum cultores meos, qui rit⁹, et cæremonias à me olim pro rudi populo inſtitutas religioſè obſeruant: cogite inquam illos, ut orationi meæ intersint, & intelligant, uenisſe iam tempus cum mihi non iam uitulos, aut hircos immolari, ſed hoſtias ſanctas, puras, & uiuentes offerri uelim.*

Et

Et annuntiabunt cœli. *Cū (inquit) allocutus fuerit Deus populum suum, orbes cælestes quos voluit esse testes orationis suæ, prædicabūt eum omnia summa cum iustitia decreuisse, sunt qui cælos hoc loco appellari existiment pro cælitibus ipsis quos Angelos appellamus.*

Audi populus meus. *Iam Deum inducit loquentem, & sacrificia à Mose instituta repudiantem.*

Nam sacrificiis. *Non (inquit) hanc accusationem institui, vt te reprehenderem de sacrificijs neglectis, nam ea nūquam intermittis, sed nolo te in eiusmodi rebus pietatem constituere.*

Cognoui omnia volatilia. *Id est, in mea potestate sunt, est hæc forma loquendi Hebræa.*

Si esuriero. *Repudiatis sacrificijs antiquis, ritum sacrificandi nouū, & Christianæ religionis proprium introducit: Deum enim laudare, id est eius infinitam bonitatem in omnibus rebus prædicare, ei semper gratias agere, & quicquid cogitamus, loquimur, agimus, ad eius gloriam dirigere, hoc est dignum sacrificium Christiano: itaque Paulus in epist. ad Heb. scripta nos monet vt per Christum immolemus hostiam laudis semper Deo.*

Et redde altissimo vota tua. *Et solue (inquit) Deo, quæ vouisti, vouemus autem omnes, qui veram pietatem profitemur, nos gloriam Dei rebus omnibus antelaturos & sanctissimum*

mum eius numen piè, sanctéque venerantes.

Et inuoca me. *Sacrifica (inquit) hoc modo, & Deo persolue, quod debes: & in rebus aduersis me præsentem, & propitium senties.*

Peccatori autem dixit Deus. *Quoniam dixerat supra non in sacrificijs tuis arguam te, nunc exponit, quibus in rebus arguẽdi sunt. Itaque damnat simulationem virtutis, ac pietatis, eos videlicet, qui Deũ verbis cõfitentur, factis negant, vt ait Apostolus, & quæ præcepta Dei semper in ore habent, ea minimè obseruant.*

Cum adulteris portionem tuã ponebas. *Id est, cum ijs societatem coïbas.*

Hæc feci, & tacui. *Cùm tot ac tanta scelera in me admitteres, ego dissimulabam si quà fortè resipiscere, at tu ad cætera scelera nefaria id etiam addidisti, quòd lenitatem meã sic interpretatus es, quasi ego tui similis essem, & maleficiis delectarer, sed profectò erras, nam arguam te, & ponam tibi ante oculos omnia scelera, quæ vnquam edidisti.*

Sacrificans laudem. *Iterum præcipit de sacrificio, quod ab omnibus pijs requirit, et pollicetur, viam suam ordinanti, id est vitæ cursum piè, sanctéque instituenti se donaturum salutẽ Dei id est, salutem certam singularem, et diuinam: Hebræa enim lingua Deo attribuit quicquid est maximum, & præstantissimum.*

Argu-

ARG. PSAL. LI.

Hoc carmen deprecationem continet hominis peccata sua verè agnoscentis, & sibi illa remitti, ac condonari deprecantis: ea vsus est Dauid, cùm stuprum Bersabeæ, & marito eius mortem obtulisset, illùque Nathan vir singulari sanctitate præditus vehementer accusasset, ac minaretur, Deum tam grauia scelera nequaquam impunita, atque inulta relicturum.

Victori, Psalmus Dauid: cùm venit ad eũ Nathan propheta postquam intrauerat ad Bersabeæ. Psal. LI.

MIserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Multum laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea.

Ecce veritatem cordis dilexisti, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me Domine hyssopo & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Audi

Audire me facies gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa, quæ contriuisti.

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea de iustitia tua.

Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem, vtique holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatũ Deus non despicies.

Benignè fac Domine in bona volũtate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificia iustitiæ, oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.

EXPLANATIO.

Miserere mei Deus. *Maxima quidem, &*

grauis

grauissima sunt scelera, et flagitia mea, sed infinitis partibus maior est clemẽtia tua, hac ego fretus ueniam maleficijs meis supplicter peto.

Et secundùm. *Grauissimè quidẽ peccat in Deũ, seq; inexpiabili scelere obstringit, quisquis ob eã causam de salute desperat, quòd peccata sua maiorẽ ũim ad perdẽdũ habere cẽseat quàm misericordiam Dei ad seruãdum: sed & ille culpis suis maximũ cumulum adiũgit, seq; reddit ueniæ prorsus ũdignũ, qui tãta inflatus est arrogãtia, ut spõte sua, id est, uirib⁹ propriis animi labes & maculas eluere se posse cõfidat. Ut runq; uitiũ uir sapientissimus euitat, misericordiam Dei fidenter implorans, & ab illo turpitudinem scelerum suorum deleri postulans.*

Quoniam iniquitatem. *Nullum locum prætermittit ad misericordiam excitandã: tria uerò hæc potissimum requiruntur: primum, ut impuritatẽ animi tui uerè agnoscas, deinde ut illam ex animo detesteris, tum prætereà ut spẽ omnem illius abstergẽdæ in sola Dei misericordia ponas.*

Tibi soli peccaui. *Peccauerat quidẽ in Uriã quoque fortissimũ & fidelissimũ militẽ: sed cum animo suo cogitans, quantum hoc nefario scelere Deum offendisset, tãto animi dolore cruciabatur, ut hoc unum malum sentiret, & hoc unũ quereretur, præsertim cũ uerba hæc à uiro sanctο dicta secũ recordaretur, hæc dicit Dominus*

minus Deus Israël. Ego vnxi te in regē Israël, & ego erui te de manu Saulis, & dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in sinū tuum, dediq; tibi domum Israël, & Iudæ: & si parua sunt ista, adiȳciā tibi multo maiora, quare ergo contempsisti verbum domini, vt faceres malum in conspectu eius?

Vt iustificeris. Confiteor domine, me teterrimū, & maximè detestādum facinus fecisse, idque libentissimè confiteor, vt me perulgante maleficia mea, teq; summa benignitate illa condonante clarissimus tua veritatis splendor eluceat, tuamq; omnes præstantissimam in seruandis promissis fidem, constantiamq; perspiciant: promisisti autem, pœnitenti omnia peccata vel grauissima te condonaturum. Quod nos iustitiam hoc loco interpretamur appellari pro veritate, dictorumq; constantia, id verum esse facilè intelliget, qui epistolam diui Pauli ad Ro. scriptam legerit: in qua cū is vellet confirmare, Deum esse veracem, & in faciendis promissis fidelissimum, contraq; omnes mortales esse vanos & mendaces, hunc versiculū in ea re testem citauit, sunt aliæ multæ huius loci explanationes omnibus iam notæ, & perulgatæ.

Ecce enim in iniquitate. Ad cōmouendam misericordiam commemorat miseriam naturæ humanæ, quæ quidē Adami vitio ita depraua ta fuit, vt eius corruptela in omnē posteritatem

sit propagata: ex qua quidem re fit, vt in ipsa conceptione contrahamus labem, & proclivitatem incredibilem ad peccandum, quæ ad omnia scelera, & flagitia impellat, nisi animos nostros spiritus sancti gratia purget, ac corroboret.

Ecce veritatem. *Hæc oratio mirabiliter exprimit agitationem animi perturbati, seque in partes contrarias versantis: qui enim modò peccatum suum quodammodo excusarat, nunc vehementer id accusat his verbis, Tu quidem Domine innocentiam, & simplicitatem animi, quã mihi donaras, singulariter amabas, méque tã charũ habebas, vt mysteria sapientiæ tuæ mihi patefaceres: quo munere nihil excellẽtius, aut optabilius excogitari potest: at ego caco furore amens amori tuo eam gratiam retuli, vt illi anteferrem breuem, & flagitiosam voluptatem: neque tanto scelere contentus adulterio cædem crudelissimam adiunxi.*

Asperges me domine hyssopo. *Aspersione huius herbæ sanguine passeris madefactæ sacerdotes vtebantur ad expiandas corporum cõtagiones, sed is ritus mysticus erat, nam aspersione illa significabatur animi expiatio: quare, præceperat Deus, vt in solẽni illo sacrificio, quod fiebat pro peccato, hyssopus adhiberetur, vt scriptum est in Numeris. itaque cùm Dauid precatur Deũ, vt se aspergat hyssopo, nihil aliud precatur, nisi vt ille omnem impuritatem eluat ex*

ani

animo ipsius ne quid in eo resideat oculis Dei castissimis indignum.

Audire me facies gaudium & lætitiam. *Hoc Dauidi contigit tum, cùm aures animi & vocem illam suauissimam à spiritu sancto missam acceperunt, qua testabatur, ipsum omni sceleris contagione liberatum esse.*

Et exultabunt ossa, quæ contriuisti. *Cùm primùm spiritus Dei patefecit Dauidi turpitudinem peccati, quam prius ipso peccato obcæcatus non cernebat, is metu iudicij diuini ita perculsus atque exanimatus est, vt propter magnitudinem angoris & vires animi, & corporis amitteret.*

Auerte faciem tuam à peccatis meis. *Hoc fecisse Deum tunc scimus, cùm spiritus ipsius animum nostrum cõscientia peccatorũ exagitatum iam quietum, & paccatum reddidit.*

Cor mundũ crea in me Deus. *Id est impertire mihi puritatem animi, & illam per quam nihil nisi rectum, honestum, & sanctum expetitur, huius diuinæ affectionis eo magis efficimur participes, quo magis spiritus noster à spiritu sancto ad effigiem Dei renouatur, quæ quidem renouatio si abest, semper animus noster impurus, & contaminatus manet, tametsi aliquando hominibus, qui non possunt in sensus intimos alterius introspicere, purissimi, & integerrimi videmur.*

Ne proiicias me à facie tua. *Abijcit Deus, quos ſpiritus ſui lumine ſpoliat, excæcatosq; patitur à via veritatis aberrare, ac ſeruire cupiditatibus noxiis, nullo iam metu iudicij diuini à ſcelere, & maleficio deterritos.*

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui. *Quam ſcilicet mihi ſolebat afferre ſpes certiſſima ſalutis tua liberalitate conſequenda.*

Et ſpiritu principali. *Spiritum principalem appellare videtur eam illam ſpiritus ſancti, per quam animus noſter cupiditatibus, & reliquis perturbationibus imperat, & liberationem rectam, & præcepta Dei ſequitur, quòd ſi legas, ſpiritu munifico, vel, vt alij verterunt ex Hebræo, ſpiritu ſpontaneo, eadem tamen ſententia manebit: ſiquidem vis illa ſpiritus ſancti facit, vt animo prompto, alacri, & libero legibus diuinis obtemperemus.*

Docebo iniquos vias tuas. *Vniuerſæ viæ domini miſericordia, & veritas. Quis igitur aptior ad docendas has vias quàm ille, qui vsu ipſo, & experientia didicit, quàm Deus ſit miſericors, quàm lenis, & facilis ad ignoſcendum, & quàm verax & fidelis in promiſſis perſoluẽdis? Quis verò promptiore animo erranti viam ſalutis oſtẽdat, quàm is, qui ſuo maximo dolore & malo didicit, quã res miſera, & miſeranda ſit, ab ea via deerrare? Itaque vera pœnitentia facit, vt non ſolũ ſumma diligentia caueas, ne*

declin

declines ipse de semita, quæ ducit in cælum: sed etiam vt vehementer aueas, atque enitare, vt omnes eadem ingrediantur via.

Libera me de sanguinibus. *Sic appellat cædis scelus detestabile, quod commiserat Vriæ crudeliter trucidato.*

Exultabit. *Si hæc tanta scelera expiaris, atque ex animo meo sordes istas fœdissimas elueris, memoriam tanti beneficij nulla vnquam delebit obliuio, nunquam lingua mea satiari poterit gratijs agendis, semper illa versibus iucũditatis, & lætitiæ plenis prædicabit infinitam bonitatem tuã, quæ tanta facilitate pœnitentibus delicta condonat, afflictos & iacentes erigit, cæcis lumen impartit, errantes deducit in vitam.*

Domine labia mea aperies. *Silebat enim cõscius sceleris sui, ne & ipse hoc audiret à Deo, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, quin etiam cũ dixisset se prædicatorẽ iustitiæ diuinæ, ac doctorem pietatis futurũ, iure, ac meritò subiunxit hunc versiculum, quis enim dignè possit hoc exequi, nisi Deus aperiat os locuturo, & verba, & vim in dicendo suppeditet?*

Quoniam si voluisses. *Hoc propterea dicere videtur, quòd peccata illa maxima per leges Mosis nõ sacrificijs, sed morte luebantur: vel potiùs significat idẽ, quod diuus Paulus in epistola ad Hebræos scripta, sanguinem videlicet tan-*

rorum, & hircorum non abluere labes peccatorum & scelerum.

Sacrificium Deo. *Spiritum contribulatum & cor contritum, ac humiliatũ vocat affectionem animi qui propter agnitionem, & sensum acrẽ peccati fractus, afflictus, & prostratus in sola Dei misericordia spem salutis collocet. Hãc animi affectionem affirmat esse sacrificiũ Deo acceptissimum: itaque Iesus Christus beatos vocat eos qui lugent propterea quòd Deus illos sit consolaturus.*

Benignè fac domine. *Hoc precatur metuens, ne maleficia principis noceant ciuitati.*

Vt ædificẽtur muri Hierusalem. *Ego in eam opinionem facilè adducor, vt credam, Vatem sanctum non tam loqui de ædificatione muium vrbis, quàm de recta, & pia institutione ipsius ciuitatis, quæ tunc firmissimis muris, & propugnaculis munitur contra impetum, & insidias diaboli, cũ fauẽte Deo doctores, & magistros habet eius doctrinæ, quæ continetur hoc Psalmo, in quo de miseria, & ingenita corruptela hominis, de misericordia Dei, de vera pœnitentia, & fructibus illius deq; remissione peccatorum explicatè, grauissimeq; disseritur. Neque mirum alicui videri debet si verbum ædificandi ad doctrinam, & institutionem significandã translatũ sit, quãdoquidem in hanc sententiam sæpissimè id verbum accipitur in literis sanctis.*

Tunc

Tunc acceptabis sacrificia iustitiæ. *Sacrificia inquã ab animo facta, qui ab omni iã scelere expiatus, et purus sit, qua nũc repudiares facta ab homine adultero, & cade fœdissima contaminato, quin etiam sacrificia populariũ meorum acceptissima tibi erunt tũ, cùm piè, ac rectè instituti didicerint victimas immolandas esse, non vt illa cruore suo eluant maculas delictorum, sed vt testentur, eas esse deletas clementia tua, cui pro sacrificio gratissimo est animus peccata sua lugẽs, & demissè, ac humiliter misericordiam tui sanctissimi numinis implorans. Verum illud scire oportet, clausulam huius psalmi vulgò ita explanari, tanquã Dauid oret ædificationem ecclesiæ, quæ ipsa quoque sua sacrificia habet longè illa quidem dissimilia ijs quæ instituta sunt à Mose, sed etiã Deo longè acceptiora. Hanc explanationem nos quoque libenter amplectimur.*

ARGVM. PSAL. LII.

Inuehitur in Doegum hominem sceleratum, & nefarium, & comparat studia contraria piorum, impiorũmque: quorum alteri vanitate, malitia & rebus fluxis, atque inanibus nituntur: alteri sola Dei misericordia confidunt.

Victori, eruditio Dauid, cũ venisset Doeg Idumæus, & annunciasset Sauli & dixisset, Venit Dauid ad domum Achimelech. Psal. LIII.

QVid gloriaris in malitia potens? misericordia Dei.

Tota die? Iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super bonitatem, iniquitatem loqui magis quàm æquitatem.

Dilexisti omnia verba proditiõis, lingua dolosa.

Propterea Deus destruet te in æternum, tollet te, & euellet te de tabernaculo, & radicem tuam de terra viuentium.

Videbunt iusti, & timebunt, & super eũ, ridebunt, & dicent: ecce homo qui non posuit Deum fortitudinem suam.

Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & corroborauit se dolis suis.

Ego autem sicut oliua virens in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.

Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

EXPLANATIO.

Cùm veniſſet Doeg. *Cùm Dauid Saulis cim fugeret, ad Achimelechum pontificem venit, qui ei & gladium præbuit, & panes sacros edendos concessit, ignarus inimicitiarũ, quæ inter illum, & regem intercedebãt: eam rem detulit ad Saulẽ Doegus pastor regius, homo gratia, & auctoritate apud illũ florens. Saul autẽ factum pontificis tam ægrè tulit, vt* LXXXV.

sacerdotes ipsi Doego trucidãdos dederit, & in totam ciuitatem sacerdotũ eo ministro, omnia crudelitatis exempla ediderit. Tãto igitur scelere commotus Dauid hos versus in Doegum, composuit.

Quid gloriaris in malitia potens? *Quidnam ô potẽs te iactas de nefarijs sceleribus, quæ impunè in homines innocẽtes edis? gloriabatur autem de cæde sacerdotum, & ciuitate illorum crudelissimè vexata.*

Misericordia Dei tota die. *Tu quidẽ gloriaris maleficijs, & impietate, nos cõtra gloriamur de bonitate, & misericordia Dei, quæ ille continenter vtitur erga homines pios.*

Sicut nouacula acuta. *Comparat illum nouacula, propterea quòd lingua petulantissima bonum quenque vulnerabat.*

Dilexisti omnia verba perditionis. *Id est, quæ bonis perniciem afferunt.*

Euellet de tabernaculo. *Non te diutius sinet Deus polluere sanctissimum templũ suum, quod corpore illo tuo sanguine sacerdotum inquinato audes ingredi.*

Et radicem tuam de terra viuentium. *De terra viuentium dictum est in explanatione Psalmi 27.*

Videbunt iusti. *Scilicet exitium Doegi, & Deum venerabũtur, qui tam illustria iustitiæ suæ documenta constituit, & magnã animo ca-*

pient voluptatem, cùm viderint, hominẽ impiũ sanguinem sacerdotũ acerbo supplicio luentem.

Ego autem sicut oliua. *Ipse quidem Doegus ob impietatem suam tãquàm arbor pestifera euelletur ex tabernaculo Dei, ego verò in tẽplo sanctissimo tanquàm olea viridis florebo, propterea quòd non viribus meis, aut dolis, sed misericordia Dei confido.*

Quia fecisti. *Quoniam perfecisti, quæ his versibus euentura prædixi.*

Et expectabo nomen tuum. *Id est omnem meam spem locabo in numine tuo, quoniã id est amabile, propitium, & præsens hominibus pijs, vel ait se expectaturum nomẽ domini, quoniã id expectare est vtile, ac salutare iudicio piorũ, nam cæteris ea res stultitiæ plena videtur.*

ARGV. PSAL. LIII.

Hic psalmus ferè est idem atq; decimusquartus.

Victori ad Mahalath eruditio Dauid.

Psalmus LIII.

DIxit insipiens in corde suo, non est Deus.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat, an sit intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt

& sunt, non est qui faciat bonũ, non est ne vnus quidem.

Nónne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorãt plebem meã sicut escam panis?

Deum non inuocauerunt: illic trepidabunt timore, vbi non erit timor.

Quoniam Deus dissipabit ossa eorum, qui te obsident: confundẽtur, quoniã Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutare Israël? cùm conuerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israël.

EXPLANATIO.

Illic trepidabunt timore, vbi non erit timor. *Id est, vbi nulla erit timẽdi causa. Simile est illud Mosis: fugient, vt à gladio homines fugere solent: & cadent nemine persequente.*

ARGV. PSAL. LIIII.

Commendat salutem suam Deo vndique circumuentus insidijs inimicorum.

Victori, in Neginoth, eruditio Dauid, cùm venirent Ziphæi, & dicerẽt Sauli: nónne Dauid absconditus est apud nos?

Psalmus LIIII.

DEus in nomine tuo saluum me fac, & in fortitudine tua vindica me.

Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

Quon

Quoniã alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam, & non proposuerũt Deũ ante conspectũ suũ.

Ecce Deus adiuuat me, & Dominus est cum ijs qui sustentant animam meam.

Auerte mala ad inimicos meos, & in veritate tua dispersde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi, & cõfitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniã ex omni tribulatione eripuisti me, & in inimicis meis vidit oculus meus.

EXPLANATIO.

Cùm venirent Ziphæi. *Hæc historia scripta est in libro primo Regum.*

Quoniam alieni. *Vates sancti aliquando alienos, & alienigenas appellare solẽt Hebræos impios, qui virtutẽ & religionem negligebant.*

Et nõ proposuerunt. *Id est nullo metu iustitiæ diuinæ deterrentur à maleficio.*

Dominus est cum ijs qui sustentant animam meam. *Id est, fauet paucis illis, qui meorum discriminum & periculorũ comites sunt.*

Auerte mala. *Id est fac recidant in aduersarios meos mala, quæ mihi machinantur.*

Voluntariè sacrificabo tibi. *Significat ijs verbis id genus sacrificij, quod sponte fiebat: id enim pertinebat ad actionem gratiarum, de eo mentio fit in Leuitico.*

Et in inimicis meis. *Oratio est præcisa, quam*

quã ita explet paraphrasis Chaldæa: & in meis inimicis vidit oculus meus vltionem.

ARGV. PSAL. LV.

Queritur se nusquam tutum esse: præcipuè verò dolet, insidias sibi esse factas ab homine secum summa familiaritate coniuncto.

Victori in Negmoth, Eruditio Dauid.

Psalmus. LV.

EXaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me.

Vocifero in oratione mea, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.

Quoniam inclinauerunt in me iniquitates, & in ira molesti sunt mihi.

Cor meum conturbatũ est in me, & formido mortis cecidit super me.

Timor, & tremor venerunt super me, & cooperuit me horror.

Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ? volarem, & requiescerem.

Ecce elongarem me fugiens, & manerem in solitudine.

Festinarem saluum me facere à spiritu turbinis, & tempestatis.

Disperde Domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.

Die

Die, ac nocte circundant eam in muris eius, iniquitas, & afflictio in medio eius, & prauitates intra ipsam.

Et non recedit de plateis eius fraus, & dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique.

Et si is, qui oderat me, erexisset se cõtra me: abscondissem me forsitan ab eo.

Sed tu homo vnanimis, dux meus, & notus meus.

Dulce nobis erat secreta nostra inuicem communicare, in domo Dei deambulabamus cum consensu.

Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorũ, in medio eorum.

Ego autem ad Deum clamabo, & Dominus saluabit me.

Vespere & mane, & meridie precabor, & vociferabor, & exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam à prælio quod est contra me, quoniam cum multis sunt aduersum me.

Exaudiet Deus, & affliget illos, qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum, misit manus suas in pacificos

cificos ſuos.

Contaminauit fœdus ſuũ, leniora ſunt butyro verba oris eius, & in corde eius eſt bellum.

Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.

Reiice in dominum onus tuum, & ipſe te ſuſtentabit, non dabit in æternum fluctuationem iuſto.

Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus.

Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, ego autem ſperabo in te Domine.

EXPLANATIO.

Quoniam inclinauerunt in me iniquitates. *Id eſt, me falſis criminibus onerant atque in inuidiam vocant.*

Pennas ſicut columbæ. *Pennas columbæ optat, quoniam ea auis celerrimè volat.*

A ſpiritu turbinis. *Sic appellat vim & impetum Saulis, aut Abſolonis.*

Diuide linguas eorũ. *Fac, inquit, ſubito exiſtat inter eos linguarum varietas, ne poſſit alter alterius verba intelligere dum de me prodẽdo conſultãt. Hoc modo Deus fregit conatus eorum qui turrim Babelis ædificabãt, vt eſt in Geneſi.*

Tu verò homo vnanimis. *Significat Architofelẽ ſi fides eſt habẽda paraphraſi Chaldææ.*

Quon-

Quoniã cum multis sunt aduersum me. *Id est, quò plures sunt aduersarij mei, hoc maiori curæ erit Deo salus mea, sic interpretatur hũc locum Dauid Chimis scriptor apud Hebræos clarus in primis.*

Non est illis commutatio. *Significat ijs verbis, illos obstinato animo in vitijs, & malesicijs perseuerare.*

Reiice in Dominum onus tuum. *Depone (inquit) in sinũ Dei omnes curas, molestias, & solicitudines tuas, teq; ac tua omnia ipsius fidei, & misericordiæ committe, hoc si feceris, ille sic animum tuum corroborabit, vt te nullæ vis calamitatum de gradu constantiæ depellere possit. Hanc sententiam saluberrimam repetit diuus Petrus his verbis: Omnem solicitudinem proijcite in Deum, quoniam ipsi curæ est de vobis: & diuus Paulus, Dominus (inquit) propè est: nihil soliciti sitis.*

Non dabit in æternum. *Id est, non sinet pios ab impijs semper opprimi, & vexari.*

Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. *Immatura mors homini pio nunquam potest accidere: integritas enim vitæ vel in prima adolescentia tempus maturũ mortis affert, neque dicendus est aliquis parum diu vixisse, qui purè, sanctq; vixit: quin etiam vir pius sine senex, siue iuuenis mortem obeat, explet tempus suum: quippe qui semper paratus sit*

a d di

ad discedendum: & bene maturum censeat, quacunque die ipsum Deus istis corporis vinculis liberare voluerit. Contrà impius vitã sibi longam semper pollicetur, imò perinde ac sit immortalis, ita viuit: quo quidem fit: vt nunquã is expleat tempus suũ, atq; excessus è vita semper ipsi tanquam iuueni immaturus est, etiã si cẽtum confecerit annos. Quanquam igitur homines vitiosi & improbi aliquãdo ad extremã senectutem perueniant: tamen verissima est hac sententia, Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.

ARGV. PSAL. LVI.

Auxilium Dei implorat in maximo periculo versans, queritur de Saulis, & assectarum eius iniuria, séque diuinæ misericordiæ spe consolatur.

Victori pro columba muta, qua procul auolauerat. Michtam Dauid cùm tenuerũt eũ Philistæi in Geth, Psalmus LVI.

MIserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me.

Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellãtes aduersum me, ô excelse.

In die, qua timor iuuaserit me, ego in te sperabo.

In Deo laudabo verbum eius, in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea calumniabantur, aduersum me omnes cogitationes eorum in malum.

Congregati sunt, insidiantur, ipsi calcaneos meos obseruant.

Expectantes animam meam, propter iniquitatem euasio erit illis: in ira populos cõfringes Deus.

Fugas meas tu numeratas habes, lachrymas meas repone in vtrem tuum.

Nónne in libro tuo hæc scripta sunt? tũc conuertentur inimici mei retrorsum.

In quacunque die inuocauero te: ecce cognoui quòd Deus meus es tu.

In Deo laudabo verbũ, in Domino laudabo sermonem: in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua, reddam laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, vt ambulem coram Deo in lumine viuentium.

EXPLANATIO.

Pro columba muta. *Hæc inscriptio significare videtur, hos versus esse factos pro Dauide homine simplici, & innocente, qui causam suã Deo cõmittens nihil aduersarijs suis respõdit, sed procul fugiens ad Palæstinos se contulit, quæ quidem historia scripta est in libro primo Regũ,*

Conc

Conculcauit me homo. *Saulē significat.*

Quacunque die. *Quoties, inquit, mihi aliquis metus iniectus erit ego me muniam cōtra illum spe certissima auxiliȳ tui.*

In Deo laudabo verbū eius. *Ego, inquit, fretus benignitate Dei in bonam partem accipiam, quicquid eius voluntate, & permissu acciderit mihi, verbum autē apud Hebræos appellari pro re, & facto, sæpe iā dictū est: ita nonnulli explanant hunc locum. Nos verò diligentius verba Dauidis expendentes sic interpretamur: cū nihil in Deo existat, quod satis dignè laudari possit ab hominibus, tamē uir pius in periculū aliquod adductus uerba ipsius laudat in primis, quo animū suum corroboret, ac confirmet, laudat verò ad hunc modum: Eloquia Domini, eloquia mūda, argentum igne examinatum in nasse terreo, purgatum septies: id est uerba Dei uera, syncera q; sunt, nihil ijs puri*[*], *aut sanctius, nihil ab omni falsitate magis alienum. Hæc cum animo suo cogitans uir pius, simulq; reputās, Deum promisisse se misericordia sua tanquam firmiss mo scuto protecturū omnes qui sese in tutelā ipsi tradiderunt incredibile dictu est, quantū fiducia ac firmitatis ex ea re cōparet in rebus aduersis. Hoc ita esse, ex uerbis ipsius Dauidis intelligi potest, qui cū dixisset in Deo laudabo uerbū eius, statim subiungit, se Deo confidere, eamque fiduciam esse*

talem, & tantam, vt neque vim neque insidias potentissimi regis intimescat, quippe qui nõ dubitet, Deũ pro salute sua propugnare, cuius rei certissimum pignus habet verbum ipsum, id est promissionem.

Propter iniquitatem. *Eritne hoc eorum scelus impunitum? Non erit certè, sed tu Domine hanc magnam vim hostium meorũ vlciscere. Sic interpretatur hunc locum Chimis Hebraus explanator.*

Fugas meas. *Tu Domine, inquit, optime nosti, quàm sæpe coactus sim fugere impetum hostiũ meorum, lachrymas, quæ quotidie fluunt ex oculis meis, repone quæso in vtrem tuum, vt videas, quã illæ sint abundantes, imò verò in libro prouidentiæ tuæ scriptæ sunt & lachrymæ, & fugæ meæ, et omnes iniuriæ, quas innocens perfero. Nimirum efficacissima est cõsolatio in rebus aduersis, cùm vir pius cogitat, nihil sibi euenire posse, quod Deus non animaduertat, quem sibi patrem esse non dubitat.*

Tunc conuertentur. *Videtur certum tempus significare, quo tempore intelligebat aduersarios suos opprimendos esse.*

In me sunt. *In mea, inquit, memoria sunt vota, quæ tibi nuncupaui, eaque religiosè persoluam: quæ verò sint ea vota, ipsemet declarat subiungens, reddam laudationes tibi.*

Quoniam eripuisti. *Gratias inquam immorta*

mortales agam tibi, propterea quòd me ex maximis periculis eripuisti, vt in lumine viuētiū, id est, vitam, & salutem retinens ambulē coram te, hoc est virtutē, & pietatem colam, atque ita me geram, tanquam omnibus meis cogitationibus, & verbis, & actionibus interſis. Sed hac gratiarū actio pertinet ad omnes pios, quorum animos, & pedes liberat Deus, alteros à morte ſempiterna, alteros à lapſu, vt vi ſpiritus corroborati, atque eo lumine, quo cœlites in perpetuum fruuntur, & illuſtrati, ſine graui aliqua offenſione hoc difficile viuendi curriculum conficiant. Deum ſemper ante oculos habentes, vt nihil animo agitare, nihil aut loqui aut gerere poſſint, quin illum præſentem adeſſe perſuaſum habeant.

ARGV. PSAL. LVII.

Gratias agit Deo cuius miſericordia è maximo periculo euaſerat.

Victori, ne perdas Dauid: Michtan, quando fugit à facie Saulis in ſpeluncam. Pſal. LVII.

MIſerere mei Deus miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea.

Et in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altiſsimū, ad Deum, qui perficit mihi.

Mittet de cœlo, & liberabit me, dabit in opprobrium conculcantes me.

Mittet Deus misericordiam suam, & veritatem suam, anima mea in medio leonũ est, iaceo inter ardentes.

Inter filios hominum, quorum dentes sunt lanceæ, & sagittæ, & lingua eorũ gladius acutus.

Exaltare super cœlos Deus, super omnẽ terram gloria tua.

Laqueum parauerunt pedibus meis, incuruauit ille animam meam.

Foderunt ante faciem meam foueã, & ipsi inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara, auroram excitabo.

Confitebor tibi in populis Domine, & psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.

EXPLANATIO.

Quando fugit à Saule. *Hæc historia scripta est in libro primo Regũ, quòd verò in eodẽ titulo dicitur, ne perdas, Hebræi putãt id significare quòd suos ad occidendũ Saulẽ inflãmatos cohibuerit: nimirum cùm Abisais illũ dormiens*

mientem interficere vellet legimus Dauidē illi dixisse, ne perdas eum. Verū haud satis scio an hæc interpretatio cōuenire possit reliquis inscriptionibus, quæ hæc eadem verba continent.

Qui perfecit mihi. *Omnia, quæ opto, est enim oratio imperfecta.*

Mitte Deus. *Deus & misericors & verax est: misericordia facit, vt opem afflictis et laborantibus promittat: veritas facit, vt promissa persoluat.*

Iaceo inter ardentes. *Odio mei.*

Exaltare super. *Id est, declara vim & potestatem tuam in homines impios, & nefarios, vt omnes ad venerationem excitentur, & in omnes terras se dilatet gloria tua.*

Laqueum parauerunt. *Nunc exponit auxilium sibi allatum esse, quod expectauerat.*

Inclinauit ille animam meam. *Significat his verbis magnitudinē periculi, & timoris, quo debilitabat animūq; demittebat, cū Saul ipsi immineret, & in eum locum ventū esset, vt ex eius manibus elabi posse non videretur.*

Et ipsi inciderunt in eam. *Machinati erāt mihi periculū, in quod ipsi incurrerūt, cùm incauti in manus meas incidissent.*

Paratum cor meum. *Symmachus vertit clarius ad hunc modū: stabile cor meum Deus stabile cor meū. Nihil verò est, quod magis stabiliat, & confirmet animū in religione, ac pro-*

tatis amore, quã obseruatio diligens earum rerum quæ res quotidie geruntur à prouidentia Dei bonis tuendis, & improbis eleiscendis.

Excitabo auroram. *Non expectabo, dũ aurora me excitet è lecto, quin potius illã ego cunctantem excitabo antelucanis horis surgens ad hymnos canẽdos. Simile est illud Virgilij, Aestatem increpitans serã, Zephyrosque morantes.*

Quoniã magnificata est. *Id est omnia plena sunt misericordia, bonitate, & iustitia tua.*

ARG. PSAL. LVIII.

Inuehitur in Saulem, & eius cõsiliarios, & affectas quos prædicit grauissimas pœnas scelerum daturos.

Victori ne perdas, Dauid Michtan

Psal. LVIII.

NVmverè, ô congregatio, iustitiam loquimini? rectè iudicatis filij hominum?

Etiam in corde iniquitates operamini in terra, iniustitias manus vestræ appendunt.

Alienati sunt peccatores à vulua, erraverunt ab vtero, loquentes falsa.

Venenum illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obturantis aures suas.

Quæ non exaudiet vocem incantantiũ, & venefici incantantis sapienter.

Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, moras leonum confringe Domine.

Difflu

Diffluãt tanquã aqua decurrẽs, dirigant sagittas suas, sed sint, ac si confractæ essent.

Instar limacis colliquescentis dilatabatur, fiat velut abortiuũ mulieris, quod non vidit solem.

Priusquàm crescant spinæ vestræ in rhãnum, sicut crudum quid, sic ira turbine rapiet eum.

Lætabitur iustus cùm viderit vindictam: pedes suos lauabit in sanguine peccatoris.

Et dicet homo, vtique est fructus iusto, vtique est Deus iudicans in terra.

EXPLANATIO.

Non verè ô congregatio. *Non (inquit) ô iudices, & consiliarij qui Saulẽ ab iniuria mihi facienda dehortari debueratis, vera, et aqua cõsulitis, aut pronũtiatis? quin potius nihil nisi maleficia et scelera cogitatis eaq; impotẽti animo perficitis, pro æqualitate, et iustitia iniurias, & vim iudiciali statera appendentes.*

Alienati sunt. *Non est (inquit) quòd miremur, hos homines esse tã sceleratos, quippe qui iam inde ab ipsis incunabilis abalienauerũt se à Deo, et à recta viuẽdi ratione aberrauerũt.*

Sicut aspidis surdæ. *Comparat eos aspidi obturanti aures, quoniam nolebant audire monitiones salutares.*

Sed sint ac si confractæ essent. *Id est, conatus eorum irriti sint.*

Priusquã crescant spinæ vestræ in rhamnum. *Verba hæc conuertit etiam Symmachus hoc modo. Sed vocabula Hebræa sunt ambigua, et totus versiculus mihi videtur admodũ difficilis ad intelligendum: consideret tamẽ prius lector, nũ ex eo elici possit sententia, quam subijciam, quemadmodũ vis venti poma ex arboribus cruda auellere solet, ita vis iræ diuinæ ducem vestrum immatura morte de medio tollet, antequã scelera, & vitia vestra maiora fiãt, & corroborentur. Est autem rhamnus spina maxima, quæ speciem arboris ferè gerit.*

Lætabitur iustus. *Lætabitur, nõ quòd insultet illorum calamitati, sed quòd videat gloriã Dei illustrari, & homines à maleficio deterreri, dum improbi pœnas luunt.*

Pedes suos lauabit. *Hyperbole est, quæ significat ingentẽ lætitiam piorum, sed vulgò aliter hunc locum interpretantur nempe homines pios supplicio impiorum fieri cautiores, & quò clarius cernunt, Deum cuique, pro eo, ac quisque se gerit, aut pœnas irrogare, aut præmia persoluere, hoc enixius contendere, & omnem impuritatem ex animo euellere.*

ARG. PSAL. LIX.

Implorat auxilium Dei contra aduersarios.

Victori ne perdas, Michtam Dauid, quãdo misit Saul, & custodiuit domum eius, vt eum interficeret. Psal. LIX.

Eripe

ERipe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salua me.

Quia ecce insidiantur animæ meæ, cõgregantur aduersum me.

Non propter iniquitatem meam, neque ob peccatum meum Domine, sine iniquitate mea illi currunt, & se instruunt.

Exurge in occursum meum, & vide, & tu Domine Deus exercituum, Deus Israël.

Intende ad visitandas omnes gentes, nõ misereris omnium, qui operantur iniquitatem.

Reuertuntur ad vesperam & fremũt vt canes, & circumueniunt ciuitatem.

Ecce loquũtur in ore suo, & gladij sunt in labiis eorum, quoniam quis audit?

Tu autem Domine deridebis eos, subsannabis omnes gentes.

Fortitudinem eius tibi reseruabo, quia tu Deus adiutor meus es, Deus meus misericordia eius præuenit me.

Deus ostendit mihi in inimicis meis, ne occidas eos, ne fortè obliuiscatur populus meus.

Disperge illos in virtute tua, & deiice eos protector noster Domine.

Propter delictum oris eorum, & sermonem

nem labiorum ipsorum, & comprehenden tur in superbia sua.

Propter periurium & mendacium, quod loquuntur, consume in furore, consume, & non sint.

Et sciant, quòd Deus dominatur in Iacob, & vsque ad fines terræ.

Reuertuntur ad vesperam, fremunt vt canes, & circumeunt ciuitatem.

Ipsi dispergentur ad manducandũ, sed dormient non saturati.

Ego autem cantabo fortitudinẽ tuam, & exaltabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es adiutor meus & refugiũ meum in die tribulationis meæ.

Fortitudo mea tibi psallam, quia Deus adiutor meus es, Deus meus misericordia mea.

EXPLANATIO.

Quando misit Saul. *Historia hæc scripta est in lib. 1. Regum.*

Intende ad visitandas omnes gentes. *Alio loco ostendimus, hoc verbo gentes sæpenumero in literis sanctis significari homines sceleratos, & impios: Visitatio autem improborũ significat eorum supplicia, vt apud Esaiam, Visitabo super orbis mala: et in Psalmo 89. Visitabo in virga iniquitates eorũ. Itaque orat, vt Deus: qui pro sua singulari lenitate diuturnam sæpe*

nocent i

nocentibus concedit impunitatem, aliquãdo tã dẽ animum intẽdit ad iudicia exercẽda, atq; ad ẽim ſeueritatis ſuæ declarandã contra importunitatem hominum perditorum.

Reuertuntur ad veſperam. *Deſcribit ſedulitatem ſicariorum, qui iuſſu Saulis obſidebant de nocte domum ſuã, & tota ciuitate inſidias locabant, ne poſſet elabi.*

Ecce loquuntur in ore ſuo. *Figura eſt, quam rhetores appellant reticentiã, hac exprimit atrocitatem verborum, quæ iactabãt, ij qui obſidebant domum ſuam. En, inquit, loquuntur ore ſuo nihil ſcilicet niſi cædem, & ſanguinẽ et immanitatem, itaque ſubiungit, gladij ſunt in labijs eorum.*

Quoniam quis audit. *Quis (inquiunt illi) nos audit? Id eſt, hæc nefaria loquũtur, propter eà quòd exiſtimãt, audire neminẽ, cùm tamẽ ego, imò verò Deus, audiat omnia. Symmachus ſententiam exprimẽs non verba, clarius vertit ad hunc modum, gladij ſunt in labijs eorũ, tanquam nemo audiat.*

Tu autem Domine deridebis eos. *Tu Domine conatus iſtorum irritos facies: & omniũ impiorum conſilia franges.*

Fortitudines eius. *Nõ poſſum ego potentiæ regis obſiſtere, itaque certamẽ hoc tibi ſeruabo, & viribus illius vires tuas obijciã. O fortunatũ, & vere beatum illum, qui tantos progreſſus habet*

habet in cognitione imbecillitatis ſuæ, vt depoſita omni temeritate, & propriarum virium confidentia: toto animo acquieſcat in præſidio miſericordiæ Dei.

Miſericordia eius præueniet me. *Tam benignus eſt inquit, Deus meus, vt ſua miſericordia præuenire ſoleat preces meas, & opem ferre, antea quã illam implorem. Deus hac benignitate vſurũ aduerſus pios pollicetur apud Eſaiã his verbis: Antequam clamẽt, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus audiam.*

Oſtendit mihi in inimicis meis. *Ea videlicet, quæ opto: oratio eſt præciſa, & imperfecta.*

Ne occidas eos. *Ne ſubito illos de medio tolle, ne fortè hoc exemplum iuſtitiæ tuæ effluat è memoria populi mei, ſed vagi, exules, omniũ rerum egentes diu ſecum ferant monumẽta iuſtitiæ tuæ, illaq́, mortalibus inuiti oſtentent.*

Diſperge illos in virtute tua. *Hunc verſiculum, & ſequentem Symmachus etiã vertit eodem modo.*

Et comprehendantur in ſuperbia ſua. *Id eſt, fac, arrogantiæ ſuæ laqueis irretiti pœnas ſcelerum pendant.*

Propter periurium. *Quoniã vocabula Hebræa ſunt ambigua, poteſt hic locus etiã hoc modo verti, & de maledictione & tabe narrẽt, id eſt, vt quidã ex Hebræis explanant, Deus illos*

execre

execretur, & tabe tam dura consumat, vt omnes ea de re tanquàm portentosa loquantur.

Ipsi dispergentur ad manducandū. *Nunc tota ciuitate discurrant, quo me per insidias opprimant, at ijdē isti pro hoc scelere cogētur mortuo Saule discurrere quarēdi victus causa: quo non inuento somnum capiant fame enecti.*

ARGV. PSAL. LX.

Scripsit hunc psalmum Dauid, cùm bellum difficillimum gereret cū Ammonitis, & Idumæis, & Syris inter se fœderatis, quæ quidem historia scripta est in ij. lib. Reg. & in 1. Paralip. Rogat autē Deum: vt populo calamitatibus bellorum vexato opem ferat: deinde confirmatus oraculo victoriam de hostibus sibi pollicetur, & regni stabilitatem.

Victori pro Liliis pulchritudinis. Michtan Dauid ad docendum quando pugnauit aduersus Syriā Mesopotamiæ, & aduersus Syriā Sobal, & reuersus est Ioab, & percussit Edō in valle Salmarū 12. millia. Psal. LX.

DEus repulisti nos, & dissipasti nos: iratus es, conuerte te ad nos.

Commouisti terram, & confregisti eam.

Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino mortifero.

Dedisti metuentibus te signum ad extollendum propter veritatem.

Vt liberentur dilecti tui, saluum fac dextera tua, & exaudi me.

Deus

Deus locutus est in sanctuario suo, exultabo, diuidam Sichem, & conuallem Succoth dimetiar.

Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei.

Iudas legifer meus, Moab olla lotionis meæ.

Super Idumæam proijciam calceamentum meum, super me Philistæa iubila.

Quis deducet me in ciuitatem munitã? quis deducet me vsque in Idumæam?

Nónne tu Deus, qui repulisti nos? & nõ egredieris Deus, cum exercitibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

EXPLANATIO.

Pro Lilijs pulchritudinis. *Alij aliter hæc verba ex Hebræo vertũt, sed oĩa sunt adeò obscura, vt nullã explanationẽ certã afferre possim⁹.*

Commouisti terram. *Hæc translatio significat populum impetu bellorum vexatum esse. Simile est illud poëtæ veteris, Africa terribili tremit horrida terra tumultu.*

Ostendisti populo tuo dura. *Acerbissima spectacula præbuisti populo tuo, & mortifera pocula calamitatum nobis ministrasti.*

Dedisti metuentibus. *At olim (inquit) soli tui*

tus eras dare cultoribus tuis vexillum, quod erigerent in præliis, & felicissimè pugnarēt, idque faciebas propter veritatē, vt scilicet, quæ promiseras illis obseruares. Vtere igitur solita misericordia, & dextera tua saluum populū tuum ab imminentibus periculis incolumem serua. Quod verò dicit, Deum dedisse vexillum populo, id significat, Hebræos olim auspicijs, & ductu Dei bella feliciter administrare consueuisse.

Deus locutus est. *Confirmat animū oraculo, quod acceperat, fore, vt nō modo regno Hebræorum potiretur, sed etiam exteras gentes sub imperiū suum subiugaret: Deus (inquit) omnia secūda mihi pollicitus est, propterea animo lato. & tranquillo eo: nam diuidam Sichē, & metiar conuallem Succoth, id est, in ditione, & potestate meu erūt agri, & oppida quæ assignatæ fuerāt olim familiæ Ephraim, sed quoniam hæc iam possidebat, videtur probandi, qui verterūt hunc locum verbis tempus præteritum significātibus ad hūc modum, Sichem iam diuisi, & metitus sum vallem Succoth.*

Meus est Galaad, & meus est Manasses. *His verbis significat partem illam terræ Iudææ quæ sita est trans fluuium Iordanem.*

Et Ephraim fortitudo capitis mei. *Sic appellat tribū Ephraim propterea quòd illa & potentia, & militū numero præstabat cæteris tribubus.*

Iuda legifer meus. *Etiam legifer Iuda est sub imperio meo. Ad tribum Iudæ pertinebat regnum, & legum gerendarum potestas, propterea eum legiferum appellat imitatus Mosen qui in Genesi inquit, Nō auferetur sceptrum de Iuda, & legifer de medio pedum eius.*

Moab olla lotionis meæ. *Allegoria est, quæ significat, arrogātiam Moabitarū ad id seruitutis, et humilitatis esse perducēdā, vt possint cōparari fictilibus, in quibus pedes lauant: idē quoque significat allegoria quam subiungit.*

Super me Philistæa iubila. *Id est, persequere me faustis acclamationibus, vtpote regē tuū, neque recusa imperium meum.*

Quis deducet. *Quis (inquit) eas vires, & copias mihi suppeditet, quibus expugnare possim vrbem illam munitissimam, quam tanto iam tempore obsessam teneo? Ea vrbs appellabatur Rabbatha.*

Quis deducet me vsque in Idumæam? *Meminit Idumææ, quoniam illa quoque eo bello domita est.*

Nōne tu Deus. *Deduces me vsque in Idumæam? qui tandiu nos auxilio tuo spoliasti. Nonne inquam tu deus eris dux copiarum nostrarum?*

Quia vana salus hominis. *Salus videlicet quæ ab hominibus expectatur.*

In Deo faciemus virtutem, *Id est, freti auxilio*

xilio Dei rempublicam fortiter, ac feliciter administrabimus.

ARGVM. PSAL. LXI.

Implorat auxilium Dei in periculo versans, deinde prædicit, se ac familiam suam imperio Iudæorum potituram, & regnum Christi sempiternum canit.

Victori in Neginoth, Psalmus Dauid LVI.

EXaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.

Ab extremo terræ ad te clamabo, dum anxiatur cor meum: in petram, quæ altior me est, duc me.

Quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationes meas, dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adiicies, annos eius vsque in diē generationis, & generationis.

Sedebit in æternū in conspectu Dei, misericordiam & veritatem præpara, quæ custodiant eum.

Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de die in diem.

EXPLANATIO.

Ab extremo terræ. *Id est, ab extrema Iu-*

dae, vbi exul vitam inopem, & vagam persequor.

In petram quæ altior. *Id est, duc me in aliquem locum tutum, ac munitum, quò ego sponte mea conscendere non possum.*

Inhabitabo in tabernaculo. *Quanquàm videor exilio perpetuo mulctatus, tamẽ te fauẽte in sanctam ciuitatem reuertar, & sanctissimũ templum tuum assiduè veneràbor: hoc autẽ Dauid in primis optabat: hinc illud, Vnũ petij à domino, hoc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ. Quod verò ait, se habitaturum in sæcula, significat se cum sua posteritate in vrbe sancta regnaturũ, sunt tamẽ qui existimant, hãc esse allegoriam, qua significet, Deum sibi perpetuo præsidio, salutique futurum, de quo genere allegoria explicatũ est in Psal. 27.*

Dedicasti hæreditatem. *Sic appellat regnum, quod Deus sibi ac familiæ suæ concesserat: sed etiam hæreditas piorum est sempiterna bonorum cœlestium possessio. Hanc verè hæreditatem adire incipimus tum, cùm Deus spiritũ suum nobis impartitur, à quo feliciss. regimur, et gubernamur, tãtisq; bonis afficimur, vt in hac vitæ fragili, & caduca immortalium vitã, & voluptates purissimas gustare incipiamus.*

Dies super dies. *Hic apertè sempiternam vitam, & imperiũ Christi canit, per quem familia*

lia

lia Dauidis in perpetuũ regnat, neq; aliter hũc versiculũ interpretatur paraphrasis Chaldaea.

Misericordiam, & veritatem para. *Significat regnum Christi esse regnum misericordiæ, & veritatis quibus custodibus nõ solũ tuti, sed etiam beati sumus.*

Vt reddam vota mea. *Id est, hymnos, & gratiarum actionem, quæ quidem vota pij perpetuò reddere debent, quando etiam bona, quorũ hæredes instituti sunt à Deo, perpetua sunt.*

ARGV. PSAL. LXII.

Docet, in solo Deo spem locandam esse, & nihil esse inanius, aut fallacius hominibus.

Victori pro Idithum, Psalmus Dauid. LXII.

VTique ad Deum sile anima mea, ab ipso enim salutare meum.

Vtique ipse est propugnaculũ meũ, & salus mea, ipse arx mea, nõ vacillabo multũ.

Quousque irruitis in hominem? interficiemini vniuersi vos tanquam paries inclinatus, & maceries impulsa.

Vtique propter exaltationem eius inierunt consilium, vt expellant, diligunt mendacium, ore suo benedicunt, & corde suo maledicunt.

Veruntamen Deo sile anima mea, quoniam ab ipso expectatio mea.

Vtique ipse est propugnaculum meum, & salus mea, arx mea, non vacillabo.

In Deo ſalutare meum, & gloria mea, robur fortitudinis meæ, & ſpes mea in Deo eſt.

Sperate in eum omni tempore ò populi, effundite coram illo corda veſtra, Deus ſpes noſtra eſt.

Certè vani filij hominis, mendaces filij viri, in ſtateras ſi aſcendant, ipſi pariter leuiores ſunt vanitate.

Nolite ſperare in iniquitate, & rapina, nolite fieri vanitas: diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.

Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quòd poteſtas Deo eſt, & tibi domine miſericordia, & quòd tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.

EXPLANATIO.

Vtique ad Deum ſilet anima mea. *Tunc animus noſter ad Deum ſilet, cùm rebus aduerſis auxilium eius patienter expectat vacuus ab omni ſolicitudine, & angore, neque ſe lamẽtis, aut querimonijs dedens.*

Non vacillabo multum. *Animus noſter natura vſque eò imbecillis eſt, vt vel leui ictu facilè concutiatur, & cadat: quòd ſi fiducia & ſpe ad miſericordiã Dei adnitatur, vacillat ille quidem ſæpè ob ingenitã infirmitatem, ſed gradu conſtantiæ non dimouetur.*

Tanquàm paries. *His ſimilibus oſtendit, quàm*

quàm facilè sit illos perditurus Deus.

Propter exultationem eius. *Insidiatur mihi coniuratione facta, propterea quòd videt ad magnam nominis celebritatem, & gloriam me à Deo perductum esse,*

Ab ipso expectatio mea. *Ex eo pendet omnis spes salutis meæ.*

Vtique ipse est propugnaculum meum. *Qui hæc dicit ex animo, verè pius est, neq; vim illam diaboli, vel impiorum reformidat: qui nō credit Deū talem sibi esse, is à Deo alienus est, at q; in hominibus spem suam ponat necesse est, id quod execrandum ac detestabile est,*

Sperate in eum. *Hortatur populū, vt exemplum suum secutus omnes spes, & cogitationes suas in misericordia Dei collocet, qui solus ex omnibus seruare, solus omnibus bonis ornare, et cumulare nos potest.*

Effundite coram illo corda vestra. *Id est, omnes curas, & molestias vestras, atque ab eo solo auxilium expectate.*

Certè vani filij hominis *Ostendit, neq; ab hominum potentia metuendum esse, neq; illorū opibus, & gratia nitendum. Appellat autem consuetudine linguæ Hebræa homines ignobiles, & obscuros, filios hominis: contráque viros claros, & nobiles vocat filios viri, & pronunciat tam hos quàm illos futiles, vanos, & mēdaces esse, hac sententia in homines cōuenit, quatenus*

diuini ſpiritus afflatu nondum renouati ſunt.

In ſtateras ſi aſcẽdãt. *Eſt Hyperbole elegãtiſſima, qua exaggerat ſtultitiã: & leuitatem mortalium ſi ponas, inquit, in altera libra lãce inanitatẽ, in altera verò vniuerſum genus humanum, profectò inanitas ipſa præponderabit.*

Nolite ſperare in iniquitate, & rapina. *Monet, cauendum eſſe, ne tanti pecuniam æſtimemus, vt cupiditate cæca illius incitati ſuum alteri detrahamus, atq; alieno incõmodo noſtris cõmodis cõſulamus: ita enim ex filijs Dei filij hominis efficeremur: id eſt, ipſa inanitate inaniores. Eos verò, qui diuitijs alterius ſine miſeria q̃ſitis affluũt, monet, vt illis ne adĕjciãt animũ, ſed ꝑinde affecti ſint, quaſi nihil poſſideãt. tr̃ãſit enim celerrimè imago huius vitæ inanis, & adũbrata, atq; hæc, quæ bonæ fortunæ nomi nãtur ſunt caduca, fluxa, et pro nihilo putãda.*

Semel locutus eſt Deus. *Hoc loquẽdi modo ſignificat id, quod Deus dixit ita firmũ, & ratum eſſe, vt irritum fieri nõ poſſit. In eandẽ ſententiam accipitur illud apud Iobum, Semel loquitur Deus, et ſecundò id ipſum non repetit. Quid verò locutus ille ſit, ſubiungit inquiẽs, ſe duo hæc audiſſe, videlicet Deũ & potentia, & miſericordia longè plurimum excellere, & vnicuiq; gratiam referre pro eo ac quiſque ſe gerit: nam bonis ampliſſima præmia perſoluit, nocentibus ſupplicia debita conſtituit, hoc ad potẽ*

tiam

tiam spectat, illud ad misericordiam: sed sciendum est, interpretes recentiores ita exprimere ex Hebræo, Semel locutus est Deus, atque iterum, hoc audiui, significant autem verba hæc, Deum sæpe locutum esse ore Mosis, & cæterorum, & tum ea, quæ sequuntur.

ARG. PSAL. LXIII.

Declarat desiderium incredibile, quo tenebatur adeundi ad templum Dei, à quo longè aberat propter inimicitias Saulis. Declarat item quantam voluptatem capiat ex contemplatione rerum diuinarum, prædicit etiam, se regno potiturum sublatis inimicis.

Psalmus Dauid, cùm esset in deserto Iuda. LXIII.

DEus, Deus meus, ad te de summo mane vigilo.

Sitiuit te anima mea, desiderauit te caro mea.

In terra deserta, sitibúda, & inaquosa, sic in sancto contemplatus sum te, vt videam fortitudinem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua quàm vita, labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas.

Tanquàm adipe, & pinguedine saturabitur anima mea, cum labiis exultationis laudabit os meum.

Certè memor fui tui super stratũ meũ,

in vigilijs meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te, me sustentauit dextera tua.

Ipsi verò perdere quæsierũt animã meã, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, laudabũtur omnes qui iurant per eum, quia obstruetur os loquentium iniqua.

EXPLANATIO.

Desiderauit te caro mea. *Ex hoc intelligi potest, res incommodæ atque asperæ quàm sint hominibus pijs commodæ, ac salutares: siquidẽ caro quæ suapte natura est spiritui aduersaria & à colẽdo Deo semper deterrere solet, assiduis calamitatibus fracta, & debilitata cum spiritu pacem facit, & vnà cum illo Deũ cupidè quærit, propterea quòd extra ipsum non habet, vbi possit acquiescere.*

Sic in sanctuario. *Id est, quanquàm in hac vasta solitudine vitam ago, tamen quasi in tẽplo tuo forem, & sacrificijs interessem, sic cõtemplor sanctissimum numen tuum, atque oculis animi cerno fortitudinem tuam, & gloriam tuã. Videtur autem arcam fœderis significare: his enim nominibus illa vulgò celebrabatur, quòd Deus ex eo loco oracula ederet, atq; vim, et numen*

numen suum insigniter ostendere soleret. Hinc Asaphius in Psal 78. cùm dicere vellet hanc arcam permissu Dei in potestatem hostium venisse, dicit, illum fortitudinem suam & suam gloriam in manus inimici tradidisse, quin etiam vxor Phineæ sacerdotis hanc calamitatem deflens in libro primo Regum ait, gloriam Domini ab Israële translatã esse ad Palæstinos. licet hæc, quæ diximus, vera sint, tamẽ, cùm vir sanctus ait se perinde, quasi in templo esset, contẽplari gloriam Dei, & vim eius salutarem, hoc intelligit in primis, quãquam longè abest à solenni cœtu piorum pulsus à rege in desertas & incultas solitudines, non tamen eam rem impedire, quo minus suauissima voluptate potiatur, & pietatem suã alat in potentia & misericordia Dei cõtemplanda: qua duæ res in maximis calamitatibus potissimùm elucẽt, dum vir pius vndique premitur, sed non opprimitur: cadens, robustior surgit, in luctu & mœrore, gaudio triumphat: egentissimus est, & omnia possidet: quotidie in media morte versatur, & tamẽ viget, ac floret, quæ cùm geruntur, ille bonitatem Dei, & vim eius prepotentem non cogitatione modò comprehendit, sed etiam (vt ita dicam) manibus attrectat, atque ex ea re admirabilis quædam in animo ipsius exardescit amoris magnitudo aduersus clementissimum numen: vt non malè sentire videantur, qui affirmãt, Deũ

in re

in reb' aduersis amabiliorē existere quā in pr
sperisquodita esse, Dauid quod, in maximi
periculis versans suo testimonio cōprobat, cū su
iūgit, misericordiā Dei vita ipsa optabiliorem
esse, q̄ verba ex aīo dicere nō potest, nisi expert':
experiēdū autē est potissimū ipsa calamitate.

Tanquam adipe. *Significat cōtemplationi*
diuinæ bonitatis esse salutarē, & delicatissimū
pastum animorum.

Rex verò. *De se loquitur, quem Deus regi*
constituerat.

Omnes qui iurant. *Solebāt Hebræi iurari*
per salutē regis. Saule autē incolumi nemo au-
sus fuisset per salutem Dauidis iurare.

ARGV. PSAL. LXIIII.

Inuehitur in aduersarios suos, homines maledicos, & insidiosos, quos prædicit scelerum pœnas persoluturos.

Victori. Psalmus Dauid LXIIII.

EXaudi Deus orationem meam, cùm deprecor, à timore inimici eripe animam meam.

Protege me à consilio malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt vt gladiū linguas suas, tetenderunt sagittam suam verbum amarum: vt sagittēt in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eū, & non timebūt, firmauerunt sibi sermonem nequam.

Narra

Narrauerunt, vt absconderent laqueos: dixerunt, quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates, perfecerunt ea, quæ scrutati sunt.

Etiam intimum cuiusque, & cor profundum: & sagittabit eos Deus.

Sagitta repentina, extabûnt plagę eorum, & impingere se ipsos lingua facient.

Commouebuntur omnes respiciętes eos, & timebit omnis homo.

Et annunciabunt opera Dei, & facta eius intelligent.

Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo, & gloriabuntur omnes recti corde.

EXPLANATIO.

Tetenderunt sagittam. *Comparat eorum verba sagittis.*

Firmauerunt sibi sermonem nequam. *Id est, decreuerunt omnino nefarium facinus facere, de quo inter se consulturunt.*

Scrutati sunt iniquitates. *Id est, vestigant varias nocendi vias, & artes.*

Etiam intimum cuiusque, & cor profundum. *Etiam intimos animorum sensus scrutantur, adeò sunt callidi & malitiosi.*

Et impingere se ipsos. *Id est, perniciem ipsi sibi petulantissima lingua comparabunt.*

Commouebuntur omnes. *Prædicit, Deum noua exempla editurum in suos aduersarios, vt cæteros*

teros omnes à maleficio sit deterriturus.

Et facta eius intelligunt. *Intelligent inquam, hæc non casu, & fortuito euenire, neq; cõsilio, atq; opera hominum geri sed prouidentiã Dei esse, quæ afflictis & violenter oppressis auxilium ferat, atque homines importunos & nefarios perinde vt meretur eorum improbitas, vlciscatur: qui verò hæc sibi persuasit, à pietate alienus esse non potest.*

Lætabitur iustus. *Homines pij hæc, quæ dicta sunt, considerantes, lætitia exultabũt, & ſpẽ suam, quam in Deo repositã habẽt, summopere confirmabunt, & gloriabuntur de tutela ipsius omnes recti corde, id est, quicũque animo puro, & simplici iustitiam, & pietatem colunt.*

ARGV. PSAL. LXV.

Gentem Hebræam, quæ apud Babylonios exulabat, inducit loquentem, & reditum suum ab exilio, tum etiam omnium gentium conuersionem ad verum Dei cultum vaticinãtem.

Victori Psalmus & canticum Dauid. LXV.

TE manet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum.

Qui exaudis orationem, ad te omnis caro veniet.

Verba iniquitatũ præualuerũt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti, & assumpsisti, habitabit in atriis tuis.

Reple

Replebimur bonis domus tuæ, & sancti templi tui mirabilia in iustitia.

Annues nobis Deus saluator noster, spes omnium finium terræ, & maris longinqui.

Stabiliens montes in virtute tua, accinctus potentia, compescens fremitum maris, sonum fluctuum eius,

Et tumultum populorum: & timebunt qui habitant in extremis à signis tuis, egressus matutini, & vesperæ laudantes facies.

Visitasti terram, & irrigasti eam, plurimum locupletasti eam.

Flumen Dei repletũ est aquis: paras frumentum illis, quoniam ita præparas eam.

Sulcos eius inebria, demitte pluuiam in liras eius, imbribus liquefac eam, germini eius benedic.

Coronabis annum benignitate tua, & vestigia tua stillabunt pinguedinem.

Stillabunt in habitacula deserti, & exultatione colles accingentur.

Vestientur gregibus campi, & valles operientur frumento, iubilabunt, atque hymnum dicent.

EXPLANATIO.

Te manet hymnus Deus in Sion. *Nullo enim loco præterquã Hierosolymis fas erat templum ædificare, aut sacrificium facere: sed hic locus ecclesiam Christi significabat, extra quam neque*

neque Deus ritè coli, neque vllum votum reddi poteſt, quod ipſi gratum, acceptúmque ſit.

Qui exaudis. *Quoniam te benigniſſimũ præbes ſupplicibus tuis, cõs mortales relicta ſuperſtitione ad te confugiẽt. Id autẽ perfectum eſt, poſteaquã filius Dei humanũ corpus aſſumpſit.*

Verba iniquitatum præualuerunt ſuper nos. *Magna certè peccata commiſeramus, & ob eã cauſam in has calamitates incidimus, ſed tu pro tua incredibili miſericordia nobis omnia delicta cõdonabis, & populũ tuũ ab exilio reduces in patriã. Verbum apud Hebræos pro re ipſa vſurpari ſæpe iam dictum eſt.*

Beatus quem elegiſti. *O fortunatam gentẽ Hebræam, quam ex omnibus nationibus ſelegiſti, tuúmq; appellari voluiſti. Nos certè domum reuertemur, & in atrijs ſanctiſſimi templi tui maximã vitæ partem conſumemus: ſed in primis beati, quos Deus iam inde ab ipſa æternitate elegit ex innumerabili mortalium multitudine, & ſibi filios adoptauit, ſcilicet illos in cæleſti, & ſempiterna domo Dei talia, & tãta bona manent, vt ea neque aſpectu oculorum comprehẽdi, neque auribus percipi, neque vlla cogitatione queant adumbrari: quin etiam ipſa piorum eccleſia adhuc in terris manens Dei domus eſt: & illa quidem bonis præſtantiſſimis referta, qualis eſt vera, germanaq; iuſtitia, tranquillitas cõſcientiæ, lætitia ſancta, ſpes certæ vi-*

tæ ſem

ta sempiterna, & cætera dona, & fructus spiritus sancti, quorũ sæpe mentionem facit diuus Paulus in suis epistolis.

Mirabilia in iustitia annues nobis. *Significare videtur ea, quæ gesturus erat Deus pro salute, & incolumitate gentis suæ: de quibus rebus gestis etiam meminit in psalmo sequẽti. Sed in primis admirabilia sunt ea, quæ Deus ijs cõcedit, quos suæ iustitiæ participes facit, atq; in domum suam recipit, quæ est ecclesia Christi.*

Stabiliens montes. *Hæ sunt allegoriæ, quibus elegãtissimè describit prouidẽtiam Dei, ex qua pẽdet omnis autoritas, & potestas principũ, & tranquillitas pacis, sed ego facile crediderim, has omnes esse diuinationes ad mysteria Christi pertinentes. Hæc si ita sint montes significabunt Apostolorũ inuictam animi magnitudinem, & constantiam in Euangelio diuulgando, sonitum verò maris, & tumultum populorũ intelligemus esse coniurationem contra ipsos à cunctis nationibus factã, quæ tãdem magnitudine prodigiorũ commotæ, & diuino spiritu afflatæ depositis odijs, religiõi sanctæ adhæserũt. Hæc profectò satis apertè significare videt versiculus sequẽs: cùm enim vir sanctus ait, Egressus matutini, & vesperæ laudantes facies, hoc intelligit, omnes nationes verũ Deum piè, sanctéq; veneraturas, id quod Apostolorum opera, & studio perfectum est, quibus hoc præstãtissi-*

mum munus à Deo assignatum erat, cùm autẽ partes orientis & occidentis dicere vellet, dixit egressus aurorę & vesperę: quòd ex altera parte dies, ex altera nox oriatur.

Visitasti terram. *Prædicat benignitatem Dei, qui res ad victum, & cultum necessarias largè, & prolixè suppeditet mortalib⁹. Sed Origenes, & Eusebius Cæsariensis, hæc omnia de terra Iudæa scripta esse confirmant, quã Deus post reditum Hebræorum ex Babylone vberrimam, maximè q3 fœcundam reddiderit, vt vna cum libertate recuperata omnium rerum copia abundarent.*

Flumen Dei. *Sic appellat Iordanem, vt scribit Origenes, & Eusebius Cæsariensis, quanquam sic vocare potest omnia flumina terræ Iudææ, quæ Deo consecrata erãt.*

Quoniam ita præparas eam. *Id est, quando terram ita irrigas, & fertilem reddis.*

Coronabis annum. *Id est, omni genere frugum illum ornabis, & quacunque incedes, fertilitatem in agros instillabũt pedes tui. Simile est illud Virgilij, Implentur vallés q3 cauæ, saltus q3 profundi, Et quacunque Deus circum caput egit honestum.*

Exultatione colles accingentur. *Id est, gaudebunt omnium fructuũ copia exornati, sed vt cæteras partes huius hymni, ita extremam hãc ego arbitror mysterijs Christi aptissimè cõ-*

ueni

uenire: siquidem terræ fœcũditas, quam Vates sanctissimus tam eleganter, et copiosè describit, significat ubertatem virtutum omniũ, quibus humanum genus abundauit, posteaquàm misericordia parens Vnigenam filium suum è cœlo demisit in terras: illasque imbribus, et salutari flumine sui spiritus irrigauit, optatissimo tẽpore Euangelij, quod tempus etiã Christus apud Esaiam annum diuinæ benignitatis appellat. Tunc animi mortalium, qui steriles, incultiq; squallebant, accepto semine Euangelij reddite sunt uberrimi maximeq; feraces, & pulcherrimos pietatis fructus ediderunt: tũc maxima luporum uis in oues commutata est, seque Iesu Christo custodiendam, & pascendam credidit: tunc omnia plausu, gratulatione, & laudibus Dei personarunt.

ARGV. PSAL. LXVI.

Inducit etiam hoc hymno gentem Hebræam loquentem, & gratulantem, se longa illa seruitute Babylonica liberatam esse.

Victori canticum Psalmi LXVI.

IVbilate Deo omnis terra, psalmum dicite gloriæ nominis eius: date gloriã laudi eius.

Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine? in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi,

psalmum dicat nomini tuo.

Venite, & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui conuertit mare in aridã, in flumine transierunt pede, ibi lætati sumus in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt, rebelles, ne exaltentur in semetipsis.

Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius.

Qui posuit animã nostram ad vitam, & non dedit in commotionem pedes nostros.

Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationem in lumbis nostris, imposuisti homines super capita nostra.

Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam, in holocaustis reddam tibi vota mea, quæ distinxerũt labia mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boues cum hircis.

Venite, audite, & narrabo vobis, omnes qui timetis Deum quãta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamaui, & exultaui, sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

Certè exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus, qui nõ amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.

EXPLANATIO.

In multitudine virtutis. *Hunc versiculũ interpretati sumus in explanatione Psal. 18.*

Venite, & videte. *Hortatur vniuersos mortales ad considerandã mirabilia facinora, quæ Deus effecit pro salute, ac incolumitate gentis Hebræa, altius autem repetunt vsq; à rebus gestis ductu & imperio Mosis. Nimirum harum rerum consideratio diligens, & cum fide cõiuncta incredibile dictu est, quantum animos excitet ad cultum, & venerationem Dei: hic enim effigiem diuinæ benignitatis in pios, et seueritatis in improbos, tãquam in tabula, pulcherrimè expressam, & politam cernimus.*

Rebelles ne exaltentur. *Qui deficiunt à Deo, eiusque imperium repudiãt, ne animos in altum tollant, tanquam id impunè sint lacturi, quamuis ad tempus florere videantur.*

Benedicite gentes meum nostrum. *Hortantur non solùm Hebræos, sed etiã cæteras nationes ad canendas laudes veri Dei, atque illis narrant, beneficia sibi ab ipso tributa, in quo affectum reprimunt animi grati, & pij, qui nihil*

aquè cupit, atque misericordiam & bonitatem Dei Vniuersis mortalibus notissimam esse, vt vnus omnium incolendo, & venerando illo cõsensus existat.

Et non dedit in commotionem. *Id est, nos in maximis periculis, & calamitatibus salvos, et incolumes conseruauit, neque passus est, animos nostros à pietate deficere.*

Igne nos examinasti sicut examinatur argentum. *Exemplo suo docent, quid homines pietatis amãtes de suis calamitatibus sentire debeãt, nẽpe hoc, illa sibi cõsilio, & numine diuino accidere, vt quemadmodum auru, atque argentũ igne purgatur, ita illorum animi puriores fiant rebus aduersis: his enim rebus & amor nostri, rerumq; fragilium, & caducarũ exuritur, & studia pietatis, ac innocentia mirabiliter accenduntur. At impiorũ quos Deus aterna morte mulctare constituit, longè dissimilis est ratio: non enim istorum labes, et vitia excoquit aerumna sed auget potius, et cumulat, illaque crescente simul animorũ crescit impietas: sic vno, eodemque igne lutum durescere videmus, ceramque liquescere.*

Posuisti tribulationem in lumbis nostris. *Catenas significat, vt paraphrasis Chaldaa interpretatur.*

Et exaltaui sub lingua mea. *Id est, ipsum laudibus extuli. Monet autẽ exẽplo suo, lauda*

tio-

tionem benignitatis diuinæ cũ ipsius inuocatiõe coniungendã esse: ea enim res mirandũ in modum fiduciam corroborat, atque animum inuocantis ad sperẽ erigit impetrandi omnia, quæ postulat, atque spes minimè fallit: animꝰ enim sic affectus nullã à Deo accipere repulsam potest, Hæc omnia vno versiculo complexus est Dauid in Psalm. 18 Cùm ait laudans inuocaui Dominum, & ab inimicis meis saluus fui.

Iniquitatem si aspexi. *Quando (inquit) Deum precabar si quod scelus animo conceptũ habuissem, profectò illum non orassem, neque id mirum: vt enim Deum exores, necesse est ipsum confidenter ores: quod efficere non potes, si tibi alicuius sceleris, aut flagitij conscius sis.*

Qui non amouit orationem meam. *Id est qui non repudiauit meas preces, sed misericordiam adhibuit in calamitate mea.*

ARGV. PSAL. LXVII.

Orat Deum, vt Hebræis, & cæteris gentibus salutem, & cognitionem sui impertiatur, idque illum effecturum prædicit.

Victori in Neginoth, Psal. & Canticum.

Psalm. LXVII.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos.

Vt cognoscatur in terra via tua, in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes, quoniam iudicas populos in equitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, cõfiteãtur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Hic hymnus maximè insignis est, propterea quòd magna breuitate maxima mysteria complectitur: itaque mihi visum est faciendum, vt ipsum totum ea interpretandi ratione explanarem, quam Græci paraphrasim vocant.

PARAPHRASIS.

Psalmus LXVII.

DEus misereatur nostri, & benignè faciat nobis, respiciat ille placidis oculis calamitates nostras, et spẽdidissima luce sui Vultus omnium errorum tenebras pellat ex animis. Misericordiæ parens mitte de cælo Vnigenam filiũ tuum, Vt nota fiat omnibus in terris Via, qua ducit ad sempiternã domũ tuam: fac, Vniuersæ gentes cognoscãt, & Venerẽtur Christũ tuum, per quem miseris mortalibus salutem, et beatã Vitam donare promisisti. Immortales tibi gratias agant populi omnes, omnes populi sanctissimo

mo numini tuo perpetuò hymnos canant, lætentur, & gaudio exultent ũniuersæ gentes, quoniam preces miserorum benignus exaudis. Tu Domine populos oẽs tuo salutari ſpiritu amantissimè gubernabis, tu nationes ũagè disiectas, & turbulẽtis erroribus implicitas ad ũeritatis ũiam reuocabis, tu filium tuum mortalibus ad ũitam sempiternam ducem fideliſſimũ dabis. Immortales tibi gratias agãt populi omnes, omnes populi sanctiſſimo numini tuo perpetuos hymnos canãt scilicet tẽpus ũeniet, cùm terra, quæ multa sæcula sterilis, incultaque mãserat, cælestes agricolas habebit, & ſuſcepto semine Euangelij fœcundiſſima fiet, pulcherrimoſq; onium ũirtutum fructus feret. Deus pater benignè faciat nobis filium mittẽs, Deus filius benignè faciat nobis patrem recõcilians, Deus ſpiritus sanctus benignè faciat nobis patrẽ filiũq; demõſtrans. Vtinam & patrem, & filium, & ſpiritum sanctum, ũnum Deum indiuiduè partitum, diuiduéque coniunctum omnes terrarũ fines piè sanctéque ũenerentur, & colant.

ARGV. PSAL. LXVIII.

Videtur hunc pulcherrimum hymnum cecinisse cùm Syras, & Idumæos & Ammonitas bello superasset. inducit autem populum prædicantem verbis magnificentiſsimis potentiam Dei, & benignitatem eius erga se.

Victori, Dauid Psalmus Cantici

LXVIII.

EXurgat Deus, & diſsipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum à facie eius.

Sicut diſpellitur fumus, ita diſpellat eos: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.

Et iuſti lætentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, pſalmum dicite nomini eius, extollite eum ſupremo cœlo incidentem, Iah nomen illi.

Exultate in conſpectu eius patris orphanorum, & iudicis viduarum.

Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit ſolitarios in familia.

Qui educit vinctos in compedibus, rebelles autem habitabunt terram veſtram.

Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto.

Terra mota eſt, etiam cœli diſtillauerũt à facie Dei, ipſe Sinai à facie Dei, Dei Iſraëlis.

Pluuiam voluntariam eleuaſti Deus ſuper hæreditatem tuam, & eam laborãtem recreaſti.

Animalia tua habitabunt in ea, paraſti in bonitate tua pauperi Deus.

Dominus dedit ſermonem laudatricibus exercitus magni.

Reg

Reges exercituum fugerunt, fugerũt, & familia domus diuisit spolia.

Si dormiatis inter ollas, pennę columbę deargentatæ, & alæ eius in pallore auri.

Cùm dispergeret omnipotens reges propter eam, dealbabatur veluti nix in Zalmon mons Dei, mons Basan.

Mons excelsus, mons Basan, vt quid exilitis montes excelsi?

Aduersus montem, in quo beneplacitũ est Deo habitare? etenim Dominus habitabit in æternum.

Currus Dei viginti millia, multa millia Angelorũ, Dominus in eis (sicut in Sina) in sanctuario.

Ascendisti in altũ, cœpisti captiuitatem, accepisti dona hominibus.

Et etiam rebelles, propterea quòd inhabitat Dominus Deus.

Benedictus Dominus quotidie, oneret nos beneficijs suis deus salutarium nostrorum.

Deus noster Deus saluos faciendi, & Dei Domini est exitus mortis.

Vtique Deus confregit capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantis in delictis suis.

Dixit Dominus, ex Basan reducam, reducam de profundis maris.

Vt intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.

Viderunt incessus tuos Deus, incessus Dei mei: regis mei, qui est in sanctuario.

Præcedunt cantores, sequũtur psallẽtes in medio iuuencularum tympanistriarum.

In ecclesiis benedicite Deo Domino de fonte Israël.

Ibi ex Beniamin paruulo dominans eis.

Princeps Iuda in vestibus suis acu pictis, principes Zabulon, & principes Neptalim.

Mandauit Deus tuus fortitudinem tuã, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Propter templum tuum in Hierusalem, tibi offerent reges munera.

Increpa turbam lanceis armatam, congregationem taurorum inter vitulos populorum, vt supplex veniat cum fragmentis argenti.

Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient optimates ex Aegypto, Aethiopia festinabit porrigere manus suas Deo.

Regna terræ cantate Deo, psallite Domino.

Psallite Deo insidenti cælis cælorum ab initio.

Ecce dabit voci tuæ vocem fortitudinis,

date fortitudinem Deo, super Israël magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

Terribilis Deus in sanctuariis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebis suæ, benedictus Deus.

EXPLANATIO.

Exurgat. *Forma huius vocis & earum quæ proximè sequuntur, in versiculis Hebræis tempus futurum indicat, diximus autem alio loco, Dauidem sæpenumero præsentia verbis tempus futurum significantibus exprimere, id quod per ſpicuum esse potest vel ex illo versiculo Psalmi 36. Homines & iumẽta saluabis Domine. Hoc cùm ita sit, mihi maximè probãdi videtur, qui verterunt ex Hebræo ad hunc modum: Exurgit Deus, & dissipãtur inimici eius, & fugiunt, qui oderunt eum, à facie eius, & quæ sequũtur, eodem modo. Hæ sentẽtiæ sic expressæ longè plus põderis, & dignitatis habent. & magis conueniunt cum argumento hymni, quo victoria iam adepta celebratur, tũ ipsius hymni proœmio, in quo locus communis de prouidẽtia Dei copiosè, & splendidè tractatur, vt populus intelligat, quicquid domi militiæq; feliciter administratur, tribuendũ esse misericordiæ diuinæ, itaque horũ versiculorum hæc est sentẽtia, Deum res humanas non negligere, sed piorum impiorũq; habere rationem: atque alteros lætitia, & voluptate, alteros pœnis grauissimis afficere.*

Iah

Iah nomen illi. *Hebræi dicunt hoc nomen Deo impositum esse ad significandū illius vim omnium rerum creatricem.*

Exultate in conspectu. *Prædicauerat potentiam Dei improbos euertentem, nunc prædicat eius benignitatem bonos maximis beneficijs afficientem.*

Deus in loco. *Deus in summo quidem cælo habitat, curat tamen humilia, & res humanas pro infinita bonitate sua administrat.*

Deus qui inhabitare. *Deus (inquit) facit vt qui soli, & sine liberis vitam degebant, habeant domum familia florentem.*

Rebelles autem habitabūt. *Impij, & contemptores Dei tandē pœnas luunt, atque incolunt loca vasta, & sterilia, at pij ducuntur à Deo ex locis desertis ad terras fertiles, & amœnas. Huius rei exemplum præclarissimum ponit vir sanctus, cùm subiungit, Deus cum egrederetis &c. Sed fac impios, & contemptores Dei vel in florentissimis vrbibus, atque in maxima rerum omnium affluentia vitam perducere ad extremam senectutem, tamen hæc sententia verissima est, vt enim vir pius quocunque loco atque tē agat, in cælo est sic impius vbique miser est, & tanquā relegatus in vastam & desertissimam solitudinem, quæ ipsi omnē vitæ huius finem auferat.*

Etiam cœli distillauerunt. *Etiam (inquit)*

cæl

cælũ ipsum imbribus, & tempestatibus præsentiam Dei testatũ est, & ipse mõs Sina tremefactus est. Hæc eadem memorant Delbora, & Barachus in hymno, quem Deo cecinerũt cæsis ad internecionem Chananæorũ copijs. Domine (inquiũt) cũ exires de Seir, & trãsires per regiones Edon, terra mota est, cæliq; ac nubes distillauerũt aquis, Montes fluxerũt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Israël.

Pluuiam voluntariam. *Sic appellat pluuiam tempestiuam, & qualem homines optarent, sed possumus etiã* Vertere ex Hebræo, pluuiã copiosam. Hæreditatem verò Dei vocat, vel terrã ipsam Iudæam, vel potius gentem ipsam Hebræam quam Deus tanquam agrum hæreditarium excolendum susceperat, & cũ sterilis esset, & omnium bonorum egens, salutaribus, & fæcũdis imbribus misericordiæ suæ irrigauit, & fertilem, & bonis omnibus abundantem reddidit.

Animalia tua. *Sic appellat homines pios, et veri Dei cultores.*

Dominus dedit sermonem. *Huc vsq; pertinet proœmium hymni, nunc celebrat populus victoriã Dauidis, Deus, inquit, suppeditauit materiam carminis mulieribus, quæ solent victorias ducum choris, & cantibus celebrare. Huius consuetudinis mentio fit in libris Regum, in quibus scriptum est, mulieres Saulì redeunti è*

bello

bello obuiam processisse cantantes, Saul accidit mille, Dauid decem millia.

Si dormiatis inter ollas. *Sæpe iam diximus, linguam Hebræam admodum concisam esse, & orationibus imperfectis abũdare: cuius modi est versiculus iste, qui hunc sententiam continet: si tã atri, & sordidi sitis, quã ij, qui iacẽt inter ollas fuliginosas polliceor tamẽ, vos in posterum fore tam nitidos, & candidos, vt alis columbæ argenteis, & instar auri fulgentibus vos cõparare possitis, id est sic habetote, vos deposito luctu, & mærore omni posthac lætos, et fortunatos fore, vt enim color ater luctum, & calamitatem: sic albus lætitiam, & res secũdas significat.*

Cùm contereret omnipotens. *Hæc est altera allegoria similis superiori. Cũ, inquit, deus copias Regũ aduersariorum caderet, ac profligaret, hæreditas ipsius quæ antea nigra, & mœroris plena erat, candida tanquam nix effecta est, & dolorẽ cantu & lætitia commutauit. Sic explanat hunc locum Abrahamus Esdra. Est autem Zalmon Iudææ mons, quem aiunt ferè perpetuis niuibus albere.*

Mons Dei, mons Basan. *Laudat vrbem Hierosolyma, quam appellat montem Basanẽ, id est, fertilem, & pinguem, nã Basan regio est vberrima.*

Vt quid exilitis. *Quid inquit, ô reges bellæ*

infer

infertis ciuitati, quam Deus chariſſimam habet, & ſua præſentia tuetur?

Currus Dei. *Nõ deſunt nobis currus cæleſtes, nõ deſunt acies ipſorum cælitũ, inter quas incedit Deus præſentiam ſuã nobis exhibens, & eã olim in mõte Sina exhibuit. & in ſacrario ſuo ſancto etiam nunc exhibere ſolet.*

Aſcendiſti in altum. *Populus his verbis appellat Dauidem, qui hoſtium mœnia expugnauerat, & rebelles natiões bello domuerat, & ab ijs præſtantiſſima dona acceperat. Hæc autem victoria illi contigit, propterea quòd Deus cuſtos eſt Hebræorũ, & in eorum ciuitate domicilium habet. Sed hæc Dauidis victoria Chriſti victoriam ſignificabat qui de peccato, & morte, & diabolo triumphauit ac rebelles nationes imperio ſuo ſubiecit, propterea diuus Paulus in epiſtola ad Epheſios ſcripta, hunc verſiculum ad ipſum refert.*

Et Dei domini eſt exitus mortis. *Id eſt, Deus eſt, qui miſericordia ſua facit, vt homines exeant è ianua mortis, & grauiſſimis periculis liberentur.*

Verticem capilli. *Id eſt, confregit caput capillatum eius, qui perſeuerabat in peccatis: videtur autem deſignare ducem hoſtiũ vel vſus eſt numero ſingulari pro numero multitudinis.*

Dixit dominus ex Baſan. *Cùm ad bellum proficiſceremur, promiſit Dominus, nos tali vi-*

ctoria potituros, qualem olim reportauimus ex Basane, ubi regē, cui nomē erat Og, cum tota gē te deleuimus: qualem item adepti fuimus, cùm mare rubrum pedibus trāsmitteremus, depresso Pharaone cū innumerabili exercitu sic deniqūe dixit dominus, cædam et trucidabo hostes tuos ò gens mea, ut pedes lanes sanguine illorū, & ca nes tui eodem ipso cruore saturentur.

Viderunt inceſſus tuos Deus. *Senserunt hostes uim, & potentiam tuam, ac penè oculis uiderunt te pro nobis propugnantem, & suas ui res, opesq; frangentem.*

Præcedunt cantores. *Deſcribit pompam, & triumphum populi uictoris.*

In eccleſiis benedicite. *Hæc sunt uerba cā torum, quibus hortantur populū ad hymnos ca nendos. In cœtu, & cōuentu, inquiūt, sancto di cite hymnos Deo uos, qui prognati estis ex Ia cob: & ex semine eius tāquàm è fonte manatis. Hac eadē orationis exornatione usus est Esaias, cùm ait, Audite domus Iacob, qui uocamini no mine Israël, & de aquis Iudæ existis.*

Ex Beniamin. *Recenset principes tribuum, qui interfuerunt triūpho. Aderāt, inquit ex tri bu Beniamin ij qui præsunt et familiæ: appellat autem eam tribū parvulā ob paucitatem homi num quippe quæ penè funditus deleta fuerat ob scelus Gabaonitarum.*

In veſtibus ſuis acu pictis. *Diuus Hieronymus*

mus vertit, in purpura sua, sed eadem est sentẽtia. Nonulli ex recentioribus vertunt hoc modo, principes Iuda lapis eorum, id est vis & robur.

Mãdauit Deus tu°. *Deus inquiũt, ô Israël, suppeditauit tibi robur, quo hostes superasti.*

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis propter templum tuum in Hierusalem. *Sic etiam vertit ex Hebræo hunc locum Symmachus, perge inquiunt, nos tueri, & tuis præstãtissimis beneficiis ornare propter sanctissimum templum tuum, quod est Hierosolymis: hinc enim religio, & purissimus cultus numinis tui propagabitur, & reges externi magnificentissima dona tibi afferent.*

Congregationem taurorũ inter vitulos populorum. *Tauros appellare videtur eos, qui opibus, & potentia excellebant inter hostium principes, & duces, quos vitulos populorum vocat. De hac rationis exornatione dictum est in explanatione Psalmi. 22.*

Veniẽt legati. *Prædicit, omnes nationes cultum, & cognitionem veri Dei esse accepturas.*

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. *Alij existimãt hanc sententiam generalẽ esse, vt sensus sit, Deũ tribuere verbis suis vim & põdus, vt voci eius illicò omnia obediant. Hoc si ita sit, positum est hoc loco, vt etiam multis alijs, verbũ futuri temporis pro verbo temporis instantis,*

Alij hãc vocem interpretantur esse vocẽ euangelij, quam vaticinatur summã vim habituram ad mouendos animos mortalium. Hæc sentẽtia satis aptè huic loco conuenire videtur, in quo vates sanctus prædicit omnes nationes relictis falsis Dijs, religioni sanctæ adhæsuras, hoc autem vi euangelij perfectũ esse, nemo est qui nesciat: quam vim nisi Deus illi tribuisset, inanis sine dubio fuisset omnis Apostolorum labor.

Date fortitudinem Deo. *Id est, agnoscite, & prædicate, omnem vim, robur, atque efficacitatẽ ita Dei propriam esse, vt omnia, quæcunq; in vniuersa rerum natura vigent, ac pollent, illicò in nihilum interitura sint, nisi continenter illis ex augustissimo ipsius numine, tanquã ex perenni vberrimóque fonte omnis existẽdi, permanendi ac ãfficiendi vis munificè, prolixè, largè suppeditetur.*

Super Israël magnificentia eius. *Id est, in gente Hebræa elucet in primis gloria, & maiestas ipsius, eiusq; potentia terræ, cæloq; viget, ac omnia moderatur.*

ARGV. PSAL. LXIX.

Inducit loquentes homines sanctos, qui vastatis, & direptis Hierosolymis in seruitutem à Babyloniis abducti fuerant, & in magnis calamitatibus versabantur, sed nonnulla inseruntur, quæ ad anagogen relata pertinent ad Dominum nostrum Iesum Christum.

Victori pro Lilijs, Dauid Psalmus. LXIX.

Sal

SAluum me fac Deus, quoniam intraue runt aquæ vsque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi, & non est subsistentia.

Veni in profunda aquarũ, & tempestas demersit me.

Laboraui clamans, raucæ factæ sunt voces meæ, defecerunt oculi mei expectantes Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

Inualuerunt, qui persequũtur me inimici mei iniustè, quæ non rapui, tunc exoluebã.

Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.

Ne erubescant in me qui expectãt te domine, domine exercituum.

Ne confundantur in me, qui quærunt te Deus Israël.

Quoniã propter te sustinui opprobriũ, operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrãtium tibi cecide runt super me.

Et fleui, in ieiunio afflixi animã meam, & factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum saccum, &

factus sum illis in parabolam.

Aduersum me loquebantur, qui sedebãt in porta: & in me psallebant, qui bibebant vinum.

Ego verò orationem meam ad te domine, tempus beneplaciti *D*eus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque claudat super me puteus os suum.

Exaudi me domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundũ multitudinẽ miserationum tuarum respice in me.

Et ne auertas faciem tuam à seruo tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Appropinqua animæ meæ, & libera eã, propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meũ, & confusionem meam, & ignominiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me, improperium contriuit cor meum & mœrore confectus sum.

Et expectaui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.

Et

Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Fiat mensa eorũ coram ipsis in laqueũ, & in retributionem, & in scandalum.

Obscurentur oculi eorum, ne videãt, & dorsum eorum semper incurua.

Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio corũ deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & de dolore vulneratorum tuorũ locuti sunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam.

Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.

Ego sum pauper, & dolẽs, salus tua Deus protegat me.

Laudabo nomen Dei cũ cantico, & magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super bouem, & vitulũ cornua producentem & vngulas.

Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum, & viuet anima vestra.

Quoniã exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli, & terra, mare, & omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus saluum faciet Sion, & ædificabit ciuitates Iudæ.

Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam.

Et semen seruorum eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

EXPLANATIO.

Saluum me fac Deus. *Explanatores Latini Iesum Christū Graci gentē Hebraam in his versibus loqui existimāt, neque tamē hæc opinio Græcorum impedit, quo minus aliqua sentētia ad ipsum Christum cōmodissimè referātur: nā & illud Osea, Ex Aegypto vocaui filium meū, de gētis Hebræa liberatione dictū est, quod tamē diuus Matthæus ad Christū verissimè trāsfert, & ius ea interpretādi ratione quā Theologi Graci ἀναγωγὴν vocant, cùm scilicet apertum orationis argumētū ad sentētias interiores sanctioresq; traducitur. Hæc hominibus pijs nequa quā absurda videri solēt, quippe qui didicerint ex diuo Paulo, omnia, quæ Hebræis accidebant, rerū futurarū vmbras, & imagines extitisse, corpus autē esse Christi, cùm mysteria sub taliū imaginū integumētis occultata sunt, & ab ipsorum aspectu oculi profana multitudinis arcerētur: itaque illa hanc reconditā interpretādi ratione rem planè cōmentitiam, & maximè ridiculam putat, nos verò vnà cum Christo gratias*

tias agimus Deo, qui homines arrogantes, atq; inani opinione sapientiæ inflatos, de suis mysterijs in quibus vera sapientia sita est, celatos esse voluerit, eaque cum hominibus idiotis, & maximè contemptis liberalissimè communicarit.

Intrauerunt aquæ. *Sæpe iã diximus aquas in literis sanctis aliquãdo significare pericula, & calamitates.*

Non est subsistentia. *Id est, non possum pedibus consistere: de hac allegoria dictum est in explanatione Psalmi 40.*

Defecerunt oculi mei. *Iam (inquit) oculi mei nimia lassitudine defecerũt, dũ assiduè cælum suspiciũt expectantes, vt Deus meus opem mihi ferat. Itaque proponitur nobis præclarum veræ pietatis exemplum, quæ neq; spem abijcit, neque ab orandi studio deterretur licet aures Dei à precibus abhorrere videantur.*

Quæ non rapui, tunc exoluebam. *Id est, eorum maleficiorum pœnas dabam quæ nõ admiseram. Hoc nemo mortalium tunc verè de se ipso affirmare potuit, quàm Iesus Christus, qui, cùm ab omni macula peccati purissimus esset, tanquàm insignis aliquis latro in crucem sublatus est, atque omnium delictorum, & scelerum, quæ humanum genus commiserat, acerbissimas pœnas ipse persoluit.*

Deus tu scis. *Accusant me stultitiæ, & improbitatis, at tu nosti domine, num quicquam*

aut stultè, aut improbè admiserim.

Ne erubescant. *Ne quæsò domine permitte, vt qui cõfidunt præsidio tuo, cadant animis, dũ cernũt, me cau, a nominis tui tanta mala perpeti, nec proficere quicquam auxilium tuum implorando.*

Extraneus factus sum. *Multi enim ex captiuis abducti reliquerant domi parẽtes, & fratres, & ab ijs diu abfuerãt: vel significat etiã, suos fratres germanos animo abalienato esse, qui omni genere officij calamitatem, & mærorem fratris leuare debuerant.*

Et opprobria exprobrantiũ tibi ceciderunt super me. *Id est, non minus, imò verò magis tãgũt me probra, quibus te insectãtur quã si mihi maledicerẽt, quippe cùm & pietate violent, & certam sibi perniciem ea re comparent. Hunc totum versiculum Apostoli meritissimè sub persona Christi prolatum esse indicarũt: nemo enim alius vnquã tanto studio defendẽdæ, ac propagandæ religionis inflammatus fuit, nemo æquè mortaliũ peccata miseratus est, nemo denique præter ipsum illa omnia tanquàm sua & agnouit, & proprio sanguine luit.*

Aduersum me loquebantur. *Id est, maledicebãt mihi in locis publicis & celebribus, cuiusmodi erant apud veteres vrbiũ portæ, ad quas conueniebant ciues & iudicia agitabantur, vt alio loco dictum fuit.*

Et

Et in me psallebant, qui bibebant vinũ. *Id est, in suis compotationibus carmina in meũ à decies facta canebant simile est illud Hieremiæ, Factus sum in derisum omni populo, canti cum eorum tota die.*

Ego verò orationem meam. *Id est, cùm illi tam acerbè me vexarẽt, ego auxilium tuum assiduis precibus implorabã. Hoc est vnicũ perfugium, & portus homini pio rerũ aduersarum tempestate iactato.*

Tempus beneplaciti Deus. *Clarius vertit Symmachus hoc modo, tempus reconciliationis Deus, satis (inquiunt) pœnarum dedimus, iam tempus est, vt nos in gratiam recipias, & tantis calamitatibus liberes.*

Et dederunt in escam meã fel, & in siti mea potauerunt me aceto. *Querũtur homines sancti, se cùm egerẽt consolatione, nõ modò nõ recreatos: & leuatos mœrore, sed etiam magis exagitatos fuisse: vt si quis fame, sitiq; laborãti fel, acetúmque præberet: sed Dominus noster Iesus Christus nõ solùm cõtumelijs, & maledictis iactatus est, cùm afflicto et mœrẽti cõsolatio adhibenda foret, sed etiam, cùm suspẽsus in patibulo sitiret, acetum pro vino gustare coactus est, itaque huius versiculi verba ipsi conueniunt in primis.*

Fiat mensa eorum. *Id est, vnde lætitiam, & iucunditatem sibi quærũt, ibi laqueũ mor-*

tis inueniãt: & qualem mẽsam mihi obtulerũt, talem habeant ipsi, sed hæc cùm dicantur contra impios, atq; hostes Dei piorumq; omniũ, in primis conuentunt in aduersarios Christi, quibus mensa diuinorũ voluminũ, & salutaria quæq; se vertunt in pestiferum venenum perinde vt eorum meretur impietas. Itaque diuus Paulus de Iudæorum miseria, & excæcatione scribens, hos versiculos in ea re testes citat.

Obscurentur oculi eorum. *Oculos mentis significat, dorsi autem incuruatio significat seruitutis onus.*

Quoniam quem tu percussisti. *Id est, quã gentem tu pro peccatis suis afflixisti, eam gentem isti crudeliter persecuti sunt, & calamitatem calamitati addiderunt.*

Et de dolore vulneratorum. *Id est, consultarunt de ijs affligendis quos tu vulneraueras, vel intelligit impios de calamitatibus piorũ inter se narrare solitos.*

Laudabo nomen Dei. *Nunc prædicit, Hebræos seruitute Chaldæorum liberatum iri.*

Et ædificabit ciuitates Iudæ. *Quas hostes euerterant, sed hæc omnia in primis vera euasserunt, cùm Deus Christo ab inferis excitato mortaliũ animos miserrima seruitute oppressos per Euangelium redimeret, atq; omnium terrarũ orbis concilia, cœtúsque hominum arctissimo religionis vinculo sociaret, qui cœtus aptissimè ciuitates*

tates Iudæ, id est laudationis, & cõfessionis nominantur, quando veri Christiani soli ex omnibus hominibus Deum verè laudant, & confitẽtur, id est, piè, sanctéq; venerantur, & colunt. Cur autem cœlũ, & terra, & mare, & reliqua mundi partes lætari debeant, & Deũ laudibus extollere Christo regnum ineunte, & humanũ genus in libertatem vendicante, infra Deo fauente explicabimus.

ARGV. PSAL. LXX.

In maximo periculo versans implorat auxilium Dei aduersus inimicos.

Victori Dauid ad recordandum,

Psalmus. LXX.

DEus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.

Confundantur, & ignominia afficiantur, qui quærunt animam meam.

Conuertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

Conuertantur propter confusionẽ suã, qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus, & pauper sum: Deus festina ad me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris.

Expla

EXPLANATIO.

Conuertantur propter confusionem, *Id est qui mihi insultant dicentes, Euge, Euge, conuertantur in fugam, & hæc sit merces ignominiæ, qua conantur innocentes afficere.*

ARGVM. PSAL. LXXI.

Etiam hoc pulcherrimo hymno implorat auxilium Dei, & eius erga se misericordiam prædicat.

Psalmus. LXXI.

IN te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me.

Inclina ad me aurem tuam, & salua me.

Esto mihi in petram fortitudinis, ad quã confugiam iugiter, mandasti, vt saluum me faceres.

Quoniam petra mea, & arx mea es tu.

Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & violenti.

Quoniam tu es expectatio mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea.

A te sustentatus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu eduxisti me.

De te laus mea semper: tanquàm prodigium factus sum multis, & tu fiducia mea fortis.

Repleatur os meum laude tua, tota die gloria tua.

Ne pro

Ne proiicias me in tempore senectutis, cũ defecerit virtus mea, ne derelinquas me:

Quia locuti sunt inimici mei de me, & qui obseruant animam meam, consilium fecerunt simul.

Dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.

Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum festina.

Confundantur & deficiant aduersantes animæ meæ, operiantur cõfusione, & ignominia, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo, & adiiciam super omnem laudem tuam.

Os meum annunciabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum.

Quoniam non cognoui numerum, ingrediar in potẽtia Domini, *D*omine recordabor iustitiæ tuæ solius.

*D*eus docuisti me à iuuentute mea, & vsque nunc pronunciabo mirabilia tua.

Et vsque in senectam, & canos, *D*eus ne derelinquas me.

*D*onec annunciem brachium tuum generationi præsenti, & omni quæ ventura est,

Potẽtiam tuam: & iustitiam tuam *D*eus, vsque ad altissima, quæ fecisti, magnalia: *D*eus quis similis tibi?

Quẽ

Qui ostendisti mihi tribulationes multas, & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum adduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam meam, & conuersus consolatus es me.

Et ego celebrabo te in vasis psalmi, veritatem tuam Deus meus, psallam tibi in cithara ô sancte Israel.

Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi, & anima mea quam redemisti.

Sed & lingua mea tota die loquetur iustitiam tuam, cùm confusi, & pudore affecti fuerint, qui quærunt mala mihi.

EXPLANATIO.

Ne confundar. *Id est, ne quaso permitte, vt ea spes vnquam fallat me, sed pro iustitia & bonitate tua libera me.*

Esto mihi in petram. *Esto mihi loco arcis munitissimæ, adquã pateat mihi semper aditus: tibi certè semper cura fuit salus mea.*

Tanquam prodigium. *Ego quidem ob assiduas calamitates factus sum veluti portentum hominibus, meq; omnes à te derelictum putant: at ego omnem meam spem in te locatam habeo.*

Repleatur os meum. *Libera me tandem his periculis & calamitatibus, vt possim lato, & tranquillo animo tuas laudes celebrare.*

Ne proiicias me. *Ne spolia præsidio tuo senectutem meã imbecillam, qui mihi ab ipsa infantia*

fantia semper affuisti.

Qui obseruant animam meam. *Id est, qui vitæ meæ insidiantur.*

Ego autem semper sperabo. *Iactant quidē aduersarij mei, me tuo pœnitus auxilio destitutum esse, sed nunquam animum meū deterrere poterūt, quo minus confidat infinitæ misericordiæ tuæ.*

Et adijciam super omnem. *Id est, nūquam intermittam cumulare laudibus laudes tuas.*

Quoniam non cognoui numerum. *Sic etiam vertit Symmachus, vt refert Theodoretus, est igitur sensus: Quotidie prædicabo iustitiam, & misericordiam tuā: & beneficia, quæ à te maxima accepi, nunquam intermittā commemorare: tot enim ac tanta sunt, vt eorum numerum ignorem.*

Ingrediar in potentia Domini. *Quanquā innumerabilia sunt ea beneficia quæ Deus in me cōtulit, neque mortalis aliquis pocest pro dignitate prædicare iustitiam & bonitatē eius, tamen ego fretus auxilio ipsius suscipiā hoc negotium celebrandi sanctissimum numen, & cæteris omnibus rebus omissis memor ero Domine, tantum iustitiæ tuæ.*

Donec annunciem brachium tuum. *Id est, robur ac potentiam tuam.*

Deus vsq; ad altissima. *Id est ô Deus, præclara facinora, quæ effecisti, ad cœlū vsq; per-*

tinet, id est maxima sunt, & maximè admirabilia. Non ignoramus interpretes recentiores aliter hūc locum ex Hebræo conuertisse, sed nos secuti sumus Symmachum, & Aquilam, qui verba huius versiculi ita interpretati sunt, & distinxerunt, vt nos emendauimus.

Qui ostendisti mihi. *Id est, qui me multis, & illis quidē magnis calamitatibus affecisti, & cōuersus ad clementiam perditum & penè extinctum in lucem reuocasti, & ab infimo loco ad altissimum dignitatum gradum perduxisti. Simile est illud Anna, Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit. Harū rerū altera nota fit nobis inanitas nostra: altera benignitas Dei: ex illa notitia nobis diffidere, ex hac Deo confidere discimus.*

ARGVM. PSAL. LXXII.

Describit magnitudinem, iustitiam, & felicitatem regni Salomonis, sed multa inserit, quæ soli Christo conueniunt. cuius imperij imago quædam fuit imperium regis istius.

Salomonis Psal. LXXII.

DEus iudicia tua regi da, & iustitiam. tuam filio regis.

Vt iudicet populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.

Ferant montes pacem populo, & colles iustitiam.

Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet

ciet filios pauperũ, & cõteret calũniatorẽ.

Timebunt te cum sole, & coram luna in generatione, & generationem.

Descendet sicut pluuia in detonsum pratum, & sicut imbres stillãtes super terram.

Florebit in diebus eius iustus, & abundantia pacis, donec auferatur luna.

Et dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ.

Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent.

Reges Tharsis, & insulæ munera offerẽt, reges Arabum & Sabba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei.

Qui liberabit pauperem clamantem, & pauperem cui non erat adiutor.

Miserebitur pauperis & inopis, & animas pauperum saluas faciet.

Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum, & pretiosus erit sanguis eorum coram illo.

Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & orabunt pro ipso semper, tota die benedicent ei.

Erit pugillus frumenti in terra, in summis montium tam frugifer, vt cõcutiatur velut Libanus fructus eius, & florebunt de ciuitate sicut herba terræ.

Extabit nomen eius in sæcula, coram sole propagabitur nomen eius.

Et benedicentur in ipso omnes gentes, & magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen gloriæ eius in æternum, & replebitur gloria eius omnis terra: fiat, fiat.

Finiunt orationes Dauidis filij Iesse.

EXPLANATIO.

Deus iudicia tua. *Id est Spiritum tuum illi impartire vt omnia rectè atq; ordine gerat: et iustè ac sapienter regnum administret. His præstantissimis donis, quæ populus optat Salomoni, Deus affecit in primis filiũ suum qui natus est in familia Dauidis: (nã vt scriptũ est in Euãgelio Ioannis) & omnem iudicandi potestatem dedit illi, vt omnes honorẽt filium, sicut honorãt patrem: & omnem suam iustitiam ita cum eodem communicauit, vt nemo ex iniusto fieri possit iustus, nisi per Christum.*

Ferant montes. *Id est, quemadmodum in magna fertilitate etiã montes, & colles solent frugibus abũdare, ita omnia plena sint pacis, et iustitiæ. Quòd si allegorias amplectamur, montes, & colles significabunt reges, & principes.*

Iudicabit pauperes. *Id est, afflictos, & calamitosos subleuabit, ac tuebitur, neque permittet,*

tet, illos calumnijs iniustorum hominũ circumueniri. Hæc cùm scriberet Vates sanctus non tã Salomonem: quàm Iesum Christum oculis animi cernebat, qui extitit Vindex, & parens nostræ libertatis: & calumniatorem, id est, Diabolum contudit, euertitque.

Timebunt te. *Id est mortales tantis beneficijs à te affecti ò rex, tandiu numen tuũ Venerabuntur, & colent: quandiu sol, & luna luce sua cuncta lustrabunt. Hoc Salomoni conuenire non potest: sed ei, quem ille significat, cõuenit, id est Christo.*

Descendet sicut pluuia. *Id est similis erit pluuiæ rorantis, & terrã sitientem irrigantis, Vnde manat agrorum fertilitas, & latitia omnium mortalium.*

Florebit in diebus eius. *Hæc quoq; adumbrata fuerunt in regno Salomonis, expressa verò & perfecta sunt in regno Christi, quam ob causam ipsum litera sancta iustitiam, & pacẽ mortalium nominare solent: nam quòd Vates ait, pacem, quæ florebit temporibus huius regis, tandiu duraturam, dum luna permãserit, quis non perspiciat hoc ad regnum Salomonis accommodari nullo modo posse?*

Et dominabitur. *Salomonis imperium pertinebat à mari rubro Vsque ad mare Palæstinæ & fluuium Euphratem, & Vltimos fines eius terræ, quam Deus promiserat Hebræis: in*

quo imperium Christi adũbrabatur, cui pater subiecit orbem terrarum ab Oceano Orienti, vsque ad Oceanum Occidentis.

Et inimici eius terram lingent. *Id est, terram osculabuntur ad testificãdam seruitutem: nam hodie quoque solent Asiatici: cùm ad regẽ suum adeunt, terram coram eo osculari.*

Reges Arabum. *Hæc quidem contigisse Salomoni, narrat scriptor historiæ sacræ in libro tertio Regum, & hunc regem dicit cunctis regibus auctoritate, ac sapientia plurimũ præstitisse, vt nõ immeritò asseuerent Theologi, ipsum in sua persona Christum adumbrauisse: de quo Esaias eadem fere prædicit, quæ continentur hoc Dauidis versiculo.*

Et adorabunt eum omnes gentes. *Hoc ita propriè conuenit Christo, vt neque Salomoni, neq; alij cuiquam vllo ratione congruere possit.*

Quia liberabit pauperem. *Iure (inquit) ac merito omnes reges, et populi omnes sese Christo in seruitutem piè sanctèq; dicabunt, quãdo ille ereptur⁹ est ipsos de manibus diaboli, qui miseros omni ope destitutos crudelissimè vexabat, & omnibus iniurijs, & contumelijs afficiebat.*

Et vsuris, & iniquitate. *Alij vertunt ex Hebræo ex fraude, & violentia.*

Et pretiosus erit sanguis eorũ corã illo. *Id est, magno vitã illorũ æstimabit, neq; impunè ferret, quisquis eorũ sanguine sese cruẽtarit.*

Et

Et viuet. *Et hæc in Salomone adũbrata fuerunt, at in Christo politissimè perfecta, qui ppe qui vitam viuit beatissimam, & sempiternam, eiq; mortales non aurum modo sed etiã seipsos donat, assiduè precantes, vt regnum illius quotidie magis, magisque dilatetur, neq; vnquam intermittunt gratias agere, quòd ipsos non solùm à morte sempiterna liberarit, sed etiam omnium bonorum suorum participes fecerit.*

Erit pugillus frumenti. *Hyperbole est, qua exaggerat fertilitatem agrorum: dicit enim, ex paucis frumenti granis etiam in mõtibus tantas segetes, tamq; proceras esse prouẽturas, vt agitante vento talem sonitũ edant, qualem arbores Libani edere solent. Quin etiam dicit incredibilem ciuium prouentum fore: quod quidẽ euenisse sub imperio Salomonis, scriptum est in lib. 3 Reg. Iudæ, inquit, et Israël plurimi: velut arena maris erant edentes, & bibẽtes, et lætãtes. Regnãte autem Christo incredibilis extitit prouentus hominum piorum, & bonorum cœlestium, quibus modis alũtur animi ad æternitatem, & crescunt incremento Dei.*

Et benedicentur in ipso omnes gentes. *Hoc idem multis antè seculis Deus promiserat Abrahamo totidem penè verbis, inquiẽs, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. quæ verba significãt omnes nationes per Christum Deo reconciliandas esse, & salutem bea-*

eam vitam consecuturos omnibus terrarum oris omnes qui se ac sua omnia ipsius potestati fideq; commiserint.

Benedictus Dominus. *Nulla alia clausula poterat aptius conuenire huic hymno, in quo vates sanctus prædicit, Deum rem facturum tã admirabilem, tamq; inopinatam, vt ab vltima origine mundi nihil vnquam ad aures mortalium tam incredibile peruenerit.*

Et replebitur gloria eius omnis terra. *Cùm scilicet à Christo omnes nationes ad cultum veri Dei perducentur.*

Finiunt orationes Dauid. *Alij aliter hæc verba interpretantur, ego quanquã non omnino improbare eos audeo, qui putant significari, in hoc hymno summam cõtineri earum rerum, quas Dauid omnibus votis expectebat: tamẽ libẽtius crediderim hoc adscriptũ esse propter aliquot psalmos, qui deinceps sequuntur: eos enim esse Asaphi, nõ Dauidis, ipsæ inscriptiones indicãt. Asaphum verò psalmos cõposuisse, testis est historia sacra: in secundo enim lib. Paralip. scriptum est, Ezechiam regem Leuitis mandasse, vt laudarent Deum hymnis Dauidis, & Asaphi videntis, videntes autẽ appellabãt Hebræi eos, qui afflati spiritu diuino futura præuidebant.*

ARGV. PSAL. LXXIII.

Scriptum est hoc carmen ad eos consolãdos, qui angi solent, cum vident improbos opibus, & potẽtia florere,

florere, bonos autem egestate, & variis incommodis premi, videtur autē inuehi in Saulē, & eius assecłas.

Canticum Asaph. Psal. LXXIII.

VTique bonus est Deus Israël, iis qui sunt mundo corde.

Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei.

Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.

Quia non sunt ligamina in morte eorum, & viuidum est robor eorum.

In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo tenuit eos superbia, induti sunt iniquitate, & impietate sua.

Egrediuntur præ pinguedine oculi eorum, transierunt cogitationes cordis.

Dissoluerunt, locuti sunt de nequitia, contra excelsum locuti sunt.

Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum peruagatur terram.

Ideo conuertetur populus eius huc, aquæ calicis pleni sugentur eis.

Et dixerunt, quomodo scit Deus? & an est scientia in excelso?

Ecce isti impij sunt, & felices in sæculo obtinuerunt diuitias.

Ego frustra mundaui cor meum, & laui in innocentia manus meas.

Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.

Si dixi, narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.

Et cogitaui, vt intelligerem hæc, sed labor est coram me.

Donec intrem in sanctuaria Dei, & intelligam nouissima eorum.

Certè in lubrico posuisti eos, deiecisti eos in desolationem.

Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, consumpti sunt ab horroribus.

Velut somnium expergefacti. Domine in ciuitate imaginem ipsorum contempti bilem reddes.

Quoniam acescebat cor meum, & renes mei pungebantur, & insipiens eram, & non intelligebam.

Vt iumentũ factus sum apud te, & ego semper tecum.

Tenuisti manum dexteram meam, & in consilio tuo deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.

Quis mihi est in cœlo? & tecum nil placet super terram.

Defecit caro mea & cor meũ, fortitudo cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt:

bunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærere Deo bonum est, posui in Domino Deo spem meam.

Vt annuntiem omnia opera tua.

EXPLANATIO.

Vtique bonus. *Certè (inquit) Deus in Israëlem benefícus est & maximè benignus est in quam talis in eos præcipuè qui puro sunt animo, id est, qui neque rebus prorum aduersis, neque prosperis impiorũ abducuntur, vt de bonitate, & prouidentia Dei minus piè sentiãt, at animus meus harũ rerum specie tam vehementer cõmotus est, vt parum abfuerit, quin de recta sententia depellerer, atque in Deum grauissimè peccarem.*

Quia non sunt ligamina. *Non solùm (inquit) improbi lætè & iucundè viuũt sed etiam acciderefo et, vt soluti omni dolore et cruciatu placidè & tranquillè moriantur. Ita hũc locũ interpretantur Hebræi. Quinetiam Aquila interpres doctissimus in eandem sententiã vertit hoc modo, nulli cruciatus intercedunt morti eorum.*

Et viuidum est robur eorũ. *Alij vertunt ex Hebræo, & firma sunt palatia eorũ, id est, accidit ad eorum fælicitatẽ quòd morientes relinquunt liberis magnificas ades, & luculentã hereditatem.*

Egre-

Egrediuntur præ pinguedine oculi eorũ. *Diximus alio loco pingues in literis sanctis appellari homines opibus ac potentia florẽtes, opulentiam verò & prosperitatem vitæ plerunque sequitur importunitas, & superbia.*

Transierunt cogitationes cordis. *Id est, etiam supra spem & cogitationem illis omnia feliciter eueniunt.*

Dissoluũt. *Id est affligunt, & crudeliter vexant innocentes sic explanant Hebræi.*

Loquuti sunt de nequitia. *Hoc est, ad id furoris, & petulãtiæ perducti sunt, vt non modo scelera, & flagitia sua non erubescant, sed etiam illa ostentare audeãt seq; in dedecore, ac turpitudine magnificè iactent.*

Posuerunt in cœlum. *Id est, neque Deo, neque hominibus maledicendo parcunt.*

Ideò conuertetur. *Propterea populus Dei ad hæc studia nefaria se conuertit, & cùm videãt impios in magna potẽtia esse atq; omniũ rerũ copijs affluentibus florere, eorum vitam, & mores imitantur, & aquam pleni calicis bibunt id est opiniones pestiferas illorum animo hauriunt, seq; in illas ingurgitant, vt sitientes aquã auidissimè potare solent: quamobrẽ vulgò dicũt: qui fieri potest, vt Deus res humanas intelligat, aut gubernet? cùm homines impij et omnibus sceleribus contaminati opibus circumfluãt, & tranquillam ac beatam vitam colãt.*

Ego

Ego quoque hæc cum animo meo considerans in eam insaniam incidera, vt affirmarem, me frustra innocentiæ studuisse, quandoquidē assiduis calamitatib' vexor, neq; vllus oritur dies, quin aliquā mihi molestiam portet. Hæc quidem ego temerè effutiebā, sed rem diligentius expēdens dixi, si ita loquor, & sentio nōne improbo vitā, & studiū omniū piorū? qui nullis incommodis, aut cruciatibus deterrētur ab innocētia, et virtutis amore, neq; existimāt, se frustra pietatem coluisse, si vel maximis calamitatibus obruātur: itaque cū omni studio conarer rationem harū rerū inuestigare, ad extremum deterritus sum negotij magnitudine, et animaduerti, me ad cognitionē earum rerum peruenire non posse, nisi Deus aperiret mihi arcana prouidētia sua, & viderem quē exitum habeant impij, qui videntur in hac vita esse beati, verùm non ita diu in hac animi hæsitatiōe versatus sum: vidi enim, istos homines sceleratos, & impios, quorū prosperitas me cruciabat, grauissimas pœnas dare. Hanc sententiam tractat etiam in Psal. 69.

Certè in lubrico. *Certè (inquit) lubrica sunt bona quæ tuo permissu possidebant, lubrica inquam sunt, & qui per ea ingrediūtur, facillimè labuntur.*

Quomodo facti sunt. *Videtur designare Saulem, & eius familiam, quæ breui tempore funditus deleta est.*

Velut

Velut somnium expergefacti. *Enauuit horum felicitas tanquam somniũ hominis expergiscentis, similis inquam fuit somnio eius, qui iam sit experrectus: somniũ enim illud est inane, quanquam videtur delectare dormientem.*

Imaginem ipsorum. *Imaginem appellat dignitatem, memoriam, et nominis claritatem, quibus rebus isti inflabantur, cũ tamen ea res nihil aliud essent nisi vmbra quædã: & imago vana: sic etiam alio loco dixit, certè in imagine pertransit homo id est, velut vmbra quædã, & inanis imago vitam transit.*

Quoniam accescebat. *Certè antequam viderem impios de suo florenti statu in maximas calamitates præcipitari, mirandũ in modũ angebar: id autem mihi accidebat, propterea quòd stultus et insipiens eram: itaque velut iumentũ factus sum apud te: tu enim insipiẽtẽ, et prouidentia tua rationes ignorantem duxisti quò ne sciebam, duxisti inquam me per varios casus et discrimina ad maximum decus & gloriam.*

Quis mihi est in cœlo. *Dum vir sanctus tanit infinitã Dei bonitatem erga se, incredibili eius amore exardescẽs emittit has voces: quis (inquit) mihi placeat in cœlo præter te? quẽ ego in terris amem, colam, suspiciã præter te? certè reliqua omnia mihi sordent, te vnũ ego amplector, te vnum opto, te vnũ suspiro, atque ardeo, qui vnus es amãdus, & colendus, & toto ani-*

mo desiderādus, tabescit desiderio tui anima mea & corpus meum: tu Domine vis & robur cordis mei, tu opes, tu copia, & sempiterna hæreditas mea.

Qui fornicantur abs te. *Id est, qui te relicto aliud amant.*

Vt annuntiem omnia opera tua. *Id est, vt benignitate tua seruatus, & omnibus bonis actus & ornatus perpetuis hymnis celebrem admirabilia facinora bonitatis, & prouidentiæ tuæ.*

ARGV. PSAL. LXXIIII.

Deplorat gens Hebræa incendium templi, & vastationem vrbis sanctæ, & calamitates suas, orans Deum, vt aliquando tandem opem ferat.

Erudiens Canticum Asaph.

Psalm. LXXIIII.

VT quid Deus repulisti in perpetuum? iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?

Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Virgæ hæreditatis tuæ quam redemisti, montis Sion istius, in quo habitasti.

Leua gressus tuos, vt vastes in perpetuū hostes vniuersos, qui mala intulerunt sanctuario tuo.

Rugierunt, qui oderunt te, in medio synagogarum tuarum.

Pos-

Posuerunt signa sua signa, cognitus est inimicus velut in altum.

Attollens in sylua lignorum secures, & nunc sculpturas eius simul bipenni, & malleis contriuerunt.

Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculũ nominis tui.

Dixerunt in corde suo, depopulabimur simul: combusserunt omnes synagogas Dei in terra.

Signa nostra non vidimus, iam non est propheta, & non est nobiscum, qui sciat quousque.

Vsquequo Deus, improperabit inimicus? blasphemabit aduersarius nomen tuum in perpetuum?

Vt quid retrahis manum tuam, & dexteram tuam? de medio sinu tuo tolle illam.

Deus autem rex noster ab initio operatus est salutes in medio terræ.

Tu dissipasti in fortitudine tua mare, cõtriuisti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita Leuiathan, dedisti eum escam populis Aethiopum.

Tu dirupisti fontem, & torrentem, tu siccasti fluuios vehementes.

Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es lucem & solem.

Tu statuisti omnes terminos terræ, ęstatem,

tem & hyemem tu plasmasti.

Memor esto huius, quòd inimicus improperauit domino, & populus insipiens blasphemauit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animam turturis tuæ, congregationem pauperũ tuorũ, ne obliuiscaris in perpetuum.

Respice ad fœdus, quia repleta sunt loca tenebrosa terræ habitationibus violentorum.

Ne reuertatur pauper confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.

Exurge Deus, iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, quæ ab insipiente fiunt tota die.

Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum, vociferatio eorum qui te oderunt ascendit semper.

EXPLANATIO.

Virgæ hæreditatis tuæ. *Virgam appellat sceptrum, quo vocabulo vsus est Aquila, cum verteret hũc versiculum ex Hebræo: illud autẽ Deuteronomij explanat hunc locũ, Ne dispердas populum tuum, & hæreditatem tuã quã redemisti in magnitudine tua ex Aegypto.*

Leua gressus tuos. *Id est, huc ades tandẽ ad eos funditùs perdendos, qui sanctissimum templũ tuum manibus impijs euerterunt.*

In medio synagogarum tuarum. *Erant*

in singulis Iudææ vrbibus, & oppidis ædes publicæ, in quas ciues cõueniebãt, vt Deum simul precarentur, & doctrinam rerum diuinarum perciperent: Ea loca vocabulo Græco Synagogæ nominantur.

Posuerunt signa sua. *Id est, erexerunt vexilla, & trophæa, monumenta victoriæ.*

Cognitus est inimicus velut in altum. *Vidimus, inquit, hostẽ debacchantem, & ornamenta tẽpli sanctissimi disturbãtem, quemadmodum lignator arbores cædit in sylua.*

In terra polluerunt. *Id est, in terram deiectum contaminarunt.*

Signa nostra non vidimus. *In tantis calamitatibus nullam benevolẽtiæ tuæ signũ vidim°, nullũ extitit ex ijs prodigijs, quæ pro salute, ac gloria nostra olim ædere solebas, neq; vllum habemus vatẽ sanctum, qui nobis prædicet, quandiu hæc malæ permansura sint.*

De medio sinu tuo. *Profer (inquit) manũ vltricem ex sinu tuo, & impios hostes funditùs perde.*

Deus autem rex noster. *Cõsolatur se recordatione superiorũ temporũ: Deus enim gẽtem Hebræã iã inde ab vltima origine sibi tuẽdã, atq; ornãdã susceperat: quòd si illã sæpenumerò ob peccata in maximas ẽciderè calamitates passus fuerat, semper tamẽ auxiliũ tulerat oppressis, & crudelitatẽ hostium aliquo notabili*

supplicio vindicarat, vt facilè perspici posset, hãc nationẽ in præcipua ipsius esse tutela.

In medio terræ. *Id est palàm, & omnibus mortalibus tanquàm in theatro spectantibus nos sæpè seruant in maximis periculis.*

Tu dissipasti. *Commemorat miraculum maris rubri, & Aegyptiorum depressionem.*

Leuiathan. *Pharaonem intelligit, quẽ etiã Esaias Leuiathan vocat, hoc nomẽ significat belluas vastas maris: qualia sunt Cete.*

Dedisti eum escam populis Aethiopum. *Hoc intelligit, eos, qui littora maris rubri accolunt, potitos fuisse spolijs Aegyptiorũ. Sed alij vertunt ex Hebræo, dedisti eũ escam habitãtibus in deserto. Quibus verbis significare videtur, cadauera Aegyptiorum ad littus eiecta prædam, & pastum fuisse bestiarum.*

Tu dirupisti fontes. *Id est, è silicibus ruptis elicuisti vim maximam aquæ, cùm populus siti conficeretur.*

Fluuios vehementes. *Symmachus vertit fluuios antiquos: significat autem Iordanem.*

Animam turturis tuæ. *Sic appellat gentẽ Hebræam ob innocentiam, & imbecillitatem.*

Respice ad fœdus. *Quod scilicet cũ maioribus nostris fecisti.*

Quia repleta sunt loca. *Loca nostra, quæ sunt tenebrosa, id est, plena luctus, & miseriarũ, occuparunt homines violẽti, & omnis hu-*

manitatis expertes.

Ne reuertatur. *Ne quæso miser populꝰ, qui ad orandũ opem tuam venit, repulsam ferat.*

Ne obliuiscaris voces inimicorum. *Id est, maledicta impia, & cõtumelias quas in te iacere audent.*

Vociferatio eorũ. *Id est, voces impiæ, & conuitia inimicorum tuorum quotidie magis ac magis crescunt.*

ARGV. PSAL. LXXV.

Plerique ex Græcis, & latinis explanatoribus hũc Psalmũ ad Christũ pertinere confirmant, qui inducitur loquens, & deterrens impios & superbos, ab arrogantia & maleficio.

Victori ne disperdas. Psalmus cantici Asaph. LXXV.

CONfitebimur tibi Deus, cõfitebimur, & propinquum erit nomen tuum.

Narrabunt mirabilia tua. Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.

Liquefiet terra, & omnes qui habitãt in ea: confirmaui columnas eius.

Dixi iniquis, nolite iniquè agere: & delinquentibus, nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrũ, nolite loqui ceruice dura.

Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neq; à deserto venit exaltatio, quoniam Deus iudex est.

Hunc

Hũc humiliat, & hũc exaltat, quia calix in manu domini vini meri plenus miſto.

Et effundit ex hoc, vtique fæces eius ſugent, bibentque omnes peccatores terræ.

Ego autem annũciabo in ſæculũ, cantabo Deo Iacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti.

EXPLANATIO.

Confitebimur tibi Deus. *Id eſt, ſemper celebrabimus laudes tuas, tuq; nobis ſemper propitius aderis. Videtur eccleſia piorũ hæc loqui, quippe quæ ab impijs vexatæ ad implorandũ auxiliũ Dei confugerit, & ſtatim eius numẽ, & præſentiã ſenſerit: quare ait, oẽs pios narraturos ipſius facta illuſtria, & admirabilia.*

Cùm accepero tempus. *Hæc aiunt eſſe verba Chriſti affirmatis, ſe de cibus improbis, et impijs hominibus ſupplicium ſumpturũ cùm tẽpus illud iudicij nouiſſimi venerit. quo quidem tẽpore ait terrã cum omnibus ijs, qui eã incolunt diſſolutũ iri: qui enim illã ſtabiliuit, eam poteſt etiam diſſoluere.*

Dixi iniquis. *Hæc omnia ſapiſſime admonuit Chriſtus, cũ vitam ageret in terris, neque vnquam intermittit eadem admonere ore piorum.*

Nolite extollere in altum. *Id eſt nolite vos efferre contra Deum.*

Quia neque ab Oriente. *Rationē affert, cur debeāt sese Deo submittere: quoniā scilicet frustra quæritur in terris dignitas, & potentia, quarum rerum dispensatio pertinet ad solum Deum, qui æquissimus est iudex, & vnicuique vel pœnas, vel præmia constituit pro eo ac quisque se gerit.*

Neque à deserto venit exaltatio. *Solitudo vastissima in Iudæa spectat ad meridiē, propterea à desertum dixit, cùm meridiem dicere vellet.*

Quia calix. *Alio loco diximus, in literis sanctis calicē sæpè significare pœnas, & supplicia improborū. Vinū autem meraci mētionē fecit ad significandā atrocitatem pœnarum. Nam quod ait, hunc calicem plenū esse misto, significare videtur, plurimū fœcis vino admistū esse. Sed nōnulli sic vertūt ex Hebræo: Quia calix in manu Domini vini infusi quod rubrū est. Hi sequūtur Chimim, qui affirmat hoc genus vini esse in Iudæa generosum, & vehemēs, & propterea virum sanctum vti hac allegoria ad magnitudinem supplicii exaggerandam.*

Ego autem annunciabo. *Christus cū suis nunquā intermittit prædicare beneficia Dei, eiusq; laudes celebrare, quo ad tēpus illud iudicandi veniat, de quo suprà dictū est: tūc enim omnē vim, & potētiam impiorum infringet, & pios in partē sui regni sempiterni accipiet.*

A R-

ARGV. PSAL. LXXVI.

Celebrat insignem victoriã, quam de hostibus reportauerant Hebræi: Videntur autẽ hæc scripta esse in Regem Senacheribũ, qui cũ maximo exercitu inuaserat terram Iudæam.

Victori in Neginoth, Psalmus cantici Asaph. LXXVI.

NOtus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius.

Et est in Salem tabernaculum eius, & habitatio eius in Sion.

Ibi confregit sagittas, arcum, scutũ, gladium, & bellum.

Apparuisti maximus à montibus prædæ, in prædam dati sunt superbi corde.

Dormierunt somnum suum, & nõ inuenerunt omnes viri fortes manus suas.

Ab increpatione tua Deus Iacob cõsopitus est currus, & equus.

Tu terribilis es, & quis coram te consistat simulatque exarserit ira tua?

De cœlo auditum fecisti iudicium, terra tremuit & siluit,

Cùm exurgeret ad iudiciũ Deus: vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniã indignatio hoĩs cõfitebitur tibi, & reliquiis indignationis, te accinges.

Vouete, & reddite domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius estis, afferte munera.

Terribili,& auferenti ſpiritum principum,terribili apud reges terræ.

EXPLANATIO.

Notus iu Iudæa Deus. *Celebris eſt in Iudæa Deus,in Iſraël glorioſum & illuſtre eſt nomẽ eĩ propter inaudita miracula,& prodigia q̃ ſolet edere p̃ ſalute,& gloria gẽtis ſuæ.*

In ſalem. *Sic appellat Hieroſolyma:ita enim olim vocabatur ea vrbs,vt eſt in Geneſi.*

Apparuiſti maximus *á montibus prædæ. Symmachus ita vertit hunc locũ. Eſt autẽ ſenſus,declaraſti admirabilem potentiã tuã in mõtibus Iudæa,innumerabilibus copijs (quæ illos occuparant) ad internecionem cæſis.*

Dormierunt ſomnũ. *Id eſt,mortem occubuerũt,& nihil viribus ſuis profecerunt quã uis bellicoſi eſſent.*

De cœlo auditũ. *Appellat ſtragem illam hoſtium iudicium cæleſte:propterea quòd illam à Deo editam fuiſſe,perſpicuum eſt.*

Terra tremuit,& ſiluit. *Id eſt,qui nos minis & immani ferocitate territabũt,ipſi incredibili terrore perculſi ne omnino quidẽ hiſcere auſi ſunt,cũ Deus calamitates noſtras miſeratus,pœnas ab ipſis iudicio perſeq̃retur.*

Quoniã indignatio. *Ira inquit, & crudelitas impiorum oppugnantiũ cultores tuos materiã præbebit tui numinis celebrandi,& potentiæ,ac miſericordiæ,prædicandæ, dũ nos incolu-*

incolumes conseruas: illos autem sempiternis supplicijs mactas.

Reliquijs indignationis. *Id est si quid minarum hostilium reliquũ fuerit, ad id cõtundendum, & confringendum te accinges, & hostes piorum funditus euertes.*

Vouete. *Hortatur populum ad vota nuncupanda, & gratias agendas Deo pro victoria iam adepta.*

ARGV. PSAL. LXXVII.

Describit, quãto dolore cõfectus fuerit, cũ Hebræi maximis calamitatibus opprimerentur, & quemadmodũ mœrorẽ suũ leuauerit recordatione beneficiorũ illustrium, quibus olim Deus affecerat gentem suam: sed, vt Græci existimant, populus ipse inducitur loquens.

Victori pro Idithum, Psalmus Asaph. LXXVII.

VOce mea ad dominũ clamaui, voce mea ad Deum, & intendit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manus mea nocte extensa fuit, sine intermissione.

Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & vociferabar, loquebar, & deficiebat spiritus meus.

Apprehẽdisti palbebras oculorũ meorum, turbatus sum & non sum locutus.

Cogitaui dies antiquos, & annos sæculorum recordabar.

Carminũ meorũ, nocte cũ corde meo meditabar, & scrutabatur spiritus meus.

Nunquid in æternum proijciet Deus? aut non apponet, vt se propitium adhuc exhibeat?

Nunquid defecit in perpetuum misericordia eius? consumptum est verbũ à generatione in generationem?

Nunquid oblitus est misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?

Et dixi, mors mea hęc annorum dexteræ excelsi recordabor.

Memor ero operum domini, nam memor ero mirabilium tuorũ, quæ vsquę ab initio feciſti.

Et meditabor in omnibus operibus tuis, & de consiliis tuis loquar.

Deus in sanctitate via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia.

Notam feciſti in populis virtutẽ tuã, redemisti in brachio tuo populum tuum filios Iacob & Ioseph.

Viderũt te aquę Deus, viderũt te aquę, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.

Effuderunt aquas nubila, vocem dederunt nubes.

Etiam sagittæ tuæ discurrerunt, vox tonitrui tui in sphæra.

Illu

Illuxerũt coruſcationes tuæ orbi terræ, commota eſt, & contremuit terra.

In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non ſunt cognita.

Deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moyſi, & Aaron.

EXPLANATIO.

Voce mea. *Primùm deſcribit grauiſſimam perturbationem animi penè deſperantis, deinde docet, quæ medicina tam periculoſo morbo adhibenda ſit.*

Manus mea nocte extenſa fuit, ſine intermiſsione. *Ita vertit hunc locum Symmachus, & fideliter quidem.*

Renuit conſolari. *Cùm, inquit, animus meus omnem cõſolationem repudiaret, ad memoriam Dei cõfugiebam, & illius miſericordiam vociferans implorabam.*

Apprehẽdiſti palpebras. *Id eſt, magnitudo ſupplicij tui me ſomnũ capere non ſinebat, quin etiam ob grauitatem doloris animo tam perturbato eram, vt loqui non poſſem.*

Cogitaui dies. *Mecum, inquit, conſiderabam tempora illa, & ſæcula antiqua, quibus Deus tã illuſtribus, & verè diuinis beneficijs affecerat gẽtẽ ſuam: recordabar item, quoties ſanctiſſimi numinis laudes meis verſibus celebraſſem, cùm illi gratias agerem pro incredibili benignitate, qua vtebatur in nos.*

Nunq

Nunquid in æternũ. *Hæc sunt, quæ scrutabatur animus eius.*

Consumptum est verbum, *An nullam amplius vim habet sermo Dei, quo promisit, se consolaturum mœrentes, & afflictos ad se confugientes.*

Et dixi, mors mea hęc annorum dexteræ excelsi recordabor. *Quid opus est plura? tãta, inquit, calamitatum est magnitudo, vt aliquãdo de salute mea penè desperẽ, sed in tãtis acerbitatibus vna reliqua est cõsolatio, vt scilicet labẽtẽ, ac probè iacẽtẽ animũ, beneficiorũ tuorũ summe pater, recordatione sustentem: propterea, quã sæpissime potero, mẽte confugiã ad memoriam superiorum temporum, quibus maiores nostros grauissimè afflictos, & iã desperãtes dextera tua salutari ex maximis periculorũ angustijs, & calamitatibus eripuisti. Recordabor inquã tuæ facta mirabilia, & clarissima monumẽta misericordiæ tuæ semper animo cõtẽplabor, atq; ita spe erecta, & cõfirmata nõ diffidã amplius, tempus fore, cũ omni periculo liberatus immortales tibi gratias agã conseruatori, & parenti salutis meæ. Ad hunc modũ hic versiculus nobis explanãdus esse videtur. Illud tamẽ scire oportet, vocabula Hebræa in plures sentẽtias accipi posse, atq; ob eã causam ab alijs aliter illa cõuerti. Nos verò Chimim singularis apud*

Hebr

Hebræos authoritatis interpretem, secuti sumus, quòd eius sententia maximè consentanea argumento carminis videretur.

Deus in sanctitate via tua. *Sic etiã vertit Symmachus: dicit autem, omnes actiones Dei esse rectas & sanctas, tametsi videtur aliquã do seuerius nobiscũ agere. Hoc vbi animus noster vere sibi persuasit, rebus aduersis facile resistit.*

Filios Iacob & Ioseph. *Mentionem facit Iosephi propter eximiã eius virtutẽ & maximã in gentem Hebræam beneficia.*

Viderunt te aquæ. *Celebrat miraculum maris rubri.*

Vox tonitrui tui in sphæra. *Sic appellat cælum.*

In mari via tua. *Dicit Deũ fuisse ducẽ populo trãsmittẽti mare, sed ita, vt Aegyptij vestigia eiꝰ cognoscere nõ potuerint: dũ enim fugiẽtes insequi volũt, oẽs interiere, mari absorpti.*

ARGVM. PSAL. LXXVIII.

Narrat, qualibus, & quantis beneficiis affecerit Deus gentem Hebræam, & quàm illa fuerit immemor, & ingrata.

Erudiens Canticũ Asaph, Psal. LXXVIII.

ATtendite populе meus legẽ meã, inclinate aurẽ vestrã in verba oris mei.

Aperiam in parabolis os meũ, loquar ænigmata temporis prisci,

Quæ

Quæ audiuimus, & cognouimus, & patres nostri narrauerunt nobis.

Non sunt occultata à filijs eorum in generatione sequenti.

Narrantes laudes Domini, & virtutem eius, & mirabilia eius, quæ fecit.

Et suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israël.

Qua mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio sequens.

Filij, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis.

Vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius custodiant.

Ne fiant sicut patres eorum, generatio praua, & exasperans.

Generatio quæ nō direxit cor suum, & non fuit fidelis cum Deo spiritus eius.

Filij Ephraim armati, & iaculantes arcu, terga verterunt in die belli.

Non custodierunt testamētum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare.

Et obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis.

Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos.

Interrupit mare, & perduxit eos, & fecit

stare

ſtare aquas veluti aceruum.

Et deduxit eos in nube per diem, & tota nocte, in illuminatione ignis.

Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos, velut in abyſſo multa.

Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquàm flumina aquas.

Et appoſuerunt adhuc peccare ei, in irã concitauerunt excelſum in ſolitudine.

Et tentauerunt Deum in cordibus ſuis, cùm peterent eſcas animabus ſuis.

Et malè locuti ſunt de Deo: dixerunt, nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?

Ecce percuſſit petram, & fluxerunt aquæ & torrentes inundauerunt.

Nunquid & panem poterit dare? aut parare carnem populo ſuo?

Ideò audiuit Dominus, & iratus eſt, & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit contra Iſrael.

Quia non crediderunt in Deum, nec ſperauerunt in ſalutari eius.

Et mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit.

Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.

Panem Angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis ad ſatietatem.

Abſtu-

Abstulit Eurum de cælo, & induxit in virtute sua Africum.

Et pluit super eos sicut puluerẽ carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.

Et manducauerunt, & saturati sunt nimis & desiderium eorum attulit eis, & nõ sunt fraudati desiderio suo.

Adhuc escæ eorũ erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super eos.

Et occidit pingues eorum, & electos Israël prostrauit.

In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius.

Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione.

Cùm occideret eos, quærebãt eũ, & reuertebantur, & diluculo veniebãt ad eũ.

Et rememorati sunt, quòd Deus adiutor est eorũ, & Deus excelsus redemptor eorum est.

Et blanditi sunt ei ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.

Cor autem eorum non erat rectum cũ eo: nec fideles fuerunt in testamento eius.

Ipse autẽ est misericors, propitius fuit peccatis eorum, & non disperdidit eos.

Et abundauit in auertenda ira sua, & non

non accendit omnem iram ſuam.

Et recordatus eſt, quia caro ſunt ſpiritus vadens & non rediens.

Quoties exacerbauerũt eum in deſerto? in irã concitauerũt eum in ſolitudine?

Et reuerſi ſunt, & tẽtauerũt Deum, & ſanctum Iſraël circunſcripſerunt.

Nõ ſunt recordati manus eius, & diei, qua redemit eos de manu tribulantis.

Qui poſuit in Aegypto ſigna ſua, & prodigia ſua in campo Taneos.

Et conuertit in ſanguinem flumina eorum, & riuos eorum, ne biberent.

Miſit in eos multiplicem turbam inſectorum, & comedit eos, ranam, & diſperdidit eos.

Et dedit brucho fructus eorum, & labores eorum locuſtæ.

Et occidit in grandine vineas eorum, & ſycomoros eorum in pruina.

Et tradidit grandini iumenta eorum, & poſſeſsionem eorum fulminibus.

Miſit in eos iram indignationis ſuę, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſsionem per Angelos malos.

Viam fecit iræ ſuæ, & non pepercit à morte animabus eorum, & iumenta eorum peſte concluſit.

Et percuſsit omne primogenitũ inter

ra Aegypti, primitias fortitudinis eorũ, in tabernaculis Cham.

Et abstulit sicut oues populũ suum, & perduxit eos tanquàm gregẽ in deserto.

Et deduxit eos tutò, & nõ timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.

Et abduxit eos ad terminos sanctitatis suæ, ad montem istum, quem acquisiuit dextera eius.

Et eiecit à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.

Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israël.

Et tentauerũt, & exacerbauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt.

Et auerterũt se, & non seruauerunt pactum, quemadmodum patres eorũ conuersi sunt retrorsum, vt arcus dolosus.

In iram concitauerunt eum in excelsis suis, & in sculptilibus suis ad æmulationẽ eum prouocauerunt.

Audiuit Deus, & iratus est, & abominatus est valde Israël.

Et dereliquit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, vbi habitauit inter homines.

Et tradidit in captiuitatẽ fortitudinem suam,

ſuam, & gloriam ſuam in manus inimici.

Et cõclusit in gladio populũ ſuũ, & cõtra hæreditatem ſuam indignatus eſt.

Iuuenes eorum cõmedit ignis, & virgines eorum non ſunt laudatæ.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderũt, & viduæ eorum non ſunt lamentatæ.

Et excitatus eſt tanquàm è ſomno Dominus, tãquàm potans exultãs præ vino.

Et percuſsit iuimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis.

Et repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit.

Sed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit.

Et ædificauit tanquã palatia celſa ſanctuarium ſuum, velut terram quam fundauit in ſæcula.

Et elegit Dauid ſeruũ ſuum, & aſſumpſit eum à caulis ouium & fœtantibus, quas ſequebatur, abduxit eum.

Vt paſceret Iacob populum ſuũ, & Iſraël hereditatem ſuam.

Et pauit eos in innocẽtia cordis ſui, & in prudẽtia manuũ ſuarum deduxit eos.

EXPLANATIO.

Legem meam. *Sic appellat doctrinam ſaluberrimã, quæ cõtinetur hoc carmine. Eam dẽ vocat parabolas, quòd ſentẽtiæ inſeruntur*

G 4

vtiliſſimæ, ac ſapientiſſimæ, item ænigmatæ quod hoc genus doctrinæ reconditum, maximeq; obſcurum ſit his quorum mens nullo alio lumine niſi naturali prædita eſt.

Non ſunt occultata. *Quidã ita reddũt ex Hebræo nõ celabimus ea a filijs eorũ, generationi poſteræ narrãtes laudes Domini et fortitudinem eius, & mirabilia eius quæ fecit.*

Et ſuſcitauit teſtimoniũ in Iacob. *Ita vocat præceptũ, et legẽ Dei conſuetudine linguæ Hebrææ, certã vero illã legem intelligit, qua Deus ſanxit, vt parẽtes liberis aſſiduè memorarent res illas admirabiles ab ipſo geſtas, cũ gentẽ Hebræã ſeruitute Aegyptiorũ liberaret, illãque per mare rubrũ, et vaſtiſſimã ſolitudinẽ ad fines Chananæorũ duceret, atque in vberrimis agris collocaret: ea lex ſcripta eſt in Deuteronomio cap. 4. Cur autẽ Deus voluerit harũ rerũ memoriã diligentiſſimè cõſeruari, docet vir ſanctus, paulo poſt ſubiungens. Narrabunt filijs ſuis, vt ponãt in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operũ Dei, & mandata eius cuſtodiant. Nimirum harum rerum cognitio, & diligens conſideratio pietatem mirabiliter alit, noſque diuinarum legum ſtudioſos, & amantes facit.*

Quæ non direxit cor ſuum. *Id eſt, quæ recti amans non fuit, neque rectam de Deo habuit opinionem.*

Filij

Filij Ephraim armati. *Commemorat peccata Iudæorũ, et calamitates in quas inciderũt propter neglectã virtutem, & religionẽ. historia autem, quam hic attingit, ea esse videtur, quæ scripta est in 1. lib. Paralip.*

In campo Taneos. *Tanis est vrbs maxima, quæ sita est ad ostium Nili, quod Taniticum appellant.*

Interrupit petram. *Bis elicuit aquã Moses è silice, & vtriusque miraculi hic mentionem facit.*

Et tentauerunt Deũ. *Attingit ea, quæ acciderunt in ijs locis, quæ nominata sunt sepulchra concupiscentiæ. Ea historia scripta est in libro Numerorum.*

Ecce percussit petrã. *Attende quæso, & vide, quanta sit hominũ impietas, et cæcitas, nisi Deus illos suo spiritu regat, et gubernet. si gens Hebræa dubitauerat antea de potentia Dei, recẽs miraculũ debebat oẽm dubitationẽ ex animis tollere, quod admirabile dictu est, quã cõtra acciderit: arripuit enim illa ex ea re occasionẽ potentiæ diuinæ tentandæ, id est, temerè, ac insolẽter periclitãdæ, experiẽdæq;: sed simul attende, quid agat Deus: morẽ quidem gerit cupiditati impiorum, vt vel inuiti discant ipsum omniũ rerum præpotentẽ esse: verùm id suo maximo cũ malo discunt, dum enim cibis optatis se ingurgitãt, subita, atque*

improuisa morte mulctantur.

Et ignis accensus est in Iacob. *Ignem appellat indignationem Dei.*

Panem Angelorũ. *Sic uocat manna, non quòd mentes illæ beatæ (quæ corporibus uacant) eo cibo utantur, sed quòd is è cælo manarit, quem locum incolunt mentes illæ, sciendũ est tamen, uocabulum hebræum in multas sententias accipi poss. Itaque alij uertunt, panem nubium, alij panem fortium.*

Et occidit pingues eorũ. *Id est optimates, et primarios uiros: sic in Psalmo 22. pingues terræ dixit, cũ reges et principes dicere uellet.*

In omnibus his. *Id est, neque supplicioru grauitate, neq; miraculorũ magnitudine adduci unquàm potuere, ut uerbis Dei fidẽ haberẽt, seq; illius bonitati, præsidiaq; cõmitterent. Ex quo perspicuũ esse potest, tantam esse labẽ, & corruptelã animorũ, ut nisi Deus mẽtẽ, & uoluntatẽ nostrã spiritu suo renouet, semper à uera pietate abhorreamus, neque nos ulla uerborũ, aut prodigiorũ uis adducere possit ad cõfidẽdũ prouidentiæ ipsius. Itaq; Moses in deuteronomio, de hac iudeorũ pertinacia loquens scribit ad hũc modũ, Vos uidistis uniuersa, quæ fecit dominus coram uobis in terra Aegypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, uniuersaq; terræ illius tentationes magnas, quas uiderũt oculi tui, signaq; illa, portẽtaq;,*

taq; ingentia, & nõ dedit vobis dominus cõ intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire vsque in præsentem diem.

Cũ occideret eos. *Describit ficta pœnitẽtiã improborũ qui nonnunquã resipiscere videtur, et grauissimè angi quòd deliquerint & leges Dei violarint. Verũ his nõ iniuria, quã Deo faciunt, est dolori, sed pœna, quã metuunt, aut tã sublistinent: itaque cũ doleãt amore sui, non Dei frustra dolent, et statim in scelera, & flagitia relabuntur: nã qui amor improbos ad dolendum excitat, is amor longè facilius eosdem ad peccandum impellit.*

Et diluculo veniebãt ad eum. *Significat studium, & diligentiã populi in placanda ira Dei. Hunc loquendi modum sæpè vsurpant literæ sanctæ.*

Et abundauit in auertẽda ira sua. *Id est, magnoperè compressit indignationẽ suam.*

Et reuersi sunt. *Ad pristinos mores.*

Sanctum Israël circũscripserũt. *Id est, eius potentiam certis finibus concluserunt: quippe qui non putarent, illum posse omnia omnibus in locis.*

Immissionem per Angelos malos. *Id est, quæ calamitates importabantur ab Angelis malis.*

Primitias fortitudinis. *Sic appellat filios primo partu in lucõ editos, quos Graci nomi-*

nare solent πρωτοτόκους, id est, verbũ è verbo, primogenitos, videtur aũt Asaphus imitatus Mosem, apud quẽ Iacob in Genesi vocat primicias roboris sui Ruben quẽ de multis liberis primum susceperat ex Lia. Quòd verò subiungit, in tabernaculis Chã significat domos Aegyptiorũ: nã Mesrainus, vnde aiunt prognatos esse Aegyptios: patrem habuit cui nomen erat Cham, vt est in Genesi.

Ad terminos sanctitatis suæ. *Id est, ad fines, & religionem sanctitatis suæ gratam, & acceptam.*

Cõuersi sunt retrorsum vt arcus dolosus. *Qui scilicet subito vertitur, & aliud ferit, quam volebat sagittarius.*

In irã concitauerũt eũ in excelsis suis. *Intelligit loca, in quibus falsos Deos colebãt.*

Et dereliquit tabernaculũ Silo. *Arcam Dei, quæ seruabatur in vrbe Silo, captã fuisse à Palæstinis, & Iudæos accepisse maximam cladem, scriptum est in lib. 1. Regum.*

Et tradidit in captiuitatem fortitudinẽ suam. *Hunc locum interpretati sumus in explanatione Psalmi 63.*

Iuuenes eorum comedit ignis. *Ignem vocat vim & impetum belli.*

Et virgines eorũ nõ sunt laudatę. *Id est celebratæ carmine nuptiali: propterea quod antequã nuberẽt, ab hostibus vel interfectæ,*

vel

Vel in seruitutem abducta sunt, vel earum sponsi in prælio ceciderunt.

Sacerdotes eorũ in gladio ceciderúnt. *Inter hos præcipui fuerunt Ophnis, & Phinees filij Heli pontificis.*

Et viduæ eorũ nõ sunt lamẽtatæ. *Id est funera maritorũ nõ sunt fletu, et lamẽtatiõe prosecutæ, quippe q̃ ipsorũ vitæ superstites nõ fuere. Videtur aũt his verbis significare casũ vxoris Phinæ: hæc enim cũ illũ in prælio cæsũ, et arcã fœderis ab hostibus asportatã audisset, nimia doloris acerbitate, repẽtina morte perijt, neq; ꝑ spatiũ lugendi mariti habuit.*

Et excitatus est. *Excitatus inquam est in Palæstinos, qui abstulerant arcam, et fœdissimo natium morbo illos vexauit: antea autem dormire videbatur, nec cernere impietatem eorum. Opprobrium verò sempiternum appellat morbum illum, de quo diximus.*

Et repulit tabernaculũ Ioseph. *Id est, noluit amplius cõmemorari in vrbe Silo, q̃ pertinebat ad hæreditatem Ioseph, id est, ad tribum Ephraimi, qui natus est ex Iosepho.*

Velut terrã, quã fundauit in sæcula. *Id est, quod templũ firmum, & stabile voluit esse perinde ac terrã, quã stabiliuit, vt perpetuo maneat, hoc autem verum non euasit in templo Salomonis, sed in ecclesia Christi, cuius templum illud imago quædam erat.*

ARGVMENT. PSAL. LXXIX.

Existimãt gentẽ Hebræã deplorare calamitates, quas pertulit ab Antiocho rege, quæ historia scripta est in libris Machabæorum.

Canticum Asaph, Psal. LXXIX.

DEus venerunt gentes in hæreditatẽ tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in aceruos lapidum.

Posuerunt cadauera seruorum tuorũ escas volatilibus cœli, carnes sanctorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquã aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio iis, qui in circuitu nostro sunt.

Vsquequo Domine irascēris in finem? exardescet velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Quia comederunt Iacob, & locũ eius desolauerunt.

Ne memineris iniquitatũ nostrarum præteritarũ, citò anticipẽt nos misericordiæ tuę, quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus saluator noster, &

propter

pter gloriam nominis tui Domine libera nos,& propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Cur dicant in gentibus, vbi est Deus eorũ? innotescat in nationibus corã oculis nostris.

Vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est, intreat in conspectum tuum gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachij tui libera filios mortis.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinũ eorum, improperium ipsorum, quod exprobauerunt tibi Domine.

Nos autẽ populus tuus, & oues pascuę tuę, confitebimur tibi in sæculum.

In generationem, & generationem annuntiabimus laudem tuam.

EXPLANATIO.

Ne memineris iniquitatuz nostrarum. *Agnoscunt se in has ærũnas propter peccata incidisse: itaq; ad misericordiã Dei supplicter cõfugiũt, seque adiuuari deprecantur, nõ quòd fauore & auxilio digni sint: sed ne sanctissmũ nomẽ Dei, de cuius tutela gloriantur, ludibrio, et despectui sit nationib' ipijs.*

Secundũ multitudinem brachij. Id est. *pro magnitudine potentiæ tuæ conserua incolumes eos, qui iam morti addicti sunt.*

Et

Et redde vicinis nostris septuplũ. *Id est iniurias, quas nobis finitimæ gentes intulerunt, ita persequere, vt calamitas earum existat nostra multis partibus maior.*

ARGVMENT. PSAL. LXXX.

Idem est argumentum huius Psalmi, & superioris: describit autem sub elegantissima allegoria vineæ, res secundas atque aduersas Hebræorum.

Victori ad Sosamin, testimonium, & Psalm. Asaph. LXXX.

QVi pascis Israël, intende, qui deducis velut ouem Ioseph.

Qui sedes super Cherubin, affulge coram Ephraim, Beniamin, & Manasse.

Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos.

Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.

Domine deus exercituum, quousque irascéris super orationem populi tui?

Cibasti nos pane lachrymarũ, & potasti nos lachrymis in maxima mensura.

Posuisti nos contentionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannauerũt nos.

Deus exercituum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.

Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam.

Repurgasti locum illi, & extendisti radices

dices eius,& impleuit terram.

Operuit montes vmbra eius,& rami eius cedros Dei.

Extendisti palmites suos vsque ad mare,vsque ad flumina propagines suas.

Vt quid destruxisti maceriam eius? & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?.

Vastauit eam aper de sylua,& fera agri depasta est eam.

Deus exercituũ reuertere quæso, respice de cœlo,& vide, & visita vitem istam.

Et locũ vineæ,quam plantauit dextera tua,& filium ipsum,quam roborasti tibi.

Incensa est igni & suffossa,ab increpatione vultus tui peribunt.

Sit manus tua super virũ dexterę tuæ, & super filiũ hominis quẽ roborasti tibi.

Et nõ discedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

Domine Deus exercituũ cõuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.

EXPLANATIO.

Qui deducis velut ouem Ioseph. *Iosephũ appellauit pro vniuerso populo, vt etiã in Psalmo qui hunc sequitur, cùm ait, testimonium in Iosepho posuit illud.*

Qui sedes super Cherubin. *Cherubinos significat, qui arcam fœderis seruabant, vnde*

Deus

Deus responsa dare consueuerat.

Affulge coram Ephraim. *Ioseph us charissim⁹ fuit Deo, propterea orās pro salute vniuersi populi, præcipuè mentionē facit familiæ illius, quò magis ad misericordiē moueat Deū.*

Deus conuerte nos. *Alij vertunt Deus redus nos: quorum verborum hæc videtur esse sententia, satis diu fuisti nobis iratus, iam quæso nos reduc tecum in gratiam.*

Cibasti nos pane lachrymarū. *Significat populum in tantis calamitatibus versari, vt illi sint lachrymæ pro cibo, & potione.*

Posuisti nos contētionē. *Id est, per te factū est, vt vicini nostri inter se de nobis cōtenderent, dū quisque nos sibi vendicare studet.*

Vineam de Aegypto. *Gentem Hebræā vineæ comparat, qua similitudine vtitur etiā Esaias.*

Cedros dei. *Id est, proceras et maximas: de hac loquendi figura alio loco explicatum est. Significat autē his verbis gentem Hebræam bello domuisse, ac subegisse maximos principes.*

Extēdit palmites vlq;. *Terminos imperij dicit fuisse mare interi⁹, et fluuiū Euphratē*

Vastauit eam aper. *Impias, & crudeles nationes vocat apros & feras.*

Et filium ipsum. *Sic appellat gentem Hebraā, de qua loquens Dominus in Genesi ait, filiꝰ meꝰ primogenitus Israël. Et apud Oseā,*

ex Aeg

suã ex Aegypto vocauit filiũ meũ, hũc filiũ cor roborauit Deus, & maximè clarũ & illustrẽ reddidit & gloriã nominis sui. Sed possumus ex Hebræo vertere etiã hoc modo, & propagine ipsam, quam roborasti tibi: quod magis cõgruit cum allegoria perpetua Psalmi.

Ab increpatione tua peribũt. *Si (inquit) hæc ira tua perseuerat, profectò gens tua funditus interibit.*

Sit manus tua. *Iam quæso, inquit, manu tua salutari protege homines, quos dextera tua semper tutatus es.*

ARGV. PSAL. LXXXI.

Hortatur populum ad celebrandos dies festos, atque solennes, & ad Deum piè, ac religiosè colendum, commemorans eius præclara in Hebræos beneficia, simulque admonẽs, quantùm noceat religionis contemptus.

Victori ad Githith, Asaph.

Psalmus LXXXI.

EXultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob.

Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium iucundum cum cithara.

Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solennitatis nostræ.

Quia præceptum Israëli est, & iudiciũ Dei Iacob.

Testimoniũ in Ioseph posuit illud, cũ exit

cùm exiret de terra Aegypti linguã, quam non noueram, audiui.

Subduxi ab oneribus dorſum eius, manus eius ab ollis faciendis receſſerunt.

In tribulatiõe inuocaſti me, & liberaui te: exaudiui te in abſcõdito tonitrui, probaui te apud aquam contradictionis.

Audi populus meus, & cõteſtabor te Iſraël, ſi audieris me, nõ erit in te Deus etraneus, neque adorabis Deum alienum.

Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, dilata os tuum, & implebo illud.

Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſraël non attendit mihi.

Et dimiſi eos ſecundũ deſideria cordis ipſorum, ambulauerunt in conſilijs ſuis.

Si populus meus audiſſet me, Iſraël ſi in viis meis ambulaſſet.

Breuiſsimo tempore inimicos eorũ humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.

Inimici Domini mentiti fuiſſent ei, & fuiſſet tempus eorum in ſæcula.

Et cibaſſem illos ex adipe frumẽti, & de petra melle ſaturaſſem eos.

EXPLANATIO.

Buccinate in Neomenia, tuba. *Significare videtur Calendas ſeptimi mẽſis, quẽ appellabant*

bant diem festũ clãgoris, & tubarum: de quo die scriptum est in Leuitico, & Numeris.

Quia præceptum est. *Celebrate inquã hunc diem solẽnem, quoniam id vobis præcepit Deus, & ita iudicauit, & statuit esse faciendum.*

Testimonium in Ioseph. *Hunc (inquit) ritum sacrorum Deus posuit testimonium in Ioseph, id est, lege sanxit, & mãdauit obseruari à potestate Iosephi, nimirum ab Hebræis, quo tẽpore illi ex Aegypto egressi sunt, & Deũ ipsum loquentem audierũt. Hoc enim significat, vt sentit Abrahamus Esdra, cùm ait sub persona populi, linguã, quã non noueram, audiui. Quid verò si populus significet his verbis peregrinationẽ, & seruitutem suam apud Aegyptios aliena lingua homines?*

Subduxi ab oneribus. *Deũ inducit loquentem, & beneficia sua erga Iudæos cõmorantem.*

Manus eius ab ollis. *Nam in eiusmodi operibus efficiendis occupati erant Hebræi, cùm Aegyptiis seruirẽt. Hinc illud in Exodo, Ad amaritudinem perducebant vitam eorũ seruitute dura in luto & lateribus ac omni opere agresti.*

Et exaudiui te in abscõdito tonitrui. *Videtur innuere tonitrua, & tempestatem illam quam excitauit Deus in Aegyptios in mari rubro, de qua in Psal. 77. Quod autẽ dicit, in abscõdito tonitrui, significat se nimbis, & nubibus*

Vnde horrifica illa tonitrua erumpebant, circũfusum affuisse, & pro ipsis propugnauisse.

Probaui te. Cũ tot, ac tanta beneficia à me accepisses, tamen te ingratum & immemorem potentiæ ac misericordiæ meæ ostendisti, cũ ad explorandum animum tuum permisissem, vt te aqua deficeret.

Israël si audieris mẽ. Sæpè admonuimus Hebraã linguam esse admodum angustam, & cõcisam: quæ res magnam sæpe parit obscuritatem, nisi aliqua addantur ad explendas sentẽtias, quod nonnulli hoc loco esse faciendum existimant, vt hi versiculi ad hũc modum explanentur, vel etiam ex Hebræo exprimantur: Si audieris me, si non erit in te Deus extraneus, si non adorabis Deum alienũ (ego enim sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti) dilata os tuũ, & implebo illud: id est, si ea quæ dico, obseruaueris, pete, quicquid optas, neque vnquã repulsam feres.

Et dimisit eos. Nullo ferè maiore supplicio afficere potest Deus illos, qui parere nolunt salutaribus monitis ipsius, quàm si eos patiatur indulgere, atque obsequi cupiditatibus suis, et sua consilia sequi, quibus sibi pestem, ac perniciem machinantur, & comparant: idque tum maximè, cum sibi sapere, ac rebus suis optimè cõsulere videtur. Itaque semper orandus est Deus, vt nos ipse spiritu suo regat, & gubernet, quicunque

que enim ſpiritu Dei ducũtur, & vt ait diuus Paulus, ij ſunt filij Dei, cæteri Deum non propitiũ: ſed iratum habent.

Inimici domini mentiti fuiſſent. *Id eſt, bello domiti ſimulaſſent benevolentiam & voluntariam ſeruitutem. De hac loquendi figura dictum eſt in explanatione Pſalmi 18.*

Et fuiſſet tempus eorum in ſæcula. *Id eſt, eorum populi mei perpetuò floruiſſet. Sic explanant nõnulli. Theodoretus autẽ & Euthymius hoc ad inimicos Dei referũt, & aiunt, hanc eſſe ſententiam horum verborum, impiarum nationum calamitates perpetuas futuras fuiſſe: affirmant enim, vocabulum temporis apud Syros in eam ſententiam accipi.*

Et cibaſſem illos ex adipe. *Hoc verſiculo ſignificare voluit omniũ rerũ affluẽtiã, & agrorum fertilitatem eximiam, ſic in Deuteronomio, ſugeret mel ex petra, & oleum è ſaxo duriſſimo.*

ARGVM. PSAL. LXXXII.

Inducit Deum reprehendentem iudices populi ſui, eóſque acriter accuſantem iniuſtitiæ.

Pſalmus Aſaph. LXXXII.

DEus ſtat in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos iudicat.

Vſquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?

Iudicate egeno & pupillo, humilem, & pauperem iuſtificate.

Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.

Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mota sunt omnia fundamẽta terræ.

Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes:

Attamen sicut homines moriemini, & sicut omnes de principibus, cadetis

Surge Deus, iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

EXPLANATIO.

In synagoga Deorum. *Deos appellare solẽt literæ sanctæ principes, et iudices, propterea quòd eiusmodi administratio sit res quadã diuina, non humana: vt ait Iosaphat in secundo libro Paralip. Hos igitur monet, vt meminerint Deum interesse iudicijs ipsorum, & graue supplicium sumpturum esse de ijs, qui à iustitia, et æquitate declinant.*

Et facies peccatorum sumitis. *Id est, improbis fauetis, & eorum gratiã aucupamini innocentibus opprimendis.*

Iudicate egeno & pupillo. *Id est, illos ab iniuria, & calumnijs improborum prohibete, et tenuiores iniustè in iudicio vocatos absoluite.*

Nescierunt, neque intellexerunt. *Frustra inquit, moneo, neque enim respiciũt, sed in tenebris ignorãtiæ & iniustitiæ perseverãt, hinc fit vt omnis humana vitæ ratio, & ordo peruertatur,*

tur, & omnia plena sint tumultu, & cõfusione.

Ego dixi, Dijestis. *Ego (inquit Deus) vos appellatione mea dignatus sum ob excellentiã officij, quo fungimini, vosq; filios meos nomino, scitote tamen, vos æque ac homines infimos esse morituros, neque magis vitaturos mortẽ, quàm alium quemuis ex principibus, & iudicibus, qui respublicas impiarũ gentiũ administrant: itaque iustitiam, & æquitatem colite, illud intelligentes, vos breui reddituros esse rationem administrationis vestræ. Theodoretus existimat Deũ minari his verbis, iniquos iudices sic casuros, vt diabolus cecidit, qui ob superbiam, & iniustitiã deiect' est de altissimo dignitatis gradu, in quo Deus illum collocarat. Quidam vocabulo principum hoc loco existimant significari tyrannos, qui ad inferos præcipitantur.*

Surge Deus. *Precatur Deum, vt quando omnes iudices à iustitia recesserunt, ipse iudicãdi, & regendi negotium suscipiat misso ad homines filio suo: quod quidem futurũ prouidens subsungit, omnes gentes hæreditate ad Deum peruenturas, quæ prius in potestate diaboli erant.*

ARGV. PSAL. LXXXIII.

Populus orat auxilium Dei contra gentes finitimas, quæ facta conspiratione bellum intulerant.

Canticum Psalmi Asaph. LXXXIII.

DEus ne sileas, ne taceas, neq; quiescas Deus.

Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput.

Aduerſus populum tuum aſtutè excogitauerunt cõſilium, & conſultauerunt aduerſus abſconditos tuos.

Dixerunt, venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſraël vltrà.

Quoniam conſpirauerunt vnanimiter ſimul, aduerſus te fœdus fecerunt tabernacula Idumæorum, & Iſmaëlitæ.

Moab, & Agareni, Gebal, & Amõ & Amalech, Philiſtæi cum habitantibus Tyrũ.

Etiam Aſſur venit cum illis, facti ſunt in adiutorium filiis Loth.

Fac illis ſicut Madian, & Siſare, ſicut Iabin in torrente Ciſſon.

Diſperierunt in Endor, & facti ſunt ſterquilinium terræ.

Pone principes eorũ ſicut Oreb, & Zeb, & Zebée, & Salmana.

Omnes principes eorum, qui dixerunt, hæreditate poſsideamus habitacula Dei.

Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.

Sicut ignis qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes.

Ita proſequere illos tempeſtate tua, & turbine tuo conturba eos.

Imple

Imple facies eorum ignominia, & quærant nomen tuum *Domine*.

Erubescant, & conturbentur in sęculum sæculi, & confundantur, & pereant.

Et cognoscent, quòd nomen tibi *Dominus*, tu solus altissimus in omni terra.

EXPLANATIO.

Deus ne sileas. *Id est, ne scelera impiorum, quæ vides, dissimula, néve te cõtine à supplicio illorum.*

Aduersus absconditos tuos. *Quanquam satis declarasse videm r in explanatione Psal. 31. cur Asaphus Hebræos vocet abscõditos Dei, tamen operæ pretium erit, pauca hæc adiungere. Deus misericordiæ parens salutem piorũ tutissima quidem custodia tegit, ac munit: sed hoc tutelæ genus iàm remotũ est ab oculis humanæ rationis, vt aliquando pij maximè à Deo negligi, & derelinqui videantur, cùm Deus illos maxima cum benevolentia tuetur, denique qui status quæ cõditio, quàm secura, quamq; beatæ sit eorum vita, qui veram pietatem colunt, nemo pietatis expers suspicari potest, nedũ intelligere. iure igitur & merito gentem Hebræam, quæ sola ex omnibus nationibus Deum sanctè venerabatur, Asaphus appellat abscõditos Dei, neq; diuus Paulus ob aliam causam dicere videtur vitam Christianorum in Deo absconditam esse.*

Filius Loth. *Id est, Moabitis, & Ammonitis.*

Sicut Madiam & Sirare. *Exercitũ Madianitarum Gedeon profligauit cæsis ducibus Orebo, & Zebo, & Zebee, & Salmana: quæ historia scripta est in libro Iudicum. Sisara autẽ, vt est in eodem libro, dux fuit copiarum Iabini regis Chananæi, quas copias deleuit Baracus, & Sisaram quidem fugientem interemit Iaël vxor Cabari, Iabinus verò in prælio cæsus est.*

In Endor. *Is locus erat in ea regione, quæ assignata fuit tribui Manasse, vt scriptum est in libro, qui inscribitur Iosue.*

Facti sunt sterquilinium terræ. *Relicti scilicet in agris insepulti.*

Possideamus habitacula Dei. *Id est, vrbes, & oppida Hebræorum.*

Pone illos vt rotam. *Id est, instabiles, & agitatos instar rotæ, hac similitudine vtitur etiam Esaias.*

Et quærant nomen tuum. *Et potẽtiã tuã experti nomen tuum venerabuntur, & soliciti quærent, quis nam sit is Deus, qui hostes populi sui tam acriter vlciscatur.*

Et cognoscent. *Intelligẽt, te vnum esse, cui nomen domini conuenit, quique omnia terrarũ solus gubernas: Deos autem suos, esse Deos inanes & commentitios.*

ARGV. PSAL. LXXXIIII.

Describitur, quàm ardenti desiderio teneretur Dauid adeundi ad templum Dei, à quo abesse cogebatur propter vim inimicorum.

Victori

Victori ad Githith filiorum Core,

Psalmus LXXXIIII.

QVàm dilecta tabernacula tua domine exercituum: concupiscit, & deficit anima mea in atria domini.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Etiam passer inuenit sibi domum, & hirundo nidum sibi, vbi ponat pullos suos.

Altaria tua domine exercituũ, rex meus, & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua domine, perpetuò laudabunt te.

Beatus vir cuius fortitudo in te est, semitæ in corde eorum, transeuntes vallem fletus fontem ponent eam.

Etiam cisternas pluuia replebit, ibũt de fortitudine in fortitudinem, comparebit quisque eorum apud Deum in Sion.

Domine Deus exercituũ exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob.

Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies vna in atrijs tuis, super millia.

Elegi ad limen morari domus Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia sol, & scutum dominus Deus: gra-

tiam, & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine exercituum, beatus homo, qui sperat in te.

EXPLANATIO.

Cõcupiscit, & deficit anima mea in atria domini. *Id est, deficit desiderio adeundi ad tẽplum Dei.*

Etiam passer. *Quidam ex Hebraeis hũc locũ ita explanãt passeribus, & hirundinibus patet aditus ad templum tuum, & apud altaria tua nidos fingunt, at mihi ad ea accedere non licet. Alij uero sic interpretãtur, aues quidẽ inueniũt locum, ubi cũ suis pullis quiescãt: at ego ad aras tuas domine adire nõ possum, in quibus solis ac quiesco. Habet autẽ magnam uim ad exprimẽdum desiderium, & dolorẽ animi oratio illa imperfecta, altaria tua Domine exercituũ.*

Beati qui habitant. *Beatos ait esse sacerdotes, & leuitas, quibus cõcessum sit, in templo Dei dies, noctesq; uersari, & laudes eius quotidianis hymnis celebrare. Beatos item iudicat eos, qui omnem suam uim & fortitudinem in Deo locatam putãt, & propterea semper habent in animo semitas, quae ducunt ad templũ eius, atque illud frequentare nõ intermittunt. Hi quidem iter facientes per loca arida, & sitientia, qualis est Vallis fletus, in ijs puteos fodiunt, & cisternas ad colligendam aquam pluuiam, ut*

com

cõmoditate itineris homines magis incitentur ad frequentẽ dã adẽ Dei, neq; verò longitudine viæ fatigantur, sed ob singularem animi alacritatẽ inter eundum magis, ac magis vigẽt, donec perueniãt ad Sionem. Sunt multæ aliæ explanationes horũ versuum, sed ea, quam nos proposuimus, in primis cõuenire videtur argumẽto hymni. Vallis fletus mentio fit in libro Iudicum.

Exaudi orationem meam. *Quæ precor mihi, & meis aditum patere ad templum tuum.*

Et respice in faciem Christi tui. *Aspice (inquit) vultu placido seruum tuum supplicantem, quem tu regem populi tui constituisti.*

Quia melior est dies vna. *Opto, inquã, & votis omnibus expeto, mihi facultatẽ dari accedẽdi ad templum tuum, quoniam dies vnus in atrijs tuis piè sanctéq; actus, anteponẽdus est sexcentis annis: itaque malim ego ad limina domus Dei mei despectus iacere, quàm cõmorari in ædibus magnificentissimis impiorum.*

Quia sol & scutum Dominus Deus. *Dominus est sol, mentes hominum suo prospero, & salutari lumine exhilarans, augens, nutricans, sensu iustitiæ, ac pietatis afficiens, omnesque errorum, & ignorantiæ tenebras pellens. Dominus est scutum firmissimum, quo piorum innocentia protecta, neque violẽtis rerum aduersarum ictibus concutitur, neque vllis improborum, aut mortis, aut diaboli oppugnationibus*

frang

frangitur. Dominus est liberrimus, & perennis omnium bonorum fons, à quo manat ad cultores suos gratus, & amabilis animi cãdor, vera sanctitas, solida gloria, dulcissima pax, vita denique beata, & sempiterna. Summe omnium rerum prepotens rector & domine, beatus ille, qui omnem suam spem in tua bonitate & misericordia collocat.

ARGV. PSAL. LXXXV.

Vaticinatur, tempus fore, cum Deus per vnigenã filium suum liberabit genus humanum asperrima tyrannide diaboli, & in terris misericordia, veritas, pax, & iustitia florebunt. Qui verò prædictionem huius hymni pertinere existimant ad reditum Hebræorum ex Babylone, facile coarguuntur, cùm historiæ illi non conueniant, quæ hic prædicuntur.

Victori, filiorum Core Psalmus. LXXXV.

BEnedixisti domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tuæ.

Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Nónne tú conuersus viuificabis nos? & plebs tua lætabitur in te?

Ostén

Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur Dominus Deus, quoniam loquetur pacē super plebē suam.

Et super sanctos suos, & non reuertentur ad stultitiam.

Vtique prope timentes eum salutare ipsius, vt habiter gloria in terra nostra.

Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est, iustitia de cœlo prospexit.

Etiam Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.

Iustiria coram eo ambulauit, & ponet in via gressus suos.

EXPLANATIO.

Benedixisti. *Admonuimus alio loco, quæ verborum voces tempus præteritum, aut instans, aut futurum indicant, eas voces apud scriptores Hebræos ita vim & notionem inter se communicare, vt præsentia verbis etiam tempus veniens, aut præteritum significantibus exprimantur: & quæ res euentura prædicuntur, earum rerum tempora si formam ipsarum vocum spectes, nonnunquā præterijsse videantur, itaq; nemini mirum videri debet, si res multis post sæculis futura exponatur in hoc hymno, perinde quasi iam facta esset. Sed nonnulli interpretes*

Lati

Latini cùm animaduerterent, eam rẽ magnã saepe obscuritatem parere quoties huiusmodi loci incíderent, illos sic conuerterunt, vt proprietas, & vsus Latinæ linguæ postulabat: quam interpretandi rationem qui sequuntur à doctis, & eruditis iure laudãtur. Verum ad ipsam verborum explanationem veniamus.

Benedixisti Domine terram tuam. *Id est, populum tuum diuinis, & cælestibus donis affícies, cùm è cælo miseris vnigenam filium tuũ. Hoc ita euenisse, vt hic prædictum est, gratulatur diu' Paulus his verbis in epistol. ad Ephes. scripta, Benedictus Deus & pater Domini nostri* IESV *Christi, qui benedixit nos omni benedictione in cælestibus, in Christo.*

Auertisti captiuitatem Iacob. *Id est, populũ tuum à seruitute diaboli, & peccati, & mortis eripies, quæ de re sic Zacharias pater Ioãnis Baptistæ in illo pulcherrimo hymno, quẽ cecinit lætãs, Deum iã exequi, quod hic prædicitur. Benedictus (inquit) Domin' Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ, & erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum suorum fore, vt seruaremur ab inimicis nostris, & de manu omniũ, qui oderunt nos.*

Remisisti iniquitatem plebis tuæ. *Id est, illi cõdonabis omnia peccata, simulatq;* IESVS

Chri-

Christus illa suo purissimo sanguine expiarit. Hinc illud apud diuum Lucam, Et vocabis nomen eius IESVM, *is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis.*

Mitigasti omnem iram tuam. *Hoc est, reconciliasti te hominum generi, cui multa iam sæcula grauissimè iratus, atq; infensus es. Quomodo autē facta sit hæc reconciliatio, docet diuus Paulus his verbis in epistol. quā scribit ad Romanos, Commēdat autem suam charitatem erga nos Deus, quòd cū adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est, multò igitur magis iustificati nūc sanguine ipsius seruabimur per eum ab ira: nam si, cū inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortē filij eius, multò magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius.*

Conuerte nos. *Hactenus diuina prædictio, nūc vates sanctus nomine totius populi precatur, vt quæ Deū facturum esse, in superioribus versibus prædixit, ea Deo maturet perficere: Tu (inquit) ex cuius misericordia pendet omnium salus, conuerte mentes, & voluntates nostras, ad te, ad quem nemo sponte sua potest conuertere: sic Hieremias, conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus meus es: postquàm enim conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquàm ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum, & erubui.*

Nónne tu cōuersus viuificabis nos? *Nónne tu*

ne tu, inquit, reconciliatus vitam nobis salutēq; dēnabis? Hæc interrogādi formula vim asseverandi habet, vt etiā in Psalmo 139. Nónne qui oderunt te Domine, odio habui, & cōtra inimicos tuos ira excandui? Quid autem hoc vinificā di verbo intelligat vates sanctus, explicat hoc modo diuus Paulus in epistola ad Ephe. scripta, Deus, qui dives est in misericordia propter multam charitatem suā, qua dilexit nos, etiam cū essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos vnà cū Christo (per gratiam estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit: & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes in Christo IESV.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam. *Ostēdere misericordiā in literis sanctis, est illam tribuere: sic diuum Paulum ait in Euāgelio patefieri iustitiam Dei, cū dicere velit, illam Euangelium amplectentibus impartiri.*

Audiam, quid loquatur Dominus Deus. *Vates sanctus post piam precationem aures animi attentas adhibet ad oraculum Dei: quisquis enim puris, & casta mente precatur, sine dubio responsum, & illud quidem gratissimum, fert à spiritu Dei.*

Quoniam loquetur pacem super plebem suam. *Id est promittet pacem, & omnia prospera, & secunda populo suo. Eā verò pacē significat, quam cœlites prædicauerūt, cùm nascente Christo canerent, Gloria in altissimis Deo, &*

inter

in terra pax, hominibus bona voluntas. Hunc optatissimum pacis nuncium postea nunciarũt Apostoli toto terrarum orbe: de quibus Esaias, Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona! Quam verò pacẽ nunciarunt: diuus Paulus his memorabilibus verbis exponit; Deus reconciliauit nos sibi per IESVM *Christum, deditq; nobis ministeriũ reconciliationis, quandoquidem Deus erat in Christo mũdũ reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua, & posuit in nobis sermonẽ reconciliationis. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo vos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliamini Deo: cùm enim, qui non nouit peccatum pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Hæc quidem nunciarunt Apostoli omnibus terrarum oris. sed nõ omnes eorum verbis fidẽ habuerũt: Esaias enim sub ipsorum persona loquens ait, Domine quis credidit sermonibus nostris? propterea vates ait, loquetur pacem super plebem suã, & super sanctos suos: intelligens, hac cælesti pace vsuros tantummodo homines sanctos, & populum Dei, id est, illos qui veritatem Euangelij approbantes eã re Deo chari, & sancti fiunt, quemadmodum Christus ait apud Ioannem: Pater, sanctifica eos per veritatem tuam, sermo tuus veritas est. Nam quod subiungitur, & non reuertẽtur ad stultitiam, id significat, eos, qui Euan-*

gelium verè amplectuntur spiritu Christi afflatos auertere animum à vitijs, & insanis cupiditatibus, & multam salutem dicere humanæ sapientiæ, quam diuus Paulus asseuerat stultitiã esse apud Deum.

Vtique prope timentes eum salutare ipsius. *Præsto est inquit, Dominus auxilio suo ijs, qui verentur, & colunt sanctissimũ numen ipsius, itaq; ille miseratus calamitates nostras è cælo mittet ad nos liberandos filium suum, vt aliquando gloriaturi simus, gloriam Dei incolere terrã nostram, séque videndum oculis mortalium præbere, & cum ciuibus nostris familiarissimè versari. Hoc autem perfectum esse, prædicat diuus Ioannes his verbis, Verbum caro factum est, & habitauit inter nos, & vidimus gloriam eius, gloriam veluti vnigeniti à patre, plenum gratia, & veritate.*

Misericordia, & veritas obuiauerũt sibi. *Satis perspicuum est, latem in hoc versu, & in eo, qui proximè sequitur, de re futura tanquam de præterita loqui. Significat autem his elegantissimis verborum figuris, eas virtutes quarum mentionem facit, inter se coniunctas fore beneficio Christi, per quem misericordiam consecuti sumus à Deo, & cognitionem veritatis, idemq; nos iustos reddidit ex iniustis, & Deo reconciliauit, atque ita iustitia, & pax inter se osculatæ sunt: propterea subiungitur, Veritatem ex terra*

terra orituram, id est, mortales Euangeliũ, & veram religionem amplexaturos, & iustitiam è cœlo prospecturam, hoc est, Deum illos in gratiam recepturum, et veræ iustitiam donaturũ: iustitiam enim cælestem vocant iustitiam fidei, per quam Deus hominibus non solũ omnia peccata condonat, sed etiã suum spiritum sanctum impartitur, eosque sibi filios adoptat, & promptos, alacres, ac paratissimos ad omnia virtutis officia reddit.

Etiam Dominus dabit benignitatem. *Id est, humano generi benignè faciet, & terra nostra, quæ adhuc sterilis, inculta, atque horrida fuerat, uberrima fiet, ac feraciſsima, quem verò fructum latura sit, explicat subiungens, iustitiam coram Deo ambulaturam, hoc est, salutã, & germanam iustitiam in animis mortalium spiritu Christi renouatis, & exultis regnaturam: semper enim illorum oculis obuersabitur Deus, & summa semper diligentia cauebunt, ne aberrent à via pietatis, quæ ducit in cœlum.*

ARGV. PSAL. LXXXVI.

Precatur hoc suauissimo carmine Deum, vt se tueatur ab insidiis inimicorum, & animum suum amore virtutis, & pietatis accendat, simulque prædicat potentiam, & misericordiam eius.

Oratio Dauidis, Psalmus LXXXVI.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops, & pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine quoniã ad te clamabo tota die, lætifica animam serui tui, quoniã ad te Domine animã meã leuaui.

Quoniam tu Domine benignus, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

Auribus percipe Domine orationẽ meã, & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudisti me.

Non est similis tui in Diis Domine, & non est secundùm opera tua.

Omnes gentes, quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus.

Doce me Domine viam tuam, & ingrediar in veritate tua: vni cor meum, vt timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomẽ tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus,

Deus iniqui insurrexerunt aduersum me, & congregatio potentium quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator, & misericors, tardus ad iram, & multæ misericordiæ, & veritatis.

Respice in me, & miserere mei, da fortitudinem tuam seruo tuo, & saluum fac filiũ ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, vt videant, qui oderunt me, & confundantur quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

EXPLANATIO.

Inclina Domine aurem tuam. *Aures, inquit, attẽtas adhibe ad precationem meam, & fer opem supplici misericordia tua, quoniam inops consilij, et omni humano præsidio destitutus sum ego. Tuere quaso vitã meam, quia pietati, et innocentiæ deditus sum: incolumem serua famulum tuum, cuius omnis spes nititur benignitate tua.*

Non est similis tui in Diis. *Id est, nemo de ijs, qui Dij nominãtur: tecũ est cõparandus, neque potest quisquã imitari opera tua, quãobrẽ futurum est tandem, & omnes gentes te solũ colant repudiata superstitione, & à Christo ad veram pietatem & religionẽ perducantur.*

Et ingrediar in veritate tua. *Hanc sententiam explicauimus in explanatione Psal. 26.*

Vni cor meum. *Vt scilicet abiecta omni alia cogitatione & studio: te vnũ amem, & colam, & in omnibus rebus nihil nisi te vnum respiciam.*

Et eruisti animam meam ex inferno inferiori. *Id est, ex grauissimis periculis, & morte certa, & manifesta.*

Et saluum fac filium ancillæ tuæ. *Significat, se ex pijs, & religiosis parentibus ortũ esse. Vel potius exaggerat seruitutem, nã filius ancilla verna est.*

Fac mecum signum. *Ede, inquit, illustre aliquod signum tuæ erga me beneuolentiæ. Vt vel inimici mei fateri cogantur, me tibi charissimum esse.*

ARG. PSAL. LXXXVII.

Celebrat Hierosolyma, & ecclesiam Christi, quam hæc vrbs significat, simulque prædicit, veram religionem toto terrarum orbe propagandam.

Filiorum Core Psal. Cantici LXXXVII.

Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.

Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.

Memor ero Raab, & Babylonis cum scientibus me.

Ecce Palæstina, & Tyrus, & populus

Aeth

Aethiopum, ille natus est ibi.

Et de Sion dicetur, homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.

Dominus numerabit scribēdo populos, ille natus est ibi.

Et cantores sicut tibicines, omnes scaturigines meæ in te.

EXPLANATIO.

Hic hymnus admodum obscurus est, neque ego quicquam habeo, quod pro certo polliceri queam huic obscuritati lucē aliquam allaturū. Reliquum est igitur, vt eā explanationem, quæ probabilior, & magis cōsentanea pietati videatur, adhibeam, magnam gratiam habiturus, si quis meliora docuerit.

Fundamenta eius in montibus sanctis. *Posita fuisse Hierosolyma in collibus constat ex historia sacra, & descriptione Iosephi in lib. 6. de bello Iudaico: sed etiam ecclesia Christi, quā ciuitas hæc significabat, fundata est in eisdem montibus, quatenus scilicet ibi ortum habuit.*

Diligit Dominus. *Erat quidem Iudæa vniuersa Deo cōsecrata, sed ille Hierosolyma cæteris omnibus locis lōgè prætulerat, fēceratq; vt ibi domicilium esset amplissimi sacerdotij, & regiæ dignitatis: sed ista rerum futurarū vmbræ erant, corpus autē Christi: qui rex, & sacerdos à Deo constitutus est Hierosolymorum cœlestium, id est, ecclesiæ sanctæ. Deus diligit super*

omnia tabernacula Iacob, id est, longè charioꝛem habet, eam quàm vnquam habuerit vniuersam synagogam Moſis.

Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. *Præclara, inquit: & glorioſa de te vaticinãtur homines ſancti, ſcilicet tẽpus fore, cùm Deus intra mœnia tua ſeſe vidẽdum mortalibus præbebit, & cũ ciuibus tuis cõiunctiſſimè verſabitur, quàm verò glorioſa, illuſtria, & magnifica prædicta ſint ab eiſdem vatibus de eccleſia Chriſti, quæ ſpiritu Dei regitur et gubernatur, atq; ob eam cauſam ciuitas Dei, & Hieruſalẽ cœleſtis nominari ſolet, nemo literarum diuinarum ſtudioſus eſt, qui neſciat. Illud certè inter cætera prædixerunt, ipſam omnibus terrarũ oris filios paritura, qui filij Dei nominarẽtur, & eſſent, quem partum celebrant verſiculi, qui ſequũtur, cùm enim ait: memor ero Raab, et Babylonis, Deum ipſum inducit loquentẽ, ac pollicentem ſe Aegyptios, & Babylonios, et cæteras nationes ad eccleſiã ſuam aggregaturum: quarũ nationum videbatur oblitus, cùm illas paterꝛetur in maximis errorum tenebris verſari, ſed poſſumus vertere hunc verſiculum etiã ad hũc modũ, Faciam meminiſſe Raab, & Babylonis eoꝛ, qui nouerũt me, quæ verba tamen eandem ſententiam continent: ſignificat enim ſe miſſurũ Apoſtolos, qui eas gentes ab impura, & impia ſuperſtitione traducant ad caſtiſſimum ſui*

numi-

numinis cultũ, plenissimãq; sanctitatis religionem. Quòd verò sanctus vates subiungit, Ille natus est ibi: videtur indicare, omnes gẽtes sese cõiunctaras cum ecclesia Hierosolymis instituta, propterea quia insignis ille ab omnibus pijs expectatus, in ijs locis oriturus, suumque regnum initurus sit: quibus de rebus explicatum est in explanatione Psalmi 2. Itaq; ortus Christi fecit, vt quãplurimi & Hierosolymis, et ceteris omnibus in locis nascerẽtur ex semine immortali, vt ait diuus Petrus: per verbum Dei viuẽtis, & manentis in aternũ. Hoc significat, cùm ait, & de Sion dicetur homo, et homo natus est in ea. Sionis autem nomine intelligi in literis sanctis non vrbem Iudæorum modo, sed etiam ecclesiã Christi, notissimum est omnibus. itaque quòd addit ipsam Sionẽ à Deo fundatam esse, id intelligi vult, quod posteà res ipsa docuit. Ecclesiã Christi non artificio hominum, sed sapientia Dei cõstitutam esse, et propterea perpetuò permansuram neque vetustate deleri, aut vlla hostium oppugnatione opprimi posse, quod vtrunque eleganter expressit apud Matthæum ipse Christus, cũ diceret, se ædificaturũ ecclesiam suam: neque portas inferorum ad eã euertendam vim vllam habituras. At cùm dixisset, ecclesiam fœcundissimam fore, & sobolẽ suam toto terrarũ orbe propagaturam, rectè subiungit, Dominus numerabit scribendo popu-

los, id est recensebit omnes, qui nati fuerint in Sione, & nomina eorũ scribet, qui repudiatis falsis Dijs religioni sanctæ adhæserint, significat autem hoc dicendi modo, Deum omnium, quicunque erunt veri Christiani summam rationem habiturum, quinetiam hæc translatio sumpta videtur à rege, qui conscribat exercitum: neque profectò aliud est ecclesia sanctorũ, nisi exercitus ex hominibus omnium ordinũ, & nationum comparatus, qui duce Christo continentia bella gerit cũ principibus, & rectoribus tenebrarũ vitæ huius: qua de re diuus Paulus scitu dignissima scribit ad Ephesios. Et quoniã ortus Christi tantarum rerum origo, & causa extitit, propterea à repetitũ est, ille natus est ibi.

In fine hymni iterum orationẽ cõuertit ad Sionẽ, promittens, cantores similiter atque tibicines omne suum studium collocaturos ad celebrãdas laudes ipsius, quam Deus tam charam, acceptamq; habet. Quinetiam, inquit, quicquid carminis vena ingenij mei profuderit, id ego omne tibi consecro & dico. Simile est illud poëtæ Latini Sed tamen exiguo quodcunque ex pectore venit Fluxerit, hoc patriæ seruiat omne meæ.

ARGV. PSAL. LXXXVIII.

Psalmus est plenus affectibus, & querelis, quo narrat calamitates suas acerbissimas, & misericordiam Domini implorat.

Canticum Psalmi filiorum Core, Victori

ad

ad Mahelath propter afflictionem, Eruditio Eman Ezraitæ. Psal. LXXXVIII.

DOmine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te.

Intret in conspectum tuum oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.

Aestimatus sum cum descendentibus in foueam, factus sum sicut homo sine fortitudine, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum nulla amplius supereſt memoria, & ipsi à manu tua abscisi sunt.

Posuisti me in lacu inferiori, in locis tenebrosis, & profundis.

Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longè fecisti notos meos à me: posuisti me abominationem ipsis.

Clausus sum, & egredi non possum, oculi mei languerunt præ afflictione.

Clamaui ad te Domine, tota die expãdi ad te manus meas.

Nunquid mortuis facies mirabilia? aut mortui resurgent & confitebuntur tibi?

Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?

Nun-

Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?

Et ego ad te Domine clamaui, & mane oratio mea præueniet te.

Vt quid Domine repellis animã meam? auertis faciem tuam à me?

Afflictus sum ego, & expiranti, similis: ab adolescentia tuli terrores tuos, trepidaui.

Super me transierunt iræ tuæ, & terrores tui oppresserunt me.

Circundederunt me sicut aqua, tota die circundederunt me simul.

Elongasti à me amicum, & proximum: & notos meos in tenebris posuisti.

EXPLANATIO.

Inscriptio indicat. *Hoc carmen datũ fuisse ad canendum ordini cãtorum, qui à Core prognati erant, conditum autem ab Hemane, quẽ summa sapientia praditum fuisse, scriptum est in lib. 3. Regum.*

Domine Deus salutis meæ. *Precatio est hominis, qui in summas angustias adductus, et horribili calamitatũ tempestate iactatus, nihil aliud cernit nisi mortem, atque inferos: quippe qui non homines solùm, sed etiam ipsum Deum grauissimè iratum, atque infestum experitur: ad quem tamen confugit tanquam ad portũ, & in maxima omnium rerum desperatione, salutis*

lutis ſuæ ſpem reponit in eo, quẽ ſibi cenſet inimicum. Hoc nemo mortalium ſua ſpõte facere poteſt, ſed ſpiritus eius, qui percutit, ſupplicat pro percuſſo gemitibus inenarrabilibus, & vt inquit diuus Paulus.

Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in foueam. *Id eſt, adnumeror ijs, quorum cadauera demittuntur in ſepulchrum.*

Inter mortuos liber. *Euaſi inquit, ijs ſimilis, qui iam ſunt ad mortuos aggregati, & liberi ab ijs rebus, quæ pertinent ad hanc vitam.*

Poſuiſti me in lacu. *His allegorijs exaggerat magnitudinem calamitatum ſuarum.*

Clauſus ſum. *Iam, inquit, circumuentus ſum erumnis intolerandis, neque vlla datur euadendi facultas.*

Nunquid mortuis. *Oſtendit ad gloriã Dei pertinere, vt homines pij & religioſi diu viuãt.*

In terra obliuionis. *Sepulchrum, vel inferos appellat terram obliuionis, quoniã mortuorum memoria citò interit.*

Notos meos in tenebris poſuiſti. *Id eſt, tanquã tenebris obductos ab oculis meis remouiſti. Hic Pſalmus valde notabilis eſt: quoniam ſolus ex omnibus à principio vſque ad finẽ, nulla interpoſita ſpiritus cõſolatiõe, plenus eſt querelarum, mæroris, et luctus, ſed illud in primis in eo dignũ obſeruatione eſt, quòd vir ſanctus tãtis rerum aduerſarum vndis obrutus, Deo tamen*

mẽ fidere nõ intermittit, ſed quo magis ille quic quid conſolationẽ in ſe habet, afflictio eripit, & quicquid dolorem auget, accumulat, hoc magis ipſe noctes, & dies nomẽ illius ſupplici ter inuocat, & malis omnibus vrgentem aſſiduis precibus vrget, neque in ſumma deſperatione deſperat: ex quo intelligitur, Deum ne tum quidem pios derelinquere cùm ipſi derelicti, et proiecti ſibi videntur ab illo qui ſuos grauiſſimè ſolet affligere, vt caro extinguatur, ſpiritus viuat.

ARGV. PSAL. LXXXIX.

Prædicat potentiam, & benignitatem Dei erga ſuos: deinde commemorat promiſſa illius præclara, Dauidi poſteriſque eius facta: poſtremò queritur Deum, quaſi oblitum eorum promiſſorum, vrbem ſanctam impiis euertendam tradidiſſe, regiamque poteſtatem ſublatam, & populum ipſum in maximas miſerias incidiſſe.

Eruditio Etham EZraitæ,

Pſalm. LXXXIX.

MIſericordias Domini in æternum cantabo.

In generationem, & generationem annuntiabo veritatem tuam ore meo.

Quoniam dixi: in æternum miſericordia ædificabitur, in cœlis ipſis ſtabilies veritatem tuam.

Pepigi fœdus cum electo meo, iurani Dauid ſeruo meo, vſque in æternum ſtabiliam ſemen tuum.

Et

Et ædificabo in generationem, & generationem solium tuum.

Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Quoniam quis in cælo æquabitur Domino? quis similis erit Domino inter filios Deorum?

Deus maximè tremendus in consiljo sanctorum, terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt.

Domine Deus exercituum, quis similis tibi in potentia ò Domine? veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris superbiæ maris, cùm attollit fluctus suos, tu compescis eos.

Tu confregisti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem, & meridiem tu creasti.

Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt brachium tuum cum potentia.

Inuicta est manus tua, sublimis est dextera tua, iustitia, & iudicium habitaculum solij tui.

Misericordia & veritas præcedunt faciē tuã: beatus populus qui scit iubilationem,

Dom

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabũt tota die, & in iuſtitia tua exaltabuntur.

Quoniam gloria fortitudinis eorum tu es, & pro tua benignitate exaltabis cornu noſtrum.

Quia Domini eſt clypeus noſter, & ſancti Iſraël rex noſter.

Tunc locutus es in viſione ſanctis tuis, & dixiſti, poſui adiutorium ſuper potente, & exaltaui electum de plebe mea.

Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum.

Manus enim mea firma erit cum eo, & brachium meum roborabit eum.

Non opprimet inimicus eum, & filius iniquitatis non affliget eum.

Et concidam à facie eius inimicos eius, & odientes eum perdam.

Et veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo, & nomine meo exaltabitur cornu eius.

Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.

Ipſe inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus, & adiutor ſalutis meæ.

Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ.

In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & fœdus meum fidele ipſi.

Et po-

Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli.

Si autẽ dereliquerint filij eius legẽ meã, & in iudicijs meis non ambulauerint,

Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint,

Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.

Misericordiã autem meã nõ dispergam ab eo, neque falsam reddam veritatẽ meã.

Neque profanabo fœdus meum, & quæ procedunt de labijs meis, non mutabo.

Semel iuraui per sanctitatem meã, si Dauid mẽtiar, semen eius in æternũ manebit.

Et thronum eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna stabilietur in æternũ, & testis in cœlo fidelis.

Tu verò repulisti, & abominatus es, accensus es ira contrà Christum tuum.

Euertisti fœdus serui tui, profanasti in terra diadema eius.

Destruxisti omnes macerias eius, posuisti munitiones eius in confractionem.

Diripuerũt eum omnes trãseuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis.

Exaltasti dexteram deprimẽtium eum, lætificasti omnes inimicos eius.

Auertisti etiam aciem gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello.

Destruxisti munditiã eius, & solium eius in terram collisisti.

Abbreuiasti dies iuuentutis eius, operuisti eum confusione.

Vsquequo domine auertes te semper? exardescet sicut ignis ira tua?

Memor esto, quãti æui sum ego, nũquid frustra creasti omnes filios hominum?

Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi?

Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ domine, quas iurasti Dauid in veritate tua?

Memor esto domine opprobrij seruorũ tuorum, portaui in sinu meo omnia opprobria multarum gentium.

Quibus affecerũt nos inimici tui domine, quibus affecerunt vestigia Christi tui.

Benedictus dominus in æternum, fiat fiat.

EXPLANATIO.

Misericordia domini. *Cùm gens Hebræa maximis calamitatibus premeretur, atque omnia cõtrà ac promiserat Deus, euadere videretur, poterat facilè in dubium venire misericordia & fides illius. Ac vir sanctus ait, tantum abesse, vt ipse vllarum rerũ aduersarum acerbitate adduci possit ad suspicandum minus piè de diuino numine, vt fidẽ, & misericordiã eius ca-*

tatur

taturus in perpetuum, et suis versibus omni memoriæ sit propagaturus.

Quoniam dixi. *Id est, mihi persuasi, misericordiam tuã in perpetuo duraturã, & semper augẽdam, & amplificandam esse: & veritatẽ, ac fidem tuam in persoluendis promissis nũquã labefactatã iri, sed stabilem fore ac sempiternam perinde ac cælum.*

Percussi fœdus. *Deum facit loquentem.*

Vsque in æternũ stabiliam semen tuum. *Hoc est fœdus, quod Deus cum Dauide, & posteris eius fecit. Id fœdus multis verbis describitur infrà, & in libro 2. Regũ cap. 7. Semen autem Dauidis est Christus, qui regnat in perpetuum, & ecclesia piorum, quæ in omne tempus vigebit, atque eo sempiterno fruetur.*

Confitebuntur cœli. *Et cælites (inquit) et homines pij semper prædicabunt tua facta admirabilia, & fidem, & bonitatem numinis tui.*

Quoniam quis in cœlo æquabitur domino? *Prædicat potentiã & fidem Dei, vt ostẽdat nõ esse dubitandum quin ille, & possit, & velit præstare, quod pollicitus est.*

Inter filios Deorum. *Filios Deorum dixit, cùm Deos dicere vellet sicut filios hominum appellare solet pro hominibus. Deos autem vocat, vt alio loco admonuimus, mentes illas cœlestes, ab omni cõcretione mortali segregatas, quos Angelos quoq; nostri vsurpare, ac nominare solẽt.*

Et veritas tua in circuitu tuo. *Id est, non solùm potentissimus, sed etiam veracissimus es, ipsaq; veritate tanquàm veste indueris.*

Tu confregisti. *Id est, Pharaonem illum arrogantẽ cum vniuerso exercitu tam facilè perdidisti, quàm facilè interficitur homo, qui tã vulneribus confectus sit.*

Thabor & Hermon. *Id est, oriens atq; occidens: nam Thabor situs est ad ortum, Hermõ verò ad occasum: hi sunt montes insignes terræ Iudææ.*

Inuicta est manus tua. *Sic etiã vertit Symmachus.*

Iustitia, & iudicium habitaculum solij tui. *Id est solium tuum in media iustitia, & æquitate situm est: & misericordia, & veritas sunt satellites tui.*

Beatus populus, qui scit iubilationem. *Beatus (inquit) populus, qui hæc intelligit, et vera solidáque lætitia fruitur, quam parit hæc præstantissima Dei cognitio. Sed verbum Hebraeum, quod Latinus interpres reddidit iubilationem, significat clangorem tubarum: itaque nõnulli sic explanant hunc locum, beatum esse populum, qui intelligit, Deum apud se versari. Videtur autem imitatus Mosem, qui in Numeris de populo Deo loquens, ait, Dominus Deus eius cum eo est, et clangor regis cum illo: sic enim legendum est ex Hebræo, itaque vt Moses, cùm*

signi

significare vellet, Deum apud Hebræos esse, dixit, clangorem regis cum ijs esse: ita vir sanctus hoc loco: cum dicere velit, beatum esse populum qui intelligit Deum apud se versari, qui tã potens, tam iustus, tam misericors, tã verax est, dicit, beatus populus, qui scit clangorẽ. Hæc orationis exornatio sumpta est ex historia: nã cum Deus è cælo descendisset ad ferendas leges Hebræis præsentiam suam buccinarum cantu declarauit: solent enim vates sancti, orationis ornamenta ex historijs & rebus gestis effingere: vt est illud Dauidis, Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum: & illud, Holocaustum tuum in cinerem conuertat: item illud, Abscondit me in tabernaculo suo, de quibus verborũ figuris suis locis explicauimus. Sed quis populus hunc clangorem audit, & cognoscit? ille nimirum, qui Deum pro certo habens sibi semper adesse, in illius præsidio, & tutela securus, & lætus conquiescit. Hunc populum vir sanctus beatum appellat, & talem esse demonstrat subiungens, Domine in lumine vultus tui ambulabũt. Fœlices (inquit) & verè fortunati, qui te domine propitium, & præsentem habent: semper illis per has tenebras, & vias vitæ difficiles ingrediẽtibus splẽdor tui spiritꝰ clarissimũ lumẽ ostẽdit, atque in animis eorũ tam ardentes amores excitat omniũ virtutũ, vt nihil ijs iucundius, nihil amabilius videatur, quã piè, in

ſtè, ac temperāter viuere, neque tamen iſti virtutes ſuas admirātur, aut gaudēt in ſeipſis, ſed omnis eorū admiratio et lætitia in nominis tui cognitione verſatur, & meritò quidē, neq; enim ſua iuſtitia extollūtur ſed tua: tua inquā iuſtitia iacētes, & abiectos erigit, atq; ad altiſſimū gradum dignitatis extollit: omnia illorū peccata delēs, mentes & voluntates ſanans, cōſcientias lætas et trāquillas reddēs. ſpiritu ſanctō, regno cæleſti, et vita ſempiterna donās, itaq; quòd cupiditates temerarias coercent, quòd timores omnes, & omnes ſolicitudines pellūt, quòd neq; rerū aduerſarū ictibus franguntur, neq; oppugnationibus humanæ ſapiētiæ de gradu pietatis deijciūtur, totū id referunt acceptū miſericordiæ tuæ quæ animos piorū ita corroborat, & confirmat, vt eorū virtutem, excelſo & illuſtri loco ſitam, nulla neq; hominū, neq; diaboli labefactare poſſit improbitas. Sed cur dominus tam beneuol⁹, et liberalis eſt aduerſus homines pios? quia regem, & clypeum illorum charisſimū habetis Chriſtū, ad cuius tutelam, & regnū pertinent homines ſancti omnium ſæculorum. Hos Deus propter Chriſtū ſuum ab omni æternitate ſibi filios adoptauit: quos autem, antequàm naſcerentur, adoptauit, hos in lucē editos ad pietatem vocat, vocatisq; iuſtitiā primum, deinde vitam immortalem donat. Itaque ſi quis omnium memoria pios interrogat, cur habuerint, atque

in

in perpetuũ habituri sint Deũ fauentẽ & propitiũ? sine dubio respõdeat, qui a domini est clypeus noster, & sancti Isr. eius rex noster, quòd si quis extra tutelã, & regnũ Christi est, is neq; Deo charus neq; saluus est potest, idque ita esse, populus Dei semper sensit, vt auctor est diuus Petrus in actis Apostolorum. Sed nõnulli existimant, ipsum Dauidem clypeum populi, & regẽ appellari, quorum sententia num probanda sit, haud equidem scio: cùm præsertim hoc carmen scriptum sit pro posteris Dauidis, qui amisso regno i maximis calamitatibus versabatur, quòd si intelligatur ij versus eo modo, quo nos interpretati sumus, ea plana & perspicua existũt.

Posui adiutorium super potente. *Id est, semper ero præsto, semper opem feram Dauidi, qui potens est propter gratiam meam.*

Manus enim mea firma erit cum eo. *Id est, nunquam illũ deseruet, semper illũ proteget,*

Non opprimet inimicus eum. *Saulem significat, & eius assẽclas.*

Et ponam in mari. *Id est subijciã eius imperio loca maritima, & flumina lõginqua, quod quidem perfecit Deus, cùm Dauid eius auxilio subegit Palæstinos, qui ad mare incolunt, & Syros vsque ad fluuium Euphratem, & stipendiarium habuit Mesopotamiam, quam Syriam fluminum appellabant.*

In æternum seruabo. *Id est, nõ repudiabo.*

illum, quemadmodum Saulem, sed fœdus quod cum illo feriam, stabile ac sempiternum erit.

Et ponã in sæculum sæculi semẽ eius, & thronum eius sicut dies cœli. *Hæc nullo modo vera esse possunt, nisi referãtur ad Christum, qui natus est in familia Dauidis, & regnat in perpetuum, neq; in aliã sententiam explanauit hoc oraculũ Gabriel, nuncius & interpres Dei, is enim Mariam virginem his verbis affatur apud Lucam, Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: is erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris ipsius, regnabitque super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Si Dauid mentiar. *Id est, nequaquàm Dauidẽ fallam: nam hoc verbum, si, apud Hebræos aliquando vim negandi habet, hinc etiam illud in Psalmo 95. Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

Semen eius in æternum manebit. *Christus scilicet, & ecclesia piorum,*

Et thronus eius sicut sol. *Id est, in perpetuum durabit, vt sol.*

Et testis in cœlo fidelis. *Id est, volo lunam ipsam esse testem perpetuitatis imperij Christi, vt enim illa semper durabit, ita semper vigebit regnum ipsius. Sciendum est tamẽ Symmachũ sic vertisse, Et contestatus in cœlo fidelis, id est,*

& qui

& qui asseueranter affirmat, hæc se facturum, est in cælo, neque mentiri vnquàm potest.

Tu verò repulisti. *Nunc deplorat calamitates populi, & qui suprà tantis laudibus extulerat fidē Dei, nunc animo perturbato queritur, omnia contrà accidere, quā ille promiserit. Hic animaduertere operæpretium est, quàm difficile sit, nō dubitare de promissionibus Dei, aut nō penitus etiam ijs diffidere, cùm præsertim ille, antequàm promissa persoluat ita. plerunq; omnia contrà, ac pollicitus est, euentre patiatur, & vix credibile sit ea quæ prædicta sunt, vera vnquàm euasura, multa huiusce rei exempla ex literis sanctis apponere possem, sed hæc duo satis erūt: Deus Dauidem in pueritia regē designat, sed quàm acerbis quámque diuturnis illū calamitatibus exagitauit, anteà quàm regni possessionem adire permitteret? Idem ore Gabrielis Mariæ pollicetur, Iesum in solio Dauidis sessurum, atque imperium illius sempiternum fore, quis hoc nisi diuino spiritu afflatus, sicut prædictum est euēturum suspicari posset? cùm Iesum videret vsque ad trigesimum ætatis annū propter obscuritatem in magna hominum ignoratione versari, reliquam verò vitam inopem & vagam persequi, ad extremum tanquam perditissimum latronem cruci suffixum acerbissima morte mulctari. His rebus fit, vt impij promissionibus, & verbis Dei nullā fidem habeāt.*

& ipsi pÿssæpe ad dubitādū inducātur, quocirca illud, ante omnium præcipuum, Qui crediderit, ne festinet, semper in mora, a qua animo est habendum: qui enim moram ferre nō potest, is neque constantiam, neque fidem perseverantiam retinere potest: diffidens autem se non solùm bonis, quæ promissa sunt, indignū reddit, sed etiā grauissimas diffidentiæ pœnas luit. quisquis enim Deo affirmanti nō credit, is profectò illū esse vanum, & mendacem credat necesse est: at qui patiēs in mora fidere perseverat, sine dubio promissa bona consequitur, & Deo charissimus est. Hæc omnia diuus Paulus in epistola ad Hebræos scripta breuiter cōplectitur ad hūc modū, Ne abieceritis fiduciam vestram, quæ magnā habet præmij retributionem: patientia vobis est opus, vt vbi voluntatem Dei perfeceritis, reportetis promissionem: adhuc enim pusillū tēporis, & qui venturus est, veniet, & non tardabit: iustus autē ex fide viuet, & si se subtraxerit, non probabitur animo meo: at nos non sumus, qui nos subducamus in perditionē, sed ad fidem pertinemus in acquisitionem animæ.

Accensus es ira in Christum tuum. *Id est, in Dauidem, quem tu regem constituisti: ad ipsum enim Dauidē redūdare videbatur, quicquid patiebantur posteri ipsius.*

Destruxisti munditiem eius. *Sic appellat splendorem, & dignitatem imperij.*

Abbre

Abbreuiasti dies. *Quæritur regnum familiæ Dauidis, quod perpetuum fore promiserat Deus, dum adoleseceret, extinctum esse.*

Memor esto quàm breuis æui. *Cogita inquit, quàm sit breuis vitæ mortalium: quòd si huc accedat etiam perpetuæ calamitates, neq; vllus detur respirandi locus, nonne videberis nos frustra creauisse? similia multa legũtur in querimoniis Iob. sunt autẽ verba animi perturbati, neq; satis considerantis cur hominem creauerit Deus.*

Quibus affecerunt vestigia Christi tui. *Sic vocare videtur reges, qui in Dauidis locũ successerant, atque eum repræsentabant. Sed hic locus est perobscurus, neque ego aliquam explanationem certam habeo. Quidam intelligũt, his verbis barbarorum impietatem significari, qui Iudæos irriderẽt, quòd in Christum liberatorem expectarent, cuius vestigia, & pedes venientis nunquàm visuri essent.*

Benedictus dominus in æternum. *Videntur hæc esse verba hominis post magnam animi perturbationem se colligentis, & considerantis, nullo modo fieri posse, vt Deus fidem datam violet, & promissa non seruet: ita æq; patiẽter ferendam esse moram, & sanctissimum ipsius nomẽ rebus aduersis æquè, ac prosperis laudandum: cũ præsertim ille ad vtilitatem, & salutem piorũ omnia dirigat: etiam tum, cum penitus eos abiecisse videtur.*

AR

ARGVM. PSAL. XC.

Describit miseriam, & breuitatem vitæ humanæ, & implorat auxilium Dei, vt, qui omnibus superioribus sæculis consueuerit gentem suã tutari, & maximis beneficijs ornare, illam etiam, hoc tẽpore magnis calamitatibus oppressam, sublcuet ac tueatur.

Oratio Moysi viri Dei, Psal. XC.

DOmine refugium factus es nobis à generatione in generationem.

Priusquàm montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à sæculo, vsque in sæculũ tu es Deus.

Reducis hominem vsque ad contritionem, & dicis, reuertimini filij hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquàm dies hesterna, quæ præterijt.

Et vigilia in nocte, rapuisti eos vt impetus aquarum, sunt veluti somnium.

Mane sicut herba sunt quæ mutatur, mane floret & crescit, vespere succiditur, & arescit.

Etenim deficimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, occulta peccata nostra in luce vultus tui.

Quoniam omnes dies nostri dilabuntur in ira tua, consumimus.

Annos nostros veluti sermonem, dies annorum nostrorum septuaginta anni.

Si tu

Si autem admodum robusti sumus, octoginta anni, & præcipuum eorum labor, & dolor.

Recedit citò, & auolamus.

Quis nouit vim iræ tuæ, & secundùm timorem tuum iram tuam?

Enumerare dies nostros ad hũc modum tu nos doce, & offeremus cor sapientiæ.

Reuertere *Domine*, vsquequo? & deprecabilis esto super seruos tuos.

Satia nos mane misericordia tua, & exultabimus, & lætabimur omnibus diebus nostris.

Lætifica nos pro diebus, quibus nos affixisti: pro annis, quibus vidimus mala.

Appareat in seruis tuis opus tuũ, & gloria tua in filiis eorum.

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum dirige in nobis, & opus manuum nostrarum dirige.

EXPLANATIO.

Reducis nos. *Tu quidem Domine immortalis, & sempiternus es, nos autẽ mortales, & caduci, quippe quos per varios casus, & labores perducis ad senectutẽ, cúmque iam morbis, senioq; infracti, & confecti sumus dicis, reuertimini filij hominũ in pulucrem, vnde vos effinxi.*

Quoniam mille anni ante oculos tuos, *Id est, cum æternitate tua comparati.*

Et

Et vigilia in nocte. *Nox apud veteres in quatuor partes distributa erat, quæ partes vigiliæ vocabantur vt omnibus est notum: Vitæ brevitatem vni ex ijs partibus similem dicit, si cũ æuo illo sempiterno Dei conferatur.*

Rapuisti eos vt impetus. *Comparat elegãtissimè fugam & inanitatem vitæ humanæ pernicitati fluminum, & somnijs, & herbæ, quæ mane immutatur, id est, in florẽ sese induit, ve spere autem succiditur arescens.*

Etenim deficimus in ira tua. *His verbis significat has vitæ calamitates esse pœnas, quas Deus à nobis repetit pro sceleribus & maleficijs nostris.*

Consumimus annos nostros veluti sermonem. *Quo nihil citius euanescit.*

Præcipuum eorum. *Præcipuum annorum vocat iuuentutem: quæ & ipsa plena est molestijs ac perturbationibus animi.*

Quis nouit vim. *Hunc versiculum ita verterunt Symmachus, & Hieronymus, & quidã alij. Videtur autem hãc sententiam continere: si vel parua indignatio tua tãta mala mortalibus importat, quis possit cogitatione comprehẽdere qualis, & quãta sit iræ vis, qua veteris aduersus eos, qui improbè ac impiè vixerunt? Quis inquã possit intelligere vim iræ tuæ, perinde vt potẽtia tua formidabilis requirit eã intelligi?*

Enumerare dies nostros. *Doce nos Domine ad*

ne ad hunc modum numerare, ac cogitare dies nostros & illorum paucitatem semper ante oculos habere, vt hac inani vita contempta nos totos sapientiæ, & contemplationi rerum æternarum dedicemus.

Reuertere Domine, vsquequo? *Vsquequo abes, et nos in tantis calamitatibus derelinquis?*

Appareat in seruis. *Id est nos ita rege, ac tuere, vt in nobis eluceat vis salutaris, & benignitas tua.*

Et sit splendor Domini. *Id est, & misericordia Dei nostri semper adsit nobis, vt quicquid aggredimur, fœliciter eius beneficio succedat.*

ARGVM. PSAL. XCI.

Describit elegantissimè securitatem, & fœlicitatem eorum, qui omnes suas cogitationes, & spes in misericordia Dei collocarunt.

Psalmus. XCI.

QVi habitat in latibulo altissimi, in vmbra omnipotentis cõmorabitur.

Dicam Domino spes mea, & refugium meum Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberabit te de laqueo venantium, & à peste exitiali.

Alis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius fiducium habebis.

Scutum, & clypeus est veritas eius, non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à peste perambulante in tenebris, ab exterminio vastãte meridie.

Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.

Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem tuum.

Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam me diligit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

EXPLANATIO.

Qui habitat in latibulo altissimi. *Id est, qui se committit fidei, & tutelæ ipsius: eam tutelam*

telam cur appellet latibulum, declarauimus in explanatione Psalmi 83.

Quoniam ipse liberabit te. *Quisquis es, inquit, qui syncerè, & ex animo te misericordiæ Dei commisisti, sis animo læto, & tranquillo: nam ipse te incolumem conseruabit ab omnibus insidijs inimicorũ, & à quouis maximo, & manifesto exitio.*

A sagitta volante. *His vocabulis significat & morbos: & mala omnia, quæ nobis importãtur: & ab improbis hominibus, & à diabolo.*

Cadent à latere tuo. *Cùm pestilentia, vel impetus prælij sæuiet cæteris morientibus, tu saluus, & incolumis animo quieto, et securo spectabis improbas occidẽtes, & pœnas maleficiorũ expẽdẽtes. hoc autẽ tibi cõtinget, propterea quòd etiã tu Deo dixisti ex animo. Tu Domine spes mea.*

Super aspidem, & basiliscum. *Affirmat ne à venenatas, & immanes bestias, neq; diabolum & satellites eius, quos vocabulis harum beluarũ significat, vllam vim habituros aduersus hominem pium, & præsidio Dei confidentem.*

Quoniam me diligit. *Inducit Deum loquentẽ, & ea confirmantẽ quæ vir sanctus prædicauit de benignitate, & misericordia ipsius.*

ARGV. PSAL. XCII.

Docet diebus festis, omissa cura & studio cæterarum rerum, considerandа esse consilia, & facta Dei, & laudes eius celebrandas.

Psalmus Cantici pro die Sabbati. XCII.

BOnum est confiteri *Domino*, & psallere nomini tuo, Altissime.

Adannũciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

In decachordo, & psalterio, cum cantico in cithara.

Quia lætificasti me Dñe, in opere tuo, & in operibus manuum tuarum exultabo.

Quàm magnificata sunt opera tua *Domine*, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.

Cũ germinauerint peccatores sicut herba, & floruerint omnes, qui operantur iniquitatem.

Vt intereant in sæculum sęculi, tu autem altissimus in æternum Domine.

Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meum, conspersus sum oleo viridi.

Et respiciet oculus meus in inimicis meis vltionem, & de insurgentibus cõtra me malignantibus audiet auris mea, quæ optat.

Iustus vt palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur.

Plant

Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

Adhuc fructificabunt in senecta, pingues & virentes erunt, vt annuncient.

Quòd rectus est Dominus: fortitudo mea, & non est iniquitas in eo.

EXPLANATIO.

Ad annunciandum mane. *Tametsi cũ nocte & mane nominat, ea tempora indicare videtur, quæ lege attributa erãt precationibus & sacrificijs: nõ minus tamen, vt opinio mea fert, significat ijs verbis, cũ dies prosperitatum illuxerit, misericordiam Dei prædicandam esse: vt omnia, quæcunq; nobis secũda eueniũt, illi accepta referamus: at cùm nocte rerum aduersarũ circunfundimur, fidem eiusdem, dictorumq; cõstantiam in ore semper habendam: vt siue bona, certa q; simus, nos tãdẽ ex omni periculo, & calamitate euasuros, sicut ille promisit inquiẽs, Inuoca me tẽpore difficili, & calamitoso, et ego te omnibus ex malis eripiã, tu verò honorabis me.*

Quia lætificasti me Domine in opere tuo. *Vt impius animo horret, si quando cõscientia illũ admonet, Deũ piorum impiorumq; habere rationẽ: ita pio nulla cogitatio potest accidere iucundior, quàm de prouidentia Dei: cùm enim is secũ reputat, ne vnũ quidem capillum ex suo capite decidere posse sine illius numine, quem patrẽ agnoscit: incredibile dictu est, quã-*

ea lætitia exultet, quã se tutum, ac beatum ducat. Et sanè nihil à patre indulgentissimo potest proficisci, quod filio emolumẽto salutiq; non sit: & si nonnunquã ill (quæ mẽtis humanæ infirmitas est) secus accidere putant, & falsa specie ac visione terrentur.

Quàm magnificata. *Non solùm ea significat: quæ pertinent ad creationem mũdi, sed ea, quæ quotidie gerũtur à prouidẽtia Dei in administratione rerũ humanarum, cuiusmodi sunt quæ mox cõmemorat, improbos scilicet florere, & secũdis rebus uti, ut mox acerbiora supplicia sustineãt, & in miserias æternas præcipitẽtur, cùm bonis è contrario omnia vertant in bonũ.*

Vir insipiens nõ cognoscet, & stultus nõ intelliget hæc. *Stultos, et insipientes vocat in primis, quos usu, et vita communis prudentes, & sapientes appellare solet, horum multi tam longè absunt ab istarum rerũ intelligentia, ut ne arbitrentur quidem, prouidẽtiam Dei se ad procurationem rerum humanarum demittere.*

Et exaltabitur. *Exurgent homines impij, & nefarij: at ego, & quisquis alius virtutẽ & pietatem colit, beati, & florentes erimus. Comparat autem cornu suum, id est, vires, & potentiam cornibus monocerotis, quæ cornua sunt durissima.*

Conspersus sum oleo viridi. *Allegoria est, qua firmitas animi, & corporis significatur, ea*

sumpta

sumpta est à cultu vitæ: oleum enim magnam vim habet ad membra fouenda, & corpus corroborandum. Sed & oleum significat, vt supra didicimus, afflatum, & gratiam spiritus sancti, quæ longè maiorem vim habet ad fouendū, & corroborandum animam, & corpus: hoc cœlesti oleo delibutus erat Dauid.

Iustus vt palma florebit. *Impij quidem tanquā herbæ florent, quæ celeriter arescit: at homines pij palmæ similes sunt, quæ diutissimè viuit, ac viget, & fructus dulcissimos edit.*

Sicut cedrus Libani. *Eleganter hominem pium comparat cedro, cuius odoratus est iucundissimus, eaq; arbor nunquam putrescit et vmbram gratissimam ministrat: quæ omnia ad hominem pium, & sanctum eleganter aptantur.*

Plantati in domo Domini. *Qui, inquit sati, & alti fuerint in ecclesia Dei, semper florebunt, & fructus pulcherrimos ferent vitæ innocentis, & piæ.*

ARGVM. PSAL. XCIII.

Celebrat infinitam excellentiam Dei, qui & mundum ex nihilo creauerit, & res humanas sapientissime gubernet. Sed hæc omnia etiam ad imperium Christi aptissime referri possunt, & ad ecclesiam eius vndique oppugnatam.

Psalmus Asaph. XCIII.

DOminus regnauit, magnificentiam indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & accinxit se.

Etiam firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.

Parata sedes tua ex tunc, à sæculo tu es.

Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam.

Eleuauerunt flumina fluctus suos, plusquam voces aquarum multarum.

Et mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua valde sunt certa, domũ tuam decet sanctitudo Domine in longitudinẽ dierum.

EXPLANATIO.

Dominus regnauit. *Regnauit, dicit, pro regnat: qui loquendi abusus frequens est, & sũ admonuimus.*

Et accinxit se. *Accinxit inquam se fortitudine & potentia.*

Parata sedes tua ex tunc. *Id est, ex omni aternitate.*

Eleuauerunt flumina Domine. *Allegoria est, quæ significat, maximam & im hostium impetum fuisse gentem Dei, quos ille compressit.*

Mirabilis in altis Dominus. *Terribilis quidem est impetus, & immanitas impiorum, qui nos inuaserunt: sed longè terribilior est Dominus, qui habitat in cælo, & pro nobis acerrimè propugnat.*

Testimonia tua. *Vera profectò sunt, et certa Do*

ta Domine, quæ nobis tua sancta oracula promiserunt, ecclesiam scilicet piorũ, quæ domus tua est, præsidio tui numinis semper incolumem, ac beatam fore: itaque illam decet ornatã esse sanctitate, eoq; ornamento in perpetuum decorari: vt quæ custodem & præsidem sanctum habet, ipsa quoque sancta sit.

ARG. PSAL. XCIIII.

Inuehitur in homines impios, & sceleratos, qui prouidentiam Dei negant: & innocentes, iniuriis & violentia illorum oppressos consolatur.

Psalm. XCIIII.

DEus vltionum Domine, Deus vltionum splendidè appare.

Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis.

Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores exultabunt?

Effabuntur, & loquentur superba, gloriabuntur omnes, qui operantur iniustitiam?

Populum tuum Domine attriuerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt.

Viduam, & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.

Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.

Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.

Nunquid ille, qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non videbit?

Qui corripit gentes, non arguet, qui docet homines scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum, quòd vanæ sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.

Vt quietem præbeas illi in diebus malis, donec fodeatur peccatori fouea.

Quia nō repellet Dominus plebē suam, & hæreditatem suam non derelinquet.

Quoniam ad iustitiam reuertetur iudicium, & sequentur illam omnes, qui recto sunt corde.

Quis consurget pro me aduersus malignantes? quis stabit pro me aduersus operantes iniquitatem?

Nisi Dominus adiuuisset me, paulominus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine sustentabat me.

Secundùm multitudinem cogitationum mearum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Nunquid cōsociabitur tibi thronus peruersitatis, qui fingit afflictionem pro lege?

Congregantur contra animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.

Et

Et erit mihi Dominus in refugium, & Deus meus in petram fiduciæ meæ.

Et retribuet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos, disperdet illos Dominus Deus noster.

EXPLANATIO.

Deus vltionum Domine. *Sic Deum appellat, quòd ad eum pertineat vltio, ipse enim ait in Deuteronomio, Mea est vltio, & ego rependam.*

Splendidè appare. *Fac, omnes intelligant, ac penè oculis videant prouidentiam, et magnitudinem potentiæ tuæ, quam negligũt homines impij, & arrogantes.*

Intelligite insipientes in populo. *Significat eos, qui negãt Deum intelligere, quid vnusquisque agat, quid ve in se admittat, ipsos nihil intelligere, et bestiarum similes esse. & tamen nonnulli, ex ijs, quibus doctrina, & sapiẽtia primas deferunt, qui crucem Christi stultitiam putant, ausi sunt, hæc immanissima & teterrima monstra dicere, & docere vt facilè appareat, verissimam esse illam D. Pauli sententiam, Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.*

Qui plantauit aurem. *Estne, inquit, verisimile, vt qui vim sentiendi, & intelligendi hominibus donauit, ipse cognitione careat rerum humanarum?*

Qui corripit gentes. *Qui aliquando sup-*

plicio afficit totas nationes, vosne permittet impunè debacchari? qui mortalibus prudentiã & intelligentiam impartit, isne vestra maleficia ignorabit?

Dominus scit cogitationes. *Non modò (inquit) Dominus audit & videt, verũ etiam intimos hominũ sensus intelligit, ac nouit quã inania sint et absurda quæ illi cogitãt, nisi diuino lumine animi eorũ illustrentur, itaque beatum illũ iudico, quem tu Domine pro tua incredibili misericordia erudis, et præceptis legũ tuarũ instituis: ea enim disciplina maximam illis tranquillitatem pariet rebus aduersis, siquidẽ omnes iniurias impiorum non solùm fortes, sed etiam lato animo feret, intelligẽs, vitam piorũ calamitatibus, vt aurũ igne purgari, itaq; animo quieto, et trãquillo vsque expectabit, dum impi⁹ penas luat: luet enim pœnas quisquis violat innocẽtes: neque Dominus negliget iniurias, et cõtumelias gentis suæ, neq; illã diutius permittet libidini, et insolentiæ impiorũ: sed aliquãdo leges, & iustitia in iudicijs valebunt, et multos sui cupidos & amantes habebunt.*

Quis consurget. *Exponit magnitudinẽ periculi in quo versans implorauerat auxiliũ hominũ sed frustra: subiungit enim: Nisi Dominus subuenisset mihi, actũ erat de salute mea.*

Si dicebã motus. *Si quererer, iam vacillare constantiã meam, neque iã posse calamitatem*

magni

magnitudini obsistere, Domine eras præsto, & substentabas animum meum iam labentem.

Secundûm multitudinem. *Quantum excruciabãt animũ meũ cogitationes tristissimæ, tantũ illũ recreabãt consolationes tuæ iucũdissimæ. Ita diuus Paulus ad Corinthios scribens, Sicut, inquit, abũdãt afflictiões Christi in nos, ita per Christum abundat etiam cõsolatio nostra.*

Nunquid consociabitur. *Non est, quòd aliquis miretur, si tu ades innocentibus, et ab ijs propulsas iniurias impiorũ, quid enim tibi commune possit esse cum improborum potestate, ac tyrannide, quæ semper occupata est in conflandis calumnijs, & bonis affligẽdis, idque sibi pro lege ducit? Vel cùm ait solium peruersitatis fingere afflictionem pro lege, significat potius, eos quorum proprium munus est leges condere, quibus Respublica optimè administretur, ac ciuiũ salus tuta sit, tantũ abesse ab hoc officio, vt semper habeant animos intentos ad inuentiẽdas rationes, & vias, quibus vexẽt atque opprimant innocentes: atque ita pro legum & iudiciorum equitate, ab his iniurias & vim ad perniciẽ ciuitatis manare. Sed Symmachus vertit ex Hebræo, Qui fingit afflictionem contra præceptum, quæ verba significant, principes barbaros, & crudeles machinari calamitatem, & perniciẽ ijs, qui tutelæ ipsorum commendati sunt, cõtra præcepta & leges Dei.*

Argu-

ARGV. PSAL. XCV.

Hortatur grauissimis sententiis populum ad colendum Deum, & laudes eius canendas, prædicans ipsius infinitatem, potentiam, & sapientiam, qui omnia creauerit ex nihilo, necnon misericordiam, & bonitatem, qua pios præcipua quadam beneuolentia regit, ac gubernat. Item exemplo maiorum, qui in solitudine interierunt, deterret ab impietate, & infidelitate aduersus ad Deum.

Psalm. XCV.

VEnite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.

Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes Deos.

Quia in manu eius sunt profunditates terræ, & altitudines montium ipsius sunt.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius.

Venite adoremus & procidamus, & genua flectamus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster.

Et nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Sicut in cõtradictione, sicut in die tentationis in deserto, vbi tẽtauerunt me patres vestri, probauerũt, & viderunt opera mea.

Quad

Quadraginta annis offensus fui à generatione hac, & dixi, populus iste errat corde.

Et isti non cognouerunt vias meas, quibus iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam.

EXPLANATIO.

Venite exultemus Domino. *Admonet ad cultum, & Generationem Dei requiri lætitiã, & hilaritatẽ, id quod etiam diuus Paulus confirmat præcipiens Christianis, vt semper læto animo sint, causa verò in prõptu est: Deus enim colitur fide, spe, charitate: quarum comites sunt iustitia, pax, & gaudium.*

Præoccupemus faciem. *Id est, properemus venire in conspectum eius cum hymnis, et gratiarum actione.*

Nos autem populus pascuę eius. *Nos, inquit, sumus grex victitãs pabulo eius, & oues quas ipse manu sua ducit, & regit.*

Hodie si vocem. *Super his versibus multa dicit diuus Paulus scitu dignissima in Epistola, quam scribit ad Hebræos: ea nos non subscribimus, satis habentes, locum indicasse.*

Sicut in contradictione. *Innuere videtur historiam, quæ scripta est in numeris cap. 13. & 17. Quòd verò subiungit, sicut in die tentationis significat rem gestam in Raphidine, quæ res exposita est in Exo. cap. 17.*

Qui

Quibus iurauí in ira mea. *Illud scire oportet hanc fuisse imaginem rerum futurarum: Vt enim Hebræi omnes, quotquot verbis Dei fidem nõ habuere, in locis desertis fœdissimè perierũt à terra Cananæa excluſi, vbi vitam quietã, & omniũ rerum copia affluẽtem traducturi erãt, ſi qui Deo ad ſuſcipiendũ Chriſti Euangelium adhortanti non obediunt, nunquam peruenient ad illas beatiſſimas oras, vbi placidiſſima quies & vita ſempiterna vigent: ſed ſecluſi à conſilio cæleſtium in perpetuis miſeriis verſabuntur.*

Si introibunt in requiem meam. *Id eſt, iurauí illos non ingreſſuros amplius in eũ locũ, quem ipſorũ quieti deſtinaram: nam huic verbo ſi aliquando apud Hebræos vis negãdi ineſt. Vt alio loco dictum eſt. Tunc autem verè ingredimur in requiem Dei, cũ animi noſtri in æternã illã domũ permolãt, vbi ſic requieſcimus ab operibus noſtris, vt Deus à ſuis requieuit die ſeptimo. Hic eſt ille optatiſſimus ſabbatiſmus, quẽ dicimus. Paulus ait reliquum eſſe populo Dei. Ad hũc quo quiſq; propius accedit, hoc magis in humano corpore vitam diuinam & cæleſtem imitatur: id verò fit, cùm perfecta animi noſtri de prauatione inſipientia, & inanitate, hoc vnũ omni ſtudio cõtẽdimus, vt ne quid ipſi agamus, ſed omnia Deum in nobis agere ſinamus.*

ARGVM. PSAL. XCVI.

Vaticinatur de regno Chriſti, & omnes nationes hortat

hortatur ad amplexandam veram religionem, & superstitiones abiiciendas.

Psalmus XCVI.

CAntate Domino cãticum nouum, cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini eius, annuntiate de die in diẽ salutare eius.

Annũtiate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dij gẽtium nihil sunt, Dominus autem cælos fecit.

Decus & pulchritudo in cõspectu eius, potẽtia & magnificentiam in sanctuario eius.

Afferte Domino familiæ gentium, afferte Domino gloriam & potẽtiam, afferte Domino gloriam nomini eius debitam.

Tollite munera, & introite in atria eius, adorate Dominum in splendoribus sanctuarij eius.

Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite, in gentibus Dominus regnauit.

Et firmabit orbem terræ, ne commoueatur, iudicabit populos in æquitate.

Lætentur cæli, & exultet terra, intoner mare, & plenitudo eius, gaudeant agri & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna syluarum

rum coram Domino, quia venit, quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate.

EXPLANATIO.

Cantate Domino canticum nouum. *Nō enim, & omnibus sæculis inaudita beneficia Dei noua carmina requirunt.*

Annuntiate de die *Id est, nūquam intermittite prædicare beneficia, & salutem, quā ille humano generi attulit misso ad nos filio suo.*

Annunciate inter gentes *Hæc summa diligentia, & studio perfecerunt Apostoli, qui totum orbem terrarum peragrauerunt, & veram religionem docerent.*

In sanctuario eius. *Sanctuarium Dei non solùm appellat cælū, sed etiam ecclesiā piorum: in qua vis, et maiestas Dei maximopere elucet.*

Dicite, in gentibus Dominus regnauit. *Prædicate, inquit, in omnibus terrarū oris, iam euersa diabolī tyrannide Deum per Christum suum regnare.*

Et firmabit orbem terræ. *Significat constantiam, & inuictum robur eorum, qui regnū Dei ingressi sic innituntur in lapide firmissimo, nempe Christo, vt nullo rerum aduersarū vel incursiōe concutiātur, nulla vi, aut oppugnatione diaboli & impiorū de pietate, ac tranquillitate animi depellantur.*

Lætc-

Lætentur cœli. *Meritò lætari debet rerum vniuersitas Christo regnum ineunte: ille enim non solùm corpora piorum immortalitate donaturus, sed etiam cœlum, & reliquas mundi partes renouaturus est: quam quidem renouationẽ incredibili tum desiderio totũ vniuersitatis corpus expectat, & dum illa fiat, nobiscum ingemiscit, et more partiurietis fœminæ, dolore cruciatur, vt auctor est diuus Paulus in Epistola quã scribit ad Romanos.*

Quoniam venit iudicare terrã. *His verbis non tam significat tempus illud nouissimi iudicij, quàm id tempus, quo Deus Christum ab inferis excitauit, illumq; terris proposuit, vt is regeret, ac gubernaret omnes nationes: verbum enim iudicandi in hanc sententiam sæpe accipitur in literis sanctis.*

ARGV. PSAL. XCVII.

Etiam hoc Psalmo vaticinatur de regno Christi, qui omnes nationes ad cultum veri Dei reuocauit.

Psalmus. XCVII.

DOminus regnauit, exultet terra, lætẽtur insulæ multæ.

Nubes, & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium habitaculum throni eius.

Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra.

Montes ficut cera fluxerunt à facie domini, à facie domini vniuerſæ terræ.

Annunciauerunt cœli iuſtitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius.

Confundaniur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in Dijs vanis.

Adorate eum omnes Angeli eius, audiuit & lætata eſt Sion.

Et exultabunt filiæ Iudæ propter iudicia tua domine.

Quoniam tu dominus altiſsimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.

Qui diligitis dominum, odite malũ, cuſtodit dominus animas ſanctorum ſuorũ, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux ſeminata eſt iuſto, & rectis corde lætitia.

Lætamini iuſti in domino, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.

EXPLANATIO.

Dominus regnauit. *Iam, inquit, dominus regnat in orbe terrarum, in quo ante diabolus, & ſuperſtitio, & omnia ſcelera regnabant.*

Nubes & caligo. *His verbis ſignificat, naturam Dei neque oculis cerni, neque animo cõprehendi poſſe. Sed Euthymius ait, nubem, et caliginem ſignificare corpus, quo diuinitas Chriſti ſeſe induit.*

Iuſti-

Iustitia & iudicium habitaculum throni eius. *Iustitia pertinet ad misericordiam & beneficentiam, iudicium ad seueritatem & pœnas improborum.*

Ignis ante ipsum. *Hunc versiculum plerique referunt ad tempora illa nouissima quibus vniuersum genus humanum ad vitam reuocabitur, & Christus è cœlo descendet ad iudicia exercēda, sed non minus hæc videtur esse dicta de vi, & potestate, qua vtitur Christus etiam nunc in homines impios & sceleratos: Ignē autem sæpe significare in literis sanctis acerbitatē p plicij, alio loco dictum est.*

Illuxerunt fulgura. *Etiam hūc versum, & sequentes plerique pertinere existimāt ad tempora illa mundi nouissima, sed mihi magis placent, qui hæc referūt ad fulgura spiritus sancti atque ad Apostolos, qui tanquam astra quædā splendidissima breui tempore totum orbē terrarum in maximis errorum tenebris iacētem illustrauerūt, & omnes nationes magnitudine miraculorum perterruerunt, nam quòd subiungit montes instar ceræ liquefactos esse ab præsentiam domini, id dictum esse videtur de diabolo, et Angelis eius: item de regibus, & tyrannis, qui vel Christo se sumiserunt, vel impietatis suæ grauissimas pœnas dederunt.*

Annunciauerunt cœli. *Cœlos appellat cœlites ipsos, quemadmodū terram sæpe appellare*

solet pro ipsis hominibus. Angelos autē iustitiā & sanctitatem Christi, testimonio suo cōprobauisse notissimū est. Quid verò si Apostolos significare voluit, cùm cælos dixit? ij enim & cælestē vitam in terris coluerunt, & iustitiā Dei prædicauerūt apud omnes nationes, iustitiā in quā non humanā sed diuinam, & cælestē: nimirum quā Deus ijs donat qui spiritu ipsius afflati pro certo credunt Iesum Christū peccata & scelera generis humani suo sanguine luisse.

Et viderunt omnes populi gloriam eius. *Quam antè non poterāt intueri obcæcati superstitionibus, & cultu falsorum Deorum.*

Confundantur omnes. *Iam vos, inquit, pudeat ò miserę gentes colere simulacra inania, et fictos Deos.*

Audiuit, & lætata est Sion. *Siō, inquit, et reliquæ Ecclesiæ ab ista Hierosolymitana prognatæ audierunt, quæ prædicata sunt ab Apostolis de iustitia Dei, itemque viderunt, ab eo res humanas per Christum rectissimè ac felicissimè gubernari: quæ res illas incredibili lætitia affecerunt, cū præsertim viderent, maiestatem augustissimi numinis omnibus gentibus cognitam, & cōmentitios Deos abiectos, & repudiatos esse.*

Lux seminata est. *Lux, inquit, veræ pietatis & religionis, perpetuaq; lætitia sata est in animis eorum, qui iustitiam Dei, & præceptā sa-*

berri

berrima Christi non repudiarunt. Itaque vos quicunque hãc beatiſſimam lucem in animos veſtros ſuſcepiſtis, letamini in domino, cæteris omnibus gaudijs, & voluptatibus abiectis, neq; vnquã intermittite gratias agere infinitæ bonitati eius pro tot ac tantis beneficijs, quibus vos quotidie ornat, atque in perpetuum ornabit.

ARGV. PSAL. XCVIII.

Idem eſt argumentũ huius pſalmi, atq; ſuperioris.

Pſalmus. XCVIII.

CAntate domino canticum nouũ, quia mirabilia fecit.

Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius.

Notum fecit dominus ſalutare ſuũ, in cõſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſraël.

Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri.

Iubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & pſallite.

Pſallite domino in cithara, in cithara, & voce pſalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ cornææ.

Iubilate in cõſpectu regis domini, intonet mare, & plenitudo eius, orbis terrarũ, & qui habitant in eo.

Flumina plaudant manu, ſimul montes

exultent in conſpectu domini, quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate.

EXPLANATIO.

Saluauit ſibi dextera eius. *Id eſt, auxilium, & ſalutem nobis attulit ſua tãtum dextera, et brachio ſancto ſuo: ſic autem appellat Vnigenam filium Dei. Hac eadem loquendi figura Vſus eſt Eſaias, cũ inquit: Et Vidit quòd nemo adeſſet, & admiratus eſt quòd nõ foret, qui occurreret, & ſaluauit ſibi brachium ſuum: id eſt, cùm Dominus Videret, neminem eſſe qui tueretur innocentes, ipſe ſuis Viribus illos ſeruauit.*

Notum fecit. *Apoſtoli enim apud omnes gẽtes diuulgarunt euangelium, quo ſalus mortalium continetur, & iuſtitia Dei.*

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ. *Simile eſt illud Mariæ Virginis, Audiuit Iſraelẽ puerum ſuũ, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham, & ſemini eius in ſæcula.*

Quoniam venit iudicare terrã. *Hæc Verba interpretati ſumus in explanatiõe. Pſal. 96.*

ARGVM. PSAL. XCIX.

Prædicat potentiam, iuſtitiam, & miſericordiã Dei, & populum ad cultum, & venerationem illius adhortatur.

Pſalmus. XCIX.

Domi-

DOminus regnauit, contremiſcant populi, qui ſedet ſuper Cherubin, cómoueatur terra.

Dominus in Sió magnus, & excelſus ſuper omnes populos.

Confiteantur nomini tuo, quoniam magnum, & terribile, & ſanctum eſt, & fortitudo regis iudicium diligit.

Tu paraſti æquitates, iudicium, & iuſtitiam in Iacob tu feciſti.

Exaltate dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius, quoniã ſanctum eſt.

Moyſes, & Aaron inter ſacerdotes eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.

Inuocabant Dominũ, & ipſe exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos.

Cuſtodierunt teſtimonia eius, & præceptum, quod dedit illis.

Domine Deus noſter tu exaudiebas eos, Deus tu parcebas eis, & vlciſcebaris opera eorum.

Exaltate dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto eius, quoniã ſanctus Dominus Deus noſter.

EXPLANATIO.

Qui ſedet ſuper Cherubin. *Eos Cherubinos ſignificat, qui arcam fœderis cuſtodiebant.*

Et fortitudo Regis. *Rex, inquit, noster nō minus iustitia excellit quā viribus & potētia.*

Scabellum pedum eius. *Ita vocat arcam fœderis: cui Deum insidere, prædicant literæ sanctæ ob eas causas, quas alio loco diximus.*

Moyses & Aaron. *Proponit exēplum Mosis, & Aaronis, & Samuelis, qui præstātissimi fuerunt religione, ac sanctitate, & ob eam rem charissimi Deo.*

Deus tu parcebas eis, & vlciscebaris opera eorum. *Hæc non dicit de viris sanctis, quos commemrauit, sed de ijs, qui eorū imperio subiecti erāt: neque id cuiquam mirum videatur: solent enim scriptores Hebræi ea, quæ vocantur à grāmaticis pronomina sæpius ponere, quanquā nihil antecedit, quo illa referri possint, hoc cùm ex alijs locis huius libri, tū ex illo versu Psalmi 16. perspicuum esse potest, Multiplicatæ sunt idola eorum, post alium accelerauerūt, profectò hæc crimina nō conueniunt in homines sanctos, quorum mentio fit in versu superiore, sed in impios qui defecerant à Deo. Itaque verborū, quæ nūc explanamus, hæc est sententia, Deum tam charos habuisse Mosem, Aaronem, & Samuelē, vt ipsorū causa populo peccanti parceret: & grauiter vindicaret, si quis iniuriā eis facere conaretur, cui rei testimonio sunt ij qui seditionē cōcitare ausi sunt contra Mosem, & fratrem eius: illorū enim partim hiatu terræ absorpti sunt, partim*

tim ab igne interierũt: qui & rò Samuelis principatum repudierunt, eos subiecit Deus tyrannidi Saulis, à quo maximis incommodis affecti fuerunt. Hanc explanationẽ eo libẽtius amplectimur, quòd illa cũ Symmachi interpretatione consentit: is autẽ cùm vir elegãti iudicio foret, in cõuertẽdis libris sanctis ex Hebræo, nõ necesse putauit verbũ pro verbo reddere, sed satis habuit, si sententias cõmodè ac fideliter exprimeret.

ARGV. PSAL. C.

Hortatur omnes mortales, & præcipuè Iudæos, vt memores sint beneficiorum Dei, qui nos creauit, regit, ac tuetur, vt nunquam intermittendæ sint gratiarum actiones.

Psalmus ad laudem. C.

IVbilate Deo omnis terra, seruite domino in lætitia.

Introite in cõspectu eius in exultatione.

Scitote, quòd Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius, introite portas eius in cõfessione, atria eius in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomẽ eius, quoniam benignus est Dominus, in æternũ misericordia eius, & vsque in generationem & generationem veritas eius.

EXPLANATIO.

Seruite Domino in lætitia. *Hoc nomẽ præ*

stare potest, nisi qui certam spem habet Deũ sibi esse bonignum patrem: id autem solus Spiritus sanctus persuadet, testificãs, nos esse filios, & hæredes Dei.

Scitote quòd Dominus. *Hæc, quæ iubet nos scire vir sanctus, facillima cognitu videntur, sed tunc quisque scirat, se scire, dominum esse Deum suum cùm spem omnium rerum suarũ in ipso collocarit, & gloriã sanctissimi numinis suæ gloriæ pecuniæ ac vitæ proposuerit, hæc quãdiu non facimus, tãdiu dominum esse Deũ nostrum ignoramus, imò verò cùm Deum nominamus, huic verbo quæ sentẽtia subiecta sit, non satis intelligimus.*

Nos autem populus eius. *Nos, inquit, non solum creauit sicut cæteròs, sed etiam ex omnibus gentibus elegit, quos præcipuè amaret, ac tueretur.*

PARAPHRASIS CARMINE.

Vrbes, & agricantibus
Sonate, lætamaximo
Seruite mente numini,
Lætis adite plausibus
Ad atria eius aurea.
Ipse, ipse verus est Deus,
Terræ, poliq; conditor:
At cæterarum gentium

Non

Non Dij: sed aurum, & marmora.
Tu nos pater sanctissime
Tua benigna dextera
Finxisti, ouiculæ nos tuæ
Sumus: tuæ scientiæ
Dulcissimo nos pabulo
O pastor optime nutriens:
Aeterna donas sæcula
Vitam beatam ducere.
Ergo Deum canamus, ó
Viri, & pudicæ fœminæ,
Adite sanctitatuas
Templi sonantes dulcia
Carmina, sonent latè omnia
Nomen Dei sanctissimum:
Nam dulcis: & rerum omnium
Amabilissimus est Deus.
Absumet ignis sydera.
Tellus peribit: at Dei
Mirabilis clementia,
Et veritas semper manent.

ARGV. PSAL. CI.

Describit officia pii, & optimi principis: quanquã ferè

fere omnia præcepta hæc pertinent etiam ad institutionem hominum priuatorum.

Psalmus C I.

MIsericordiam & iudicium cãtabo, tibi Domine psallam.

Intelligam in via immaculata, quando venies ad me?

Ambulabo in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

Non proponam ante oculos meos rem iniustam, facientem præuaricationes odio habebo.

Nec adhærebit mihi: cor prauum recedet à me, malignum non cognoscam.

Detrahentem secretò proximo suo nunc interficiam.

Elatum oculis, & insatiabili corde hunc non tolerabo.

Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeãt mecum, ambulans in via immaculata hic mihi ministrabit.

Nõ habitabit in medio domus meæ, qui facit fraudẽ: qui loquitur mendacia, nõ dirigetur in conspectu oculorum meorum.

In matutino interficiam omnes peccatores terræ, vt disperdam de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

EXPLANATIO.

Misericordiã, & iudicium. *Misericordiã, inquit,*

inquit, & iustitiam semper colam, carminibus meis celebrabo, eroq; semper paratissimus ad homines iuuandos, & subleuãdos, & ad omnia recte, ac iustè administrãda: in primis tibi Domine psallam, & perpetuis hymnis gratias agam, qui has virtutes, et cætera omnia bona largiris.

Intelligam in via immaculata. *Id est, studebo versari sapienter in recta, & pia viuẽdi ratione, sed nihil proficiã, nisi conatus meos ipse iuueris, quando igitur venies ad animum meum illumq; splendissima luce sapientiæ tuæ illustrabis, & amore sanctissimo inflammabis?*

Ambulabo. *Proponit nobis effigiem solidæ, expressæq; virtutis, quæ siue in publico versetur, siue in domum intimam sese abdat, semper est eadẽ, tantumq; abhorret à scelere, et maleficio, vt etiam ipsam cogitationem castam, inuiolatamq; conseruet: vsum verò & familiaritatem improborum repudiat, seq; ad honestas & pias amicitias cupidissimè adiungit.*

Cor prauum à me recedet. *Id est, si quẽ ex meis deprehendero animo prauo, et peruerso, illi ego interdicam domo, & familiaritate mea.*

Oculi mei ad fideles. *Diligenter inuestigabo, quinam in terra Iudæa fidem, et iustitiã colant, eorumq; familiaritate semper vtar.*

Non dirigetur in conspectu oculorum meorum. *Id est apud me gratiosus non erit.*

In matutino *Id est, adhibito summo studio,*

& di

& diligentia, nullaq; interpesita mora: nã hoc verbo mane, sæpissime vtuntur in hanc sententiam literæ sanctæ, vt alio loco admonuimus.

ARGV. PSAL. CII.

Precatio est Hebrææ gentis apud Babylonios durissimam seruitutem seruientis, & calamitates suas deplorantis. Vaticinatur autem de reditu illorum ab exilio: item de regno Christi, & conuersione omnimm gentium ad veram religionem.

Oratio pauperis, cùm anxius esset, & coram Domino effunderet orationem suam.

Psalmus. CII.

DOmine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me: in quacunq; die tribulor, inclina ad me aurẽ tuã.

In quacunq; die inuocauero te, velociter exaudi.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, ossa mea, sicut torris adusta sunt.

Percussus est vt herba, & aruit cor meũ, quia oblitus sum comedere panem meum.

Propter vocem gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nicticorax incolens deserta.

Vigilaui, & factus sum sicut passer, solitarius in tecto.

Tota

Tota die exprobrant mihi inimici mei, & insultantes mihi per me iurant.

Quia cinerem tanquam panem manducaui, & poculum meum cum fletu miscui.

A facie indignationis tuæ, & iræ tuæ, quia eleuans allisisti me.

Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut herba arui.

Tu autem Domine in æternum permanes, & memoria tui in generatione & generationem.

Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserandi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius, & terræ eius miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationē humilium, & non spreuit preces eorum.

Scribantur hæc pro generatione futura, & populus, qui creabitur laudabit dominū.

Quia prospexit de excelso sanctuario suo, Dominus de cælo in terram aspexit.

Vt audiat gemitus compeditorum, vt soluat filios mortis.

Vt annuncient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Hierusalem.

Cùm

Cùm cõuenerint populi in vnum, & reges, vt seruiant Domino.

Affixit in via fortitudinem meam, ab breuiauit dies meos.

Dicam, Deus meus ne rapias me in dimidio dierum meorum, in generatione & generationem anni tui.

Initio tu domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filij seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum in sæculum dirigetur.

EXPLANATIO.

Et ossa mea sicut torris aduста sunt. *Sic verbit etiam Symmachus significat autem pra dolore animi corpus ipsum macie cõfectum esse.*

Percussum est vt herba. *Vt herba solis ardore percussa, vel falce demessa exare scit: ita cor meum assiduis calamitatibus, & angoribus extabuit.*

Adhæsit os meum carni meæ. *Significat his verbis carnem suam ita consumptã esse assiduo fletu, & mœrore, vt ossa iam cui inhæreant, neque vlla caro intercedat: Hebræa enim lingua carnem pro cute aliquando appellare solet.*

Pellic

Pellicano solitudinis. *Quidam verterunt ex Hebræo, onocrotalo: sed ne Hebræi quidem sciunt, quænam istæ aues sint.*

Et insultantes mihi per me iurant. *Id est. ad tantam calamitatē & miseriam venimus, vt qui iurātes sibi mala volunt precari, Hebræorum ærumnas sibi precentur.*

Quia cinerem. *Significat, se in maximo luctu, & mœrore esse, lugentes enim in puluere sacere consueuerant.*

Quia eleuans allisisti me. *Elegantissima allegoria exaggerat magnitudinem iræ diuinæ & calamitatis suæ: nam quæ volumus ad terram grauiter affigere, ea altè extollimus.*

Dies mei sicut vmbra declinauerūt. *Comparat vitam suam fugatissimam vmbræ inclinatæ, & iam iamq; in tenebras euanescenti. Sic in Psalmo 109. Sicut vmbra cùm declinat, ego pertranseo. De vmbris inclinatis est illud Vergilij: Maioréſq; cadunt altis de montibus vmbræ.*

Quia tempus miserendi eius. *Significat 70. illos annos per quos duratura erat seruitus Hebræorum, iam exactos esse, idque eo etiam argumento probat, quòd iam Cyro, & Dario placuisset Hierosolyma instaurari, eos autem seruos Dei appellat, propterea quòd Deus opera eorum ad res magnas administrandas vsus sit. Sic etiam Dominus apud Esaiam vocat Cyrum seruum suum.*

Et omnes reges terræ. *Id fieri cœptum est iam tum à Cyro & Dario, sed perfectũ est postea, cùm filius Dei corpus humanũ assumpsisset.*

Et videbitur in gloria sua. *Etenim homines à vera religione abhorrentes cùm viderent Hierosolyma, & templum Dei euersa esse, eiusq; cultores omnibus calamitatibus oppressos, irridebant ipsum Deum tanquam imbecillum, qui q; sibi, ac suis opitulari nõ posset, ita q; vrbs instaurata, & populus in libertatẽ vendicatus, & tẽplum magnificentissimè extructum, hac inquã omnia ad maximam Dei gloriã redundatura erãt. Sed hac, & ea quæ sequuntur, in primis dicta sunt à viro sancto de ædificatione ecclesiæ, et regno Christi, quarum rerum imagines atq; vmbræ erant res, quæ exponũtur in his versibus, siquidem cùm Deus gẽtem Hebræam durissima illa seruitute Babylonica liberaret: significat se misso Christo liberaturum crudelissima tyrannide diaboli genus humanum, quod vinculis & compedibus vitiorum & scelerum obstrictum mortiq; sempiternæ addictum erat. Instauratio autem Hierosolymorum & templi significabat constitutionem religionis Christianæ, & ecclesiæ sanctæ in quã populi, & reges conuenturi erãt ad colendum, & venerandum verum Deũ abiecta superstitione, at q; ita ille videndus erat in gloria sua, id est, nomen eius omnibus terrarum finibus celebre futurum erat, cùm scilicet mortales*

les intelligentes ipsum esse, qui per vnigenã filium suum non solum omnia peccata delet, sed etiã vitã beatam & immortalem donat, Deos fictos, & commentitios repudiarent, atq; illius sanctissimo numini summa reuerentia preces, cultus, honores adhiberent.

Filios mortis. *Id est, morti iam addictos.*

Afflixit in via. *Attriuit hostis, inquit, vel ipse Deus vires meas longis itineribus, et magnitudine calamitatũ breuiorẽ mihi vitã reddidit.*

In generatione & generationem anni tui. *Consolatur se prædicanda infinita potentia Dei atq; eius æternitate: cùm enim ille omniũ rerum præpotẽs sit, nulla vis eum prohibere potest, quominus populum suum è manibus impiorũ eripiat: quemadmodum se facturũ pollicitus est, cumq; idem vita optima et sempiterna sit, vnde vniuersis amantibus vita manat, et spiritus, profectò homines pij qui cũ ipso tam arcto amoris vinculo conglutinati sunt, vt nihil fieri possit copulatius, nullo modo perire possunt, licet oculis insipientium mori videantur, itaque cum infra dixisset, annos Dei esse innumerabiles subiungit, filij seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum coram te stabilietur, significans his verbis se Deum æternum esse, etiã eos qui in terris iustè cum fide ac pietate Deum colunt, in cælo vnà cum illo beatos æuum acturos sempiternũ.*

Ipsi peribunt. *De hoc interitu cæli, atq; eius*

immutatione diuus Petrus in 2. epist. scribit ad hunc modum: Veniet autem dies Domini sicut fur in nocte, quo cœli magno impetu trāsibunt, elementa verò calore soluentur, terraq; & quæ in ea sunt, opera exurentur. Cùm igitur hæc omnia dissoluātur, quales nos esse oportet in sanctis cōuersationibus, ac pietatib⁹ expectātes, et accelerantes aduentum diei Domini? per quem cœli incensi vniuersi sōluentur, et elemēta ignis ardore liquescent. Sed cœlos nouos, ac terrā nouam iuxta promissum ipsius expectamus, in quibus iustitia inhabitat.

ARGV. PSAL. CIII.

Celebrat hoc hymno suauissimo misericordiam & bonitatem Dei erga humanum genus, & docet nos agere gratias pro beneficiis, quæ ille quotidie in nos liberalissimè confert.

Psalmus CIII.

BEnedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te misericordia, & miserationibus.

Qui satiat bonis animam tuam, renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua.

Fac

Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Mosi, filiis Israël voluntates suas.

Misericors, & clemens Dominus, longanimis, & multum misericors.

Non in perpetuum contendet, neque in æternum vlciscetur.

Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundùm altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente, lõgè fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentium se, quoniã ipse cognouit figmentum nostrum.

Recordatus est, quòd puluis sumus, homo sicut herba dies eius, tãquam flos agri, sic efflorescit.

Quoniam ventús pertransibit illum, & non subsistet, & non cognoscet eum amplius locus eius.

Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.

Et iustitia illius in filios filiorum his, qui seruant testamentum eius.

Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.

Dominus in cœlo stabiliuit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Deo Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius.

Benedicite Domino omnes exercitus eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.

EXPLANATIO.

Omnia, quę intra me sunt. *Ita vocat cogitationes, & intimos animi sensus, et affectiões.*

Omnes retributiones eius. *Consuetudine linguæ Hebrææ retributiones appellat beneficia, quæ Deus vltro nobis tribuit pro sua incredibili misericordia.*

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. *Eas tibi condonans, & sanat omnes morbos animi & corporis tui.*

Qui redimit de interitu. *Ex crebris enim & grauissimis periculis Deus eripuit Dauidē, & illum tandem ad regiam dignitatem perduxit, sed et nos quotidie pericula maxima adiremus,*

mus, nisi eius misericordia, & clementia tanquam scuto firmissimo protegeremur.

Qui replet bonis animam tuam. *Ita vertimus secuti interpretationē Abrahami Esdræ.*

Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua. *Apud auctores probatos nusquā legi, Aquilam ex prouectiori ætate ad iuuentutē redire, itaq; haud scio, an horū verborum hæc sit sententia, vires suas ita redintegratū iri, vt robustissimæ iuuentuti Aquilæ comparari queat.*

Notas fecit vias suas. *Hoc in præcipuis Dei beneficijs numerandum est: nisi enim ille nobis aperuisset quid de suo numine sentiēdum, quæ vera sanctitas, quæ pura, et casta religio, quid in vita sequendum, fugiendumve sit, in maximis profectò errorū tenebris versaremur. Neq; tamen hoc satis est putandum, quòd Deus vias suas errantibus indicarit, nisi idem suo spiritu nos per eas duceret: talis enim, & tāta est animorum infirmitas, & depravatio, vt eius auxilio destituti nihil boni agere possimus.*

Quomodo miseretur pater. *Parentes enim nullis filiorum iniurijs ab amore deterrentur, sed illorum errata modo dissimulant, modo salutariter castigant, eosque incredibili studio, & pietate amplexantur.*

Quoniam ille cognouit figmentum nostrum. *Nouit, inquam nos non solùm è luto fictos esse, sed etiā dū cōcipimur in vtero matris*

ita cognatione peccati cõtaminari, & ad libidines, atq; omnia vitia simus maximè proclines.

Tanquam flos agri efflorescit. *Qui enim modò vigebat, et formosissimus erat, dicto citiº edita anima tabescit, et penè in nihilũ recidere videtur, non aliter quàm flos, quem vbi vētus aliquis immitior perflauit, illicò desinit esse, neque cernit amplius eum locus, vbi paulò ante pulcherrimus floruerat.*

Misericordia autem Domini. *Vita quidẽ hominum fragilis, et fugacissima est, sed misericordia Dei est immortalis, & sempiterna: quæ quidem facit, vt cultores ipsius, quãuis sua pte natura sint inanes, & caduci, auo sempiterno beatissimi fruantur.*

Dominus in cœlo. *Hæc est maxima piorũ consolatio in hac vita fragili, & caduca plenaq; laborum, & calamitatum, quòd certò sciunt, Deum in cœlo sempiternum domicilium habere, eiusq; potestate, ac numine omnia regi, gubernariq;, vt minimè dubitandum sit, quin ille piorum, impiorumq; rationem habeat.*

Benedicite Domino Angeli eius. *Itaque cũ summus ille Deus sit omnium rerum Dominus, neque solùm imperio terrarũ potiatur, sed etiã cœlo, cœlitibusq; præsideat, eosq; perinde ac cætera omnia ex nihilo crearit, tueatur, atq; cõseruet, adesto ò cælites beati & nobiscum vnà hymnos sanctissimo eius numini cãtate, cantate lau*

te laudes Deo ò fidiſſimi nũtij, et miniſtri eius, qui viribus veſtris innumerabiles copias impiorum ad internecionẽ ſæpe cæcidiſtis, quiq; nihil ſanctius aut antiquius habetis, quã veſtri parentis, et creatoris mãdata exequi, atque illius dicto audientes eſſe.

Benedicite Domino omnes exercitus eius. *Hoc ait, quoniam ſunt multi ordines illarum mentiũ beatarum, quæ corporibus vacãt.*

Benedicite Domino omnia opera eius. *Hortatur etiã ea, quæ ratione, & ſenſibus carent ad hymnos canẽdos, ſignificãt, ad omnes mũdi particulas beneficia Dei permanare, tum etiam, quicquid cernimus, & ſenſibus vſurpamus, ad bonitatem, & ſapientiam Dei cõtemplandam, & prædicandam homines excitare.*

ARGV. PSAL. CIIII.

Superiori hymno celebrauerat incredibilem miſericordiam & benignitatem Dei erga ſe, ac cæteros mortales: hoc elegantiſsimè deſcribit pulchritudinem rerum ab eo creatarum, & excellentiam earum partium, ex quibus hæc admirabilis vniuerſi amplitudo conſtituta eſt, in quibus omnibus elucet infinita vis, & ſapientia, & bonitas Dei.

Pſalmus CIIII.

BEnedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

Gloriam, & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.

Extendens cœlum ſicut cortinam, qui tegis aquis cœnacula eius.

Qui ponis nubes currum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum.

Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.

Qui fundaſti terram ſuper baſem ſuam, non mouebitur in ſæculum ſæculi.

Abyſſo ſicut veſtimento operuiſti eam, ſuper montes ſtabant aquæ.

Ab increpatione tua fugerunt, à voce tonitrui tui præcipites defluxerunt.

Aſcenderunt montes, & deſcenderunt campi in locum, quem fundaſti eis.

Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque reuertentur operire terram.

Tu emittis fontes in fluuios, qui inter montes labuntur.

Bibunt inde omnes beſtiæ agri, extinguunt onagri ſitim ſuam.

Iuxta illos volucres cœli habitãt, de medio frondium dant vocem.

Tu rigas mõtes è cœnaculis tuis, de fructu operum tuorum ſatiatur terra.

Tu producis gramen iumentis, & herbam homine cultum adhibente.

Vt educat panem è terra, & vinum lætificat cor hominis.

Et nitere facis faciem ab oleo, & panis cor

cor hominis confirmat.

Saturantur ligna Domini, & cedri Libani, quas plantauit, illic passeres nidificant.

Ciconiæ domus sunt abieres, montes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis.

Tu fecisti lunam in tempora, sol cognouit occasum suum.

Tu ponis tenebras, & fit nox, in ipsa vagantur omnes bestiæ syluæ.

Catuli leonum rugientes ad prædam, vt quærant à Deo escam sibi.

Oriente sole congregantur, & in cubilibus suis conquiescunt.

Exit homo ad opus suum, & ad laborem suum vsque ad vesperam.

Quam magnifica sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.

Hoc mare magnum, & spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum magnis: illic naues pertranseunt.

Leuiathan iste quem formasti ad ludendum in eo: omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore.

Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia replebuntur bonis.

Auertente autem te faciem tuam cõturbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient,

cient, & in puluerem ſuum reuertentur.

Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.

Erit gloria Domini in ſæculum, lætabitur Dominus in operibus ſuis.

Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant.

Cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo quandiu ſum.

Iucundum ſit ei eloquium meum, ego lætabor in Domino.

Deficiant peccatores à terra, & iniqui amplius non ſint, benedic anima mea Domino. Alleluya.

EXPLANATIO.

Gloriam, & decorem induiſti. *Nam magnitudo, & præſtantia rerum creatarum tãta eſt, vt te quaſi gloria, & ſplẽdore veſtire videatur, dũ vniuerſos mortales excitat ad ſuſpiciendam, & prædicandam potentiã, et bonitatem, & ſapientiam tuam.*

Qui tegis aquis cœnacula eius. *Videtur innuere id, quod ſcriptum eſt in Geneſi, et diuiſit Deus inter-medium aquæ, quæ erat infra firmamentum, & inter-medium aquæ, quæ erat ſupra firmamentum.*

Qui ponis nubes. *His allegoriis ſignificare videtur vim diuinam vbique præſentem, ſeq; per omnes mundi particulas inſinuantem, &*

tan

tanquam celerrimè omnia permeantem.

Qui facis Angelos. *Id est, qui ventis, & igne vteris tanquam ministris et nūtijs. Ventorum ministerio Deus viam strauit Hebræis in mari rubro, igne Sodomitas consumpsit: sunt alia multa exempla eiusdem generis in historia sacra, eadē fere loquēdi figura vsus est in Psal. 149. cū ait: Ignis, grando, nix, vapor, spiritus procellarum faciens mandatū eius. Ita Hebræi explanāt hunc locum. Sed diuus Paulus in Epist. ad Hebræos scripta sic interpretatur, tanquam ea dicta sint de mētibus illis beatis, quæ sunt ab omni admistione corporum puræ, atque syncerę, vt Dauid prædicet, Deum non solùm earum rerū quæ sub aspectū cadunt, sed etiam earum, quæ sola cogitatione percipiuntur, opificem fuisse. Vocauit autē eas mentes spiritus, & ignem vrentem, vt celeritatem, & vim, atque efficacitatem earum declararet. Sic Theodoretus, at ǽ Euthymius interpretantur, sed Dionysius hæc diligentius persequitur in libro qui inscribitur de cælesti Hierarchia.*

Qui fundasti terram super basem suam. *Basis terræ est centrum ipsum, ad quod omnes terræ ipsius partes vndique suo pondere nituntur, atque ita in medio mundi loco terra immobilis manet.*

Abyssо sicut vestimento. *Describit elegātissimè opus tertij diei, quo die summus ille opi-*

fex:

fex omnem vim aquæ in vnum locum coegit, vt existeret terra. Itaque ait, à principio terras omnes aquæ amictu opertas fuisse, sed horrifica voce Dei Oceanum increpitum, & perterrefactum sese in fugam dedisse, tunc primum apparuisse montium altitudinem, camporumque, ac vallium humilitatem. Non dissimilis est illa Virgilij descriptio.

Tum durare solum, & discludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim sumere formas.
Iamque nouum terræ stupeant lucescere solem,
Incipiant sylua cùm primum surgere, cumque
Rara per ignotos errent animalia montes.

Terminum posuisti. *Humilitas ipsa loci, quo nititur aqua, terminus est, quẽ Deus ei præfixit, ne terras posset obruere: cùm enim illa suapte natura deorsum versus feratur, terra autẽ effecta sit excelsior eius receptaculo, quì possit vlla vis maris amplius eam submergere?*

Sedant onagri sitim suam. *Meminit præcipuè onagrorũ, propterea quòd id animal solitudines maximè persequitur, & ob eam rem in locis arentibus fere commoratur, et siti laborat.*

Vt educat panem è terra. *Colit inquã homo agros, vt cibum sibi è terræ sinu eliceat.*

Et vinum lætificat cor hominis. *Quidam ita vertunt, & vinum quod lætificat cor hominis, & oleum, quod nitidam reddit faciem, & panem, qui cor hominis confirmat.*

Satur

Saturantur ligna Domini. *Ea genera arborum significat, quæ sunt nõ rastris hominum, non vlli obnoxij curæ, sed benignitate Dei ſponte ſua oriuntur, & fœcundis imbribus irrigata ſitim ſuam explent: ſéque formoſas, viridéſq; conſeruant.*

Tu feciſti lunam in tempora. *Id eſt, vt eius curſu tempora diſtinguãtur, & notentur, ſed illud ſcire oportet, vocabulum Hebræum ſignificare ea tempora, quibus homines conueniũt ad dies feſtos, & ſolennes celebrandos: ea verò tempora ad Lunæ curſum notabantur, vt ſcriptum eſt in Exodo, & Leuitico.*

Tu ponis tenebras. *Exponit vtilitates, quas percipiunt animantia ex vicißitudine dierum, ac noctium.*

Leuiathan iſte. *Hoc verbo ſignificat immanes illas, & vaſtas belluas maris.*

Omnia à te expectant. *Hic eſt tanquam epilogus hymni, in quo admirabili orationis magnificentia deſcribit prouidentiam Dei, cunctis animantibus ſpiritum, vitam, victúmque largientem, vt ſine eius præſentia & tutela, omnia in nihilum interire neceſſe ſit.*

Erit gloria Domini in ſæculum. *Cùm itaque Deus tam multiplices res, tamq; admirabili pulchritudine, & varietate diſtinctas ex nihilo creauerit, illaſq; tanta benignitate tueatur, atque conſeruet: iure, ac merito eius gloria*

ſemper

semper floret, & ad infinitas sæculorum ætates propagatur.

Qui respicit terram. *Hoc versiculo magnificè describit potẽtiam Dei, qui vel solo aspectu terras tremefaciat, & mõtes solo contactu incendat, & fumo, atque igne compleat. Innuit autem rem gestam in monte Sina.*

Cantate Domino in vita mea. *Vir sanctus ex tantarũ rerum contemplatione, ad cultum, & venerationem Dei mirabiliter accẽsus profitetur, se totam vitam consumpturum in canendis, & celebrandis laudibus Dei, in quo vno omnes suas voluptates, & iucunditates sit collocaturus.*

Benedic anima mea Domino. Alleluya. *Non satis esse existimãs, si solus ipse laudes sanctissimi numinis cãtaret, cæteros quoque ad eã rem hortatur, cùm ait, alleluya, quod Latine sonat, laudate Deum.*

ARGVM. PSAL. CV.

Hortatur populum ad laudes Dei canendas, exponens immortalia eius beneficia in gentem Hebræam: repetit autem historiam vsque ab Abrahamo, eámq; perducit ad ea tempora, cùm Deus terram Cananæorum Iudæis possidendam dedit.

Psalmus CV.

COnfitemini Domino, & inuocate nomen eius, annunciate inter gẽtes opera eius.

Cantate ei, & psallite ei, narrate omnia mirab

mirabilia eius.

Gloriamini in nomine sancto eius, lætetur cor quærentium dominum.

Quærite dominũ, & fortitudinem eius, quærite faciem eius semper.

Mementote mirabilium eius, quæ fecit, prodigiorum eius,& iudiciorum oris eius.

Semen Abraham serui eius, filij Iacob electi eius.

Ipse dominus *D*eus noster, in vniuersa terra iudicia eius.

Memor fuit in sæculum fœderis sui, verbi quod mandauit in mille generationes.

Quod pepigit cum Abraham, & iuramẽti sui ad Isaac.

Et statuit illud ipsi Iacob pro lege, & Israëli in fœdus æternum.

Dicens, tibi dabo terram Canaam funiculum hæreditatis vestræ.

Cùm essent numero exigui, pauciſsimi, & peregrini in ea.

Et pertranſirent de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

Non permisit hominem nocere eis, & corripuit propter eos reges.

Nolite tãgere Christos meos, & in prophetas meos nolite malignè agere.

Et vocauit famẽ super terram, & omne firmamentum panis contriuit.

Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph.

Afflixerunt in compedibus pedes eius, in ferrum venit anima eius, donec veniret verbum eius.

Eloquium domini purgauit eum, misit rex, & soluit eum, princeps populorum, & dimisit eum.

Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.

Vt vinciret principes ipsius pro arbitrio suo, & senes ipsius sapientiam doceret.

Et intrauit Israël in Aegyptũ, & Iacob accola fuit in terra Cham.

Et auxit populum suum vehementer, & roborauit eum super inimicos eius.

Conuertit cor eorũ: vt odirent populum suum, & dolum facerent in seruos suos.

Misit Moysem seruum suũ, Aarõ, quem elegit.

Posuerũnt inter eos verba signorũ eius, & prodigiorum in terra Cham.

Misit tenebras, & obscurauit, & non fuerunt rebelles verbis eius.

Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum.

Et dedit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum.

Dixit, & venit multiplex turba inse-

rum, & pediculi in omnibus finibus eorũ.

Conuertit pluuias eorum in grãdinem, in ignem comburentem in terra ipſorum.

Et percuſsit vineas eorũ, & ficulneas eorum, & contriuit lignum finium eorum.

Dixit, & venit locuſta, & bruchum, cuius non erat numerus.

Et comedit omnem herbam in terra eorum, & comedit fructum terræ eorum.

Et percuſsit omne primogenitũ in terra eorum, primitias omnis fortitudinis eorum.

Et eduxit eos cum argẽto, & auro, & nõ erat in tribubus eorum infirmus.

Lætata eſt Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorũ ſuper eos.

Expãdit nubem in protectionem eorũ, & ignem, vt luceret eis per noctem.

Petierunt, & venit coturnix, & pane cœli ſaturauit eos.

Interrupit petram, & fluxerunt aquæ: decurrerunt in ſicco flumina.

Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui, quod habuit ad Abraham ſeruum ſuum.

Et eduxit populũ ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia.

Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum hæreditate poſſederunt.

Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & le-

ges eius obseruent. Alleluya.

EXPLANATIO.

Gloriamini in nomine sancto eius. *Ille gloriatur in Deo, qui eius liberalitati acceptum refert, quicquid prædicabile, & gloriatione dignum se habere existimat. Fortitudinem Dei quærit, qui perspecta inanitate virium suarũ se ac sua omnia potentissimi numinis tutelæ, præsidioq; committit. Faciem Dei semper quærit, quisquis ante omnia studet, vt omnibus in rebꝰ potentiam, bonitatẽ, & sapientiam illius contempletur, eumq; præsentem, ac propitium semper habeat.*

In vniuersa terra iudicia eius. *Penes ipsum est imperium omnium terrarum, & tamen nos cæteris omnibus gentibus chariores habet.*

Memor fuit in sæculum. *Sẽper Dominus memor fuit fœderis, quod fecerat cum Abrahamo, fœderis inquã, quod durare voluit ad innumerabiles sæculorum ætates.*

Et statuit illud ipsi Iacob pro lege. *Leges huius fœderis erant, ne Hebræi aliquem Deum colerent extrà ipsum, ipse contrà nullam gẽtem æquè charam haberet atque Hebræam.*

Funiculum hæreditatis vestræ. *Hæc loquẽdi figura ducta est à cõsuetudine Iudæorum, qui funibus agros metiebãtur, est igitur sensus, assignabo tibi agros Cananæorum, vt eos possideas iure hæreditario.*

Nolite

Nolite tangere. *Castigauit inquam reges, eos admonẽs his verbis. Nolite tãgere Christos meos. Christos antẽ suos appellat eos, quos spiritu suo vnxerat, & veros reges, ac sacerdotes constituerat, de qua vnctione dictũ est in explanatione Psalmi. 45.*

Et vocauit famem super terram. *Cognitio earum rerum, quæ attingũtur his versibus, maximum solatium præbere debet hominibus pijs in calamitate, promiserat Deus terram Cananæorum familiæ Abraham, sed antequam illa promissum consequeretur, penè fame enecta in Aegyptum fugere, & durissimam, maximeq; diuturnam seruitutem apud Barbaros seruire coacta est. Idem Ioseph eo consilio præmisit in regionem illam, vt dignitate regi proximus eua deret, neque familiam suam modò, sed vniuersam Aegyptum ab imminenti exitio tueretur: sed vide, quàm duris initijs, & progressionibus adolescentem sibi charissimum ad eum honorem, potentiámque perduxerit. Hæc intelligens vir pius, cui vita beata & immortalis promissa est à Deo, tum maximè spe bona, bonoque animo esse debet, cùm maximè calamitosus est: solet enim summus ille pater ad inferos deijcere, quos cœlo donare constituit: contráque, impios ad breue tempus in sublime tollit, vt grauiore casu decidant in miserias sempiternas.*

In seruum venundatus est Ioseph. *Memorabile profectò exemplum nobis proponitur, quo intelligamus, bonis omnia vertere in bonũ. Venditur à fratrib' homini Barbaro Iosephus: quid miserius? at hæc calamitas non solum maximã prosperitatem iuueni sancto, sed etiam salutem familiæ suæ, & cunctis Aegyptijs peperit. Itaque cùm fratres huius nefarij sceleris veniam, & impunitatem peterent, hoc pulcherrimum responsum ab eo tulerũt. Omittite omnem metum, nũ repugnare possumus Dei voluntati? Vos quidem mihi perniciem comparastis, sed Deus culpam vestram conuertit ad bonum, vt me ad eã quam videtis, dignitatem extolleret: & consilio atque opera mea magnam vim mortalium exilio liberaret.*

Omne firmamentum panis contriuit. *Ita vocat panẽ, propterea quòd eo vires corporis sustentantur.*

Misit ante eos virum. *In Genesi cap. 37.*

In ferrum venit anima eius. *Id est, in vincula ferrea coniectus fuit: solet enim Hebræa lingua animam appellare pro animante ipso.*

Donec veniret verbum eius. *Id est, donec mitteretur à Deo vis illa interpretandi somnia, de qua in Genesi cap. 40.*

Eloquium Domini purgauit eum. *Interpretatio inquam illa somniorum squallorem, et sordes carceris illi eluit, & innocentiam & sa-*

Ita

Ætitatem eius talem esse declarauit, quale est aurum igne purgatum.

Constituit eũ Dominus. *In Genesi cap. 41.*

Vt vinciret principes. *Id est, vt præpositus esset etiam principibus Aegyptijs, eius q; potestas esset illos in vincula conijciendi.*

Et intrauit Israel. *In Genesi cap. 45. Aegyptũ verò appellat terrã Cham, propterea quòd is genuit Mesrainum, à quo regio illa cæpta est habitari.*

Et auxit populum suum. *In Exod. cap. 1.*

Conuertit cor eorum, vt odirent populũ suum. *Vide quid agat prouidẽtia Dei, odia Barbaræ gẽtis incitat in Iudæos innocentes, vt crudelitas impiorũ illustrem, & gloriosam reddat potentiam, & misericordiam suam. Itaque cũ illi omnibus rebus asperrimè tractarentur ab Aegyptijs, neque vlla spes ostenderetur, melius fore: Moses, & Aaron à Deo mittuntur, qui editis inauditis prodigijs, & vniuersa Aegypto maximis calamitatibus vexata, gẽtem suã seruitute liberarẽt, eamq; ad optimam Syriæ partem traducerẽt, quam ipse olim familiæ Abrahami se promiserat assignaturum.*

Misit Mosem. *Ex cap. 1. & 4. Exodi.*

Posuerunt inter eos. *Moses (inquit) & Aaron ediderunt in Aegypto prodigia maxima vi numinis diuini.*

Misit tenebras. *In Exod. cap. 10.*

Et non fuerũt rebelles. *Deus (inquit) portentosa nocte diem obscurauit & ſus opera Moſis & Aaronis: ij enim verbis eius obtemperarũt, neque veriti ſunt, potentiſſimi regis inimicitias ſuſcipere.*

Conuertit aquas eorum. *In Exod. cap. 7.*

Et dedit terrã. *In Exod. cap. 9.*

Dixit, & venit. *In Exod. cap. 10.*

Et percuſsit omne. *In Exod. cap. 12.*

Primitias fortitudinis eorum. *Verba hæc explanata ſunt in explanatione Pſalmi 78.*

Et eduxit eos. *In Exod. cap, 13.*

Expendit nubem. *In Exod. cap. 13.*

Petierunt, & venit. *In Exod. cap. 16.*

ARGVM. PSAL. CVI.

Gens Hebræa in ſeruitutem abducta cõmemorat & peccata maiorum ſuorum, & beneficia Dei erga illos, & opem ſuis calamitatibus implorat.

Pſalmus CVI. *Alleluya.*

COnfitemini domino, quoniam bonus: quoniam in ſęculum miſericordia eius.

Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius?

Beati, qui cuſtodiunt iudiciũ, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.

Memento mei domine cum bona volũtate erga populum tuum, viſita me in ſalutari tuo.

Vt videam in bono electorum tuorum, & læter in lætitia gentis tuæ, & glorier cum hæreditate tuæ.

Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, impiè fecimus.

Patres noſtri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ.

Et rebelles fuerunt iuxta mare, mare rubrum.

Et ſaluauit eos propter nomen ſuum, vt notam faceret potentiam ſuam.

Et increpuit mare rubrum, & exſiccatũ eſt, & deduxit eos per abyſſos tanquam per deſertum.

Et ſaluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici.

Et operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remanſit.

Et crediderunt verbis eius, & cecinerunt laudem eius.

Acceleraverunt, obliti ſunt operũ eius, & non expectauerunt conſilium eius.

Et concupierũt concupiſcentiam in deſerto, & tentauerunt Deum in ſolitudine.

Et dedit eis petitionem ipſorũ, & miſit maciem in animam eorum.

Et æmulati ſunt Moyſen in caſtris, Aaron ſanctum domini.

Aperta est terra, & deglutiuit Datham, & operuit congregationem Abyron.

Et exarsit ignis in congregatione corũ, flamma combussit peccatores.

Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt conflatile.

Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.

Obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

Et dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in diuisione in conspectu eius.

Vt auerteret irã eius, ne disperderet eos, & pro nihilo habuerũt terrã desiderabilẽ.

Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis, non obedierunt voci domini.

Et eleuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto.

Et vt deijceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus:

Et initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum.

Et irritauerunt eũ in studijs suis, & multiplicata est in eis plaga.

Et stetit Phinees, & vindicauit, & cessauit plaga.

Et re

Et reputatum est ei in iustitiam: in generationem, & generationem vsq; in sempiternum.

Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius.

Et perperam locutus est labijs suis, non disperdiderunt gẽtes, quas dixit Dominus illis.

Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalũ.

Et immolauerũt filios suos, & filias suas dæmonijs.

Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaam.

Et infecta est terra sanguinibus, & contaminati sunt in operibus suis, & fornicati sunt in studijs suis.

Et iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam.

Et tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eis, qui oderant eos.

Et tribulauerunt eos inimici eorum, & afflicti sunt sub manibus eorum, sæpe liberauit eos.

Ipsi

Ipsi autem rebelles fuerunt in consilijs suis, & depressi sunt in iniquitatibus suis.

Et vidit, cùm tribularētur, & audiuit orationem eorum.

Et memor fuit fœderis sui, & pœnituit eum secundùm multitudinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos in misericordias in conspectu omniū, qui captiuauerant eos.

Saluos nos fac domine Deus noster, & congrega nos ex gentibus.

Vt confiteamur nomini sancto tuo, & cantemus laudes tuas.

Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & vsque in sæculum, & dicat omnis populus, Amen. Alleluya.

EXPLANATIO.

Quis loquetur potētias. *Hæc interrogatio vim negandi habet, significat enim, neminem posse laudes Dei verbis assequi.*

Vt videam in bono electorum tuorum, *Hæc loquendi forma est Hebræa, Latinè autem sic reddēda erat, Vt delecter videns bona electorum tuorum.*

Peccauimus cum patribus nostris. *Hæc est illa animi summissio, quæ diuinum numen vel maximis sceleribus violatum placare potest, contrà, nihil odiosius superbia Pharisæorum, quæ iactat illas voces, Si fuissemus in diebus patrū*

nostro

nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum.

Et rebelles fuerunt iuxta mare rubrum. *Hæc historia scripta est in Exod. capit. 14. Sed quidam ex Hebræo vertũt, iuxta mare in mari rubro: & sensus sit, illos nũ solùm in littore maris rubri, sed etiam dum ipsum mare pedibus transmitterẽt de Deo conquestos esse, & de eius fide, ac prouidentia dubitasse, cũ viderent, Aegyptios magno impetu à tergo insequi.*

Et crediderunt verbis eius. *In hoc versu, et proximo falsa pietas egregiè describitur, quæ rebus secundis prouidẽtiam Dei magnificè laudat, deq; verbis, & promissionibus illius dubitare, scelus nefariũ censet, quòd si quid duri incidat, illico se prodit animi morbus, & simulatio: nam timida, querula, solicita est, neque moram ferre potest, neque Deo confidere, sed illius consilium sua stultæ prudentia nititur anteuertere, atq; omnem spem in propinquis, amicis & pecunia reponit, multos inanes Deos pro vno vero comminiscens.*

Et cecinerunt laudem eius. *Hymnum pulcherrimum significat, qui scriptus est in Exod. cap. 15.*

Accelerauerunt, obliti sunt operum eius. *Hæc ait, quoniam post tertium diem, quã mare transmiserant, cœperunt maledicere Mosi, & Aaroni, propterea quòd diffiderent prouidẽtiæ, & boni*

& bonitati diuinæ, cùm eos aquæ defeciſſet.

Et concupierunt concupiſcentiam. *Cap. 17. Exodi.*

Et miſit maciem. *Id eſt, cùm faſtidirent cibum è cælo demiſſum, & ſe carnibus explere auidiſſimè cuperẽt, obſecutus quidẽ illis eſt Deus, ſed cum maximo ipſorum malo: nã macies pro ſagina, mors pro vitæ conſecutu eſt, de qua re in Num. cap. 11.*

Aperta eſt terra. *In Num. 16.*

Operuit congregationem Abyron. *Significat ducentos illos & quinquaginta, qui cũ Dathane, & Core, & Abyrone coniurauerũt. Diſcendum eſt autem ex hac hiſtoria, quæ pœna maneat eos, qui ſeditiones concitant, & contra legitimam poteſtatem arma ferre non verentur.*

Et fecerunt vitulum. *Cap. 32. Exodi.*

Et mutauerunt gloriam ſuam. *Deum appellat gloriam, & decus Hebræorum.*

Et dixit vt diſperderet illos. *Cap. 32. In Exodo.*

Si non Moſes electus eius ſtetiſſet in diuiſione in conſpectu eius. *Id eſt, niſi Moſes ſe præbuiſſet interpretem, & ſequeſtrem, diſiunctos, & inter ſe alienatos reconcilians.*

Et pro nihilo habuerunt terram. *In Numeris. cap. 14.*

Non crediderunt verbo eius. *Qui promiſerat.*

ſerat, ſe terram illam eis aſſignaturum hereditario iure poſſidendam.

Et eleuauit manum ſuam. *In Nume. cap. 14. Dicit autem iurauiſſe Deum ſe eorũ nomen ad internecionẽ redacturum: iurãtes enim manum ad cælum tollebãt. Hinc illud in Deuteronomio, Leuabo ad cælum manum meam, & dicam, Viuo ego in æternum &c. ſunt tamen qui ſimpliciùs interpretantur, Deum ſcilicet manũ ſuſtuliſſe, quò illos grauius feriret.*

Et initiati ſunt. *In Num. cap. 25.*

Et comederunt ſacrificia mortuorum. *Sic appellat falſos Deos: Colebat enim antiquitas pro Dijs, quorum ſepulchra oſtendebantur.*

Et ſtetit Phinees. *In Num. cap. 25.*

Et irritauerunt eum. *In Num. cap. 20.*

Et vexatus Moſes. *Nam in fines Cananæorum, ad quos populum tanto cum labore adduxerat, ipſe ingredi non potuit, peccauit autem Moſes ob perturbationem animi quæ illi acciderat propter maledicta, & aſſiduos clamores ipſius populi.*

Et perperam locutus eſt. *Iuſſus enim ſilicem alloqui populum allocutus eſt, & ita quidẽ vt videretur dubitaſſe, num aquæ è ſaxo elicendæ eſſent: quod tamen Deus ita futurũ promiſerat. Hæc hiſtoria ſcripta eſt in Num. cap. 20.*

Non diſperdiderunt gentes. *Hæc & ea, quæ ſequuntur, ſcripta ſunt in libro Iudicum.*

ARGV. PSAL. CVII.

Hymnus pulcherrimus est, in quo celebrat prouidentiam Dei, summa iustitia & misericordia res humanas administrantem.

Psalmus. CVII.

COnfitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicant, qui redempti sunt à *D*omino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos,

A solis ortu, & occasu, ab Aquilone, & mari.

Qui errabant in solitudine, in deserto inuio, neque ciuitatem habitatam inueniebant.

Qui esuriebant, & sitiebant, quorum anima deficiebat.

Hi clamauerunt ad *D*ominum cùm tribularentur: & de angustiis ipsorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis.

Cõfiteantur Domino propter misericordias eius, & mirabilia eius filiis hominum.

Quia satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis.

Qui sedebant in tenebris, & vmbra mortis, vincti afflictione, & ferro.

Quia

Quia rebelles fuerunt sermonibus Dei, & consilium altissimi despexerunt.

Et ipse humiliauit in laboribus cor eorũ & corruerunt, nec fuit, qui adiuuaret.

Hi clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de angustiis ipsorum liberauit eos.

Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit.

Confiteãtur Domino propter misericordias eius, & mirabilia eius filiis hominum.

Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

Stulti propter viam iniquitatis suæ, & propter iniustitias suas vexati fuerunt.

Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.

Et clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de angustijs ipsorum liberauit eos.

Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interioribus eorum.

Confiteãtur Domino propter misericordias eius, & mirabilia, eius filijs hominum,

Et sacrificent sacrificium laudis, & annuncient opera eius in exultatione.

Qui descendunt in mare nauibus, facientes operationem in aquis multis.

Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.

Dixit, & excitatur spiritus procellæ, & excitantur fluctus eius.

Ascendunt vsq; ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescit.

Turbantur, & iactantur, sicut ebrius, & omnis sapientia eorum absorbetur.

Et clamauerunt ad Dominũ cùm tribularentur, & de angustijs ipsorum eduxit eos.

Et statuit procellam in trãquillitatem, & siluerunt fluctus eius.

Et lætati sunt, quia siluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Cõfiteantur Domino propter misericordias eius, & mirabilia eius filijs hominum,

Et exaltent eum in ecclesia plebis, & in consessu seniorum laudent eum.

Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim.

Terram fructiferam in salsuginem propter malitiam inhabitantium in ea.

Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum,

Et collocauit illic esurientes, & constituerunt ciuitatem habitationis.

Et seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum & prouentum.

Et

Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis, & iumenta eorum non minorauit.

Et pauci facti sunt, & vexati sunt à sterilitate, malo, & afflictione.

Effusus est contemptus super principes, & errare fecit eos in solitudine inuia.

Et subleuauit pauperem de inopia, & posuit sicut oues familias.

Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.

Quis sapiens, & obseruabit hæc, & intelliget misericordias Domini?

EXPLANATIO.

Dicant, qui redempti sunt à Domino. *Qui misericordia Dei seruitute, & calamitatibus liberati sunt, dicãt hymnos sanctissimo numini eius. Quanuis verò hæc, & reliqua omnia quæ hoc hymno continentur, ad omnes mortales pertineãt, sunt tamẽ nonnulla, quæ præcipuè beneficia Dei erga Iudæos designare videntur.*

Qui errabant in solitudine. *De misericordia Dei erga errantes in locis desertis.*

Confiteantur Domino. *Id est, celebrent laudibus Deum propter infinitam benignitatẽ eius, & narrent mortalibus admirabilia facta illius: in hanc sententiam interpretatur hæc Versio Syra: item paraphrasis Chaldæa.*

Qui sedebant in tenebris. *De misericordia Dei erga eos, qui propter maleficia in car-*

cerem, & vincula conjecti sunt.

Stulti propter viam iniquitatis. *De misericordia Dei erga eos, qui propter delicta commissa in varios morbos incidunt:*

Qui descendunt in mare nauibus. *De misericordia Dei erga eos, qui tempestate, & fluctibus iactantur in alto.*

Ascendunt vsq; ad cœlos. *Hanc sententiã complexus est Virgilius his elegantissimis versibus, Tollimur in cœlum curuato gurgite, & idẽ Subducta ad manes imos descendimus vnda.*

In portum voluntatis eorum. *Id est, in portum, ad quem illi cursum tenere optabant.*

Posuit flumina. *Canit, Deũ arbitratu suo omnia immutare, ab eius prouidentia opes & inopiam, sterilitatem & fœcunditatem, honores & ignominiam manare.*

Et pauci facti sunt. *Rursus, inquit, cùm eos qui multitudine hominũ & potentia florebãt, punire voluerit ob admissa maleficia, immittit in eos sterilitatẽ, morbos, & angores animi, & optimates ipsos adeò contẽptos reddit, & irrisos, vt relictis vrbibus sese in solitudines abdãt.*

Et subleuauit pauperem. *Contrà, inquit, inopem fortunis locupletat, domumq; eius liberis, & nepotibus frequentat.*

Videbunt iusti. *Homines pij, et religiosi xac diligẽtissimè cõsiderãt, cumq; perspiciunt, nihil fortuito, & casu euenire, omnia diuino numi*

mine regi, administrarique: incredibili gaudio afficiuntur, seq; totos misericordiæ tradunt, & committunt: improbi verò, et arrogantes, qui solent prouidentiam Dei negare, magnitudine rerum perterriti, vel inuiti coguntur tacere, & linguam impiam continere.

Qui sapiens. *Vtinam homines sapiant, & ea, quæ continentur hoc hymno, diligenter animaduertant & notent, intelligent enim Deũ res humanas summa benignitate curare, deq; omnibus, qui ad eius misericordiam cõfugiunt, optimè mereri.*

ARGV. PSAL. CVIII.

Hic psal. compositus est ferè ex Psal. lvii. & lx.

Canticum, Psal. Dauid. CVIII.

PAratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psallam etiam gloria mea.

Exurge psalterium, & cithara, auroram excitabo.

Confitebo tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus.

Quia magna est super cœlos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua, vt liberentur dilecti tui.

Saluum fac dextera tua, & exaudi me, Deus locutus est in sanctuario suo.

Exultabo, & diuidam Sichem, conuallem tuccoth dimetiar.

Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei.

Iuda legifer meus, Moab lebes lotionis meæ.

Super Idumæam proiiciam calceamentum meum, super Philistæa iubilabo.

Quis deducet me in ciuitatem munitã? quis deducet me vsque in Idumæam?

Nónne tu Deus, qui repulisti nos? & non exibis Deus cum exercitibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

ARG. PSAL. XCIX.

Inuehitur in Doegum, & cæteros assecias Saulis, vt multi existimant, & horum persona execratur impietatem Iudæ, qui Christum nefariè prodidit: & cæterorum, qui filio Dei infesti sunt: deinde calamitates suas deplorans misericordiam Dei supplici ter inuocat.

Victori, Dauid Psalmus CIX.

DEus laudis meæ ne tacueris, quia ὸs peccatoris, & os dolosi super me apertum est.

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circundederunt me, & oppugnauerunt me sine causa.

Pro

Pro eo quòd eos diligebam, aduersabãtur mihi, ego autem orabam.

Et retribuerunt mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

Constitue super eum peccatorẽ, & aduersarius à dextris eius.

Cum iudicatur stet, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum.

Fiant dies eius pauci, & præfecturam eius accipiat alter.

Fiãt filij eius orphani, & vxor eius vidua.

Instabiles vagentur filij eius, & mendicent, & quærant ex vastatis habitationibus suis.

Illaqueet fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius.

Non sit illi adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eius.

Posteritas eius intereat, in generatione vna deleatur nomen eius.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, peccatum matris eius non deleatur.

Sint corã Domino semper, & dispereat de terra memoria eorum, pro eo quòd nõ est recordatus facere misericordiam.

Et persecutus est hominem inopem, & mendicum, & contritum corde, vt illum interficeret.

Et dilexit maledictionē, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elōgabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossa eius.

Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, & sicut zona, qua semper cingitur.

Hoc opus aduersantium mihi à Domino & eorum qui loquuntur mala aduersus animam meam.

Tu autem Domine Deus fac mecum propter nomen tuum, quia bona est misericordia tua.

Libera me, quia egenus, & pauper ego sum, & cor meū conturbatum est intra me.

Sicut vmbra cùm declinat, ego pertranseo, & excussus sum sicut locusta.

Genua mea infirmata sunt propter ieiunium, & caro mea exaruit pinguedine consumpta.

Et ego factus sum opprobrium illis, & viderunt me, & mouerunt capita sua.

Adiuua me Domine Deus meus, saluum me. fac secundùm misericordiam tuam.

Et sciant, quòd manus tua hæc, & tu Domine feciſti hoc.

Maledicāt illi, & tu benedicas: insurgant & cōfundantur, seruus autem tuus lætetur.

Induantur aduersarij mei ignominia, & oper

operiantur tanquã diploide cõfusione sua.

Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.

Quia astabit à dextris pauperis, vt saluam faciat à iudicantibus animam eius.

EXPLANATIO.

Deus laudis meæ. *Deus, à quo tanquam vberrimo fonte manat omnis mea laus, & gloria, et quicquid boni habeo, ne quæso dissimula, neve permitte homines sceleratos impunè in me debacchari, quid verò, si Deũ eò appellet Deum laudis sua, quia omne studium suum ponebat in laudibus eius celebrãdis? hinc illud in Psal. 71. de te laus mea semper.*

Ego autem orabam. *Id est, ego autem pro illorum salute me deprecatorem apud te præbebam: vel sic, ego verò vndique oppugnatus ad te Domine confugiebam.*

Et aduersarius stet à dextris eius. *Id est, qui meam innocentiam tanto odio persequitur, habeat & ipse aduersarium, qui nunquam ab eius latere discedat, qui semper eum oppugnet, & omni acerbitate exagitet.*

Et oratio eius fiat in peccatum. *Id est, deprecatione sua potius augeat peccata, quàm peccatorum supplicium à se deprecetur.*

Et quærant ex vastatis habitationibus suis. *Id est, mendicitas eos exire cogat ex ædibus euersis & exinanitis ad quærendum victum*

Sint coram Domino semper. *Peccata matris sua & maiorum suorũ semper ante oculos Dei versentur, ne illa in hoc sceleratissimo, atq; impio homine vindicare obliniscatur. Hoc ait memor illius sententiæ, ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes, visitans iniquitatẽ patrũ in filios in tertiã, & quartã generationem eorũ, qui oderunt me, et faciẽs misericordiã in millia ijs qui diligũt me, & custodiunt præcepta mea.*

Et dilexit maledictionem. *Significat his verbis aduersarium suum vsque eò studiosum fuisse crudelitatis, & omnium scelerum, vt videretur optare execrationem, & odium Dei.*

Hoc opus aduersantiũ mihi à Domino. *Quidam clariùs verterunt ad hunc modũ, hæc sit merces à Domino ijs, qui aduersantur mihi.*

Sicut vmbra. *Euanesco (inquit) ad similitudinem vmbræ, quæ vna cũ die sese inclinat, & in tenebras noctis euanescit.*

Et excussus sum sicut locusta. *Id est, ita excutior, & ab inimicis exagitor, & vagã vitam persequi cogor, vt locustæ cõparari possim, quæ nunquam fèrè quiescit.*

Genua mea infirmata. *Significat se dedisse fuisse ieiunijs, et precationibus, vt misericordiã Dei sibi conciliaret in tãtis calamitatibus.*

Et caro mea exaruit pinguedine consumpta. *Sic emẽdauimus hunc locum secuti explanatores Hebræos.*

Et

Et sciant, quòd manus tua hæc. *Fac tam illustre sit auxilium tuum, vt omnes perspiciãt, me non humanis opibus liberatum esse, sed potentia numinis tui. Alij sic explanãt, fac intelligant aduersarij mei, me non viribus suis oppressum fuisse, sed omnia mihi tuo consilio accidisse, quippe qui volueris animum meũ tanquã aurum, rerum aduersarum igne purgare.*

Vt saluam faciat à iudicantibus. *Ita vocat Saulem, & eius asseclas: iudices enim appellare solet Hebræa lingua principes, & gubernatores ciuitatum.*

ARGV. PSAL. CX.

Prædictio est de ortu, & nece Christi, de que illius regno & sacerdotio sempiterno.

Dauid, Psalmus CX.

DIxit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.

Populus tuus aderit voluntarius in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctitatis, ab vtero auroræ tibi ros generationis tuæ.

Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Domi

Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.

Iudicabit in gentibus, implebit omnia cadaueribus, percutiet caput super terram multam.

De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

EXPLANATIO.

Dixit Dominus Domino meo. *Dixit, inquit pater ille cælestis Christo Domino meo, sede ad dexteram meam. Hoc autem perfectum fuit, cũ Iesus ascendit cælum, vt testatur diuus Petrus in actis Apostolorum.*

Sede à dextris meis. *Id est, cõstituo te supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur nõ solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, et omnia subijcio pedibus tuis, teq; do caput supra omnem ecclesiã, quæ est corpus tuum, & plenitudo tua. His verbis explanat hunc locũ diuus Paulus in Epistola ad Ephesios scripta.*

Donec ponam inimicos tuos. *Significat, diabolum, mortem, atque impios tandem funditus euertẽdos, atq; omnia peccata è regno Christi radicitus extirpãda. Hoc autem perficietur, cũ tempus illud nouissimum venerit, quo tẽpore mortui omnium sæculorum reuiuiscent, & qui iustè cum pietate, ac temperãtia vixerunt, vnà cũ corporibus penetrabũt in cæli regiones, vbi*

vbi beati æuo sempiterno fruentur, cæteri omnes vnà cum diabolo & angeli eius relegabuntur in tartara, vbi nullius suppliciorum, & miseriarum modus erit, aut finis.

Virgam virtutis tuæ. *Significat, imperium Christi ex Hierosolymis, vbi ortum est, in omnes terras propagandum.*

Dominare in medio inimicorũ tuotum. *Nonne Christus dominari cœpit inter hostes suos, cũ primum spiritum sanctum è cælo demisit ad Apostolos die festo Pentecostes? quo die sub egit imperio suo tria millia Iudæorum, & cùm in dies magis augeretur vis, & numerus hostium, nõne tanto illustrius, ac magnificentius propagabatur eius dominatio?*

Populus tuus aderit voluntarius. *Populus (inquit) tuus non inuitus, & coactus, sed summa vo'untate parebit imperio tuo, vt si pro nomine, & gloria tua sint omnes cruciatus perferẽdi, ac mors millies oppetenda, id pulcherrimè muneris loco ducãt, seque tum proximi ad vitã beatam accedere arbitrentur, quo quidem tempore vim, & potentiam, & splẽdidissimam lucem sanctitatis, & diuinitatis tuæ declarabis superstitione delenda, & omnibus gentibus ad pietatem, & cultum veri Dei perducendis. Sed illud, In splẽdoribus sanctitatis, cõmodè referri potest etiam ad ipsum populum, quẽ vates præuidebat fore illustrem moribus, & pietate.*

Ab

Ab vtero auroræ tibi ros generationis tuæ. *Hæc duo pium quemque scire volumus, primũ in versiculo Hebræo nullam luciferi mentionem fieri: deinde cũ alij aliter ipsum vertant, nos eã interpretationẽ secutos esse, quæ ab eius linguæ peritissimis optima iudicatur, et sententiam sanctitatis plenissimam continet: siquidẽ ille castissimus Christi conceptus, atque ortus ex virgine tam aptè, tamque concinnè describitur, vt nihil fieri possit elegantius: vt enim terrenus vapor vi caloris in sublime fertur, atque ibi sub auroram concretus cogitur in rorem, qui decidens terram vberem, lætamq; efficit: ita purissimus sanguis Mariæ vi spiritus sancti vterum influens, sine vllo virili actu cõcreuit in corpus Domini nostri Iesu Christi, qui in lucẽ editus, & susceptus, humanum genus mirabiliter exhilarauit, atque omni genere virtutum maximè ferax: & fecundũ reddidit. His rationibus inductus, opinor, Esaias eundem conceptum atq; ortum etiam ipse rori comparat, dicens: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum. Nos verò eò libentius hanc explanationem amplectimur, quòd D. Augustinus, licet ipse hunc versum aliter interpretetur, nõ tamen improbat, si quis partum virginis ex prædictum intelligat, quin etiam verba editionis vulgatæ ad hanc sententiam accommodare conatur: sed quoniam, quòd attinet ad proprietatem verborum, nõ minus fi*

delitet

deliter ex Hebræo sic reddi potest, Ab vtero auroræ tibi ros iuuentutis tuæ, propterea nonnulli sentẽtiam horum verborum cum superiore parte versiculi ita coniungunt, vt sensus sit tã magnum fore numerum mortalium, qui libentissimis animis religionem, & disciplinam Christi amplexabuntur, vt comparari queant cũ multitudine, & copia roris, quem fœcundissima ginit aurora. Verũ explanatio hæc meo iudicio cum altera nullo modo conferenda est.

Iurauit Dominus. Ostendit Christum non tantum regno, sed etiam sacerdotio præditum esse, quod sempiternum fore, Deus iurauerit: iurauit autem propter nos, tanta est enim imbecillitas animi nostri, proclinitasq; ad diffidendũ, vt difficillimè inducamur ad credendum filiũ Dei nostrum esse pontificem: itaque Deus, cùm rem tam præclaram, tamq; salutarẽ nobis promitteret, ad maiorẽ fidem promissionem ipsam iureiurando firmauit.

Tu es sacerdos in æternũ secundùm ordinem Melchisedec. *Vt enim Melchisedecus & regnum administrabat, & sacerdotium: ita Christus est noster pontifex, & rex, sacerdotis autem proprium est, primum religione sanctã, & scientia verum salutarium populũ imbuere: deinde peccata illius, donis et sacrificijs expiare: tum Deum pro salute, & incolumitate eius de continenter deprecari, ad regem autem perti-*

net

net ea gubernãdi ratio, quæ legibus atq; armis pr
salutem & pacem eorum tueatur, & cõseruetho
qui se, ac sua omnia in tutellã ipsius tradiderege
Hæc autem officia, & munera sunt Christi ttuon
propria, vt in eo solo ex cunctis sacerdotibus, & te
regibus, qui vnquam optimi fuerunt, perfectam
& omnibus suis numeris, & partibus expleta
reperiatur. Ille enim primus mysteria maxim H
rerum sanctissimarum nobis aperuit, & cogniam
tionem ac cultum veri Dei per vniuersas terrae
rum oras longè lateq; propagauit, ille peccatoh
nostra sacrificio sui corporis, & purissimi san
guinis effusione expiauit: ille sedens ad dexter sec
Dei ab illo pacem, & veniam, & omnia bona fo
nobis precari nũquam intermittit, idem suo spfer
ritu nos amãtissimè regit & gubernat, mẽtem
atque animũ ingenti amore in Deũ, réq; diuino
nas inflammans, idem vadentes per has vias vig
ta difficiles & periculosas, tuetur ab insidijs, & M
impetu diaboli, qui nos odio, & bello persequitur ita
sempiterno. Idem suorum omnium cõstantiam con
ita corroborat, & confirmat vt nulla vis calamo
mitatũ, aut periculorum illos de via pietatis dbib
pellere possit: sed hũc versiculum magnis mysteril
rijs refertum, magna verborũ, & sententiarũ qu
copia diuus Paulus explanat in Epist. ad He cui
braeos scripta, ad quam ego te reiicio. ad

Dominus à dextris. Dominus (inquit) sem ress
per ad latus tuum adhærebit, pro te fortissim &
propu

rm propugnans, & reges potentissimos tui nominis
uet hostes funditus euertet, suppliciúque sumet de
de regentibus, qua imperiũ tuum repudiarint: itaq;
i ita omnia plena erunt cadaueribus cæsorũ. Has au
s, & tem calamitates primi percepere Iudæi non ita
ec: multo post acerbissimam necem Christi.

bleti Percutiet caput super terram multam.
tim His verbis quidam significari putant excisionẽ
gni imperij Romani, quod fuit caput omnium penè
erra terrarum, sed non minus Turcarum, & Anti
cat christi regnum designari videtur.

san De torrente in via bibet. Nõnulli Hebræos
ter secuti existimãt, vatẽ intelligere, tam magnã
bon fore hostiũ cadẽ, vt cruor quasi torrẽs, per vias
to ssferatur, quòd verò ait, regem ex eo torrente bibi
ẽtenturum, hanc dicunt esse descriptionem plenæ vi-
dinctoriæ, quæq; feliciter, & planè ex sententia con
as tigerit, atq; ad hãc sententiam comprobandam
s, & Mosem quasi testem citant, apud quẽ Balaam
uitu ita loquitur in Numeris, Ecce populus vt leæna
tian consurget, & quasi leo erigetur: non accubabit,
ala donec deuoret prædam, & occisorum sanguinem
is dibibat. Nobis verò hæc explanatio parum proba-
y stabilis videtur: nam quod attinet ad verba Mosis,
tari quis nõ videat potationẽ sanguinis ad leonem,
He cuius similitudo inducitur, referendã esse: itaq;
ad intelligentiam huius versiculi hæc scire ne-
) cesse est, in literis sanctis bibendi nomẽ dolorum,
Sim & pœnarum perpessionem, aquas pœnas ipsas,
opi

& calamitates, uiã uitam hanc mortalem & caducam significare: de quibus rebus in aliis locis huius libri explicatum est, itaque uates sanctus cum dicere uellet, Christi uitam usque ad extremum spiritum maximè afflictam, & calamitosam fore, illũ dixit è torrente potaturũ, torrentis uerbo utens ad significandam uim, & magnitudinem aerumnarum, quas ille pro nobis exhausit, qui enim omnia peccata omnium mortalium pro suis propriis agnouit, eorumq; pœnas pertulit, is, necesse fuit, ut tales, ac tantos dolores & cruciatus sustineret, quales & quantos nemo unquam neque uerbis assequi neque animo possit comprehendere, subiungit autem Christum propterea sublaturum caput, quoniam praeuidebat, illum per has aerumnas et acerbitates, ad potentiam & regnum sempiternum, quod suprà descriptum est, esse peruenturum. Hoc est, quod diuus Paulus in prima epistola dicit, spiritũ Christi, uatibus antiquis praesignificasse ipsius Christi afflictiones, & gloriam quæ illas secutura erat, quæ quidem omnia iampridem perfecta esse exploratissimum habemus. & Iudæorum cæcitatem miseramur, qui Christum adhuc expectant, illumque opibus, & copijs, rerúmque bellicarum gloria imperium sibi comparaturum putant: sed libet hunc uersiculum D. Pauli uerbis explanare. Is in epistola quam scribit ad Philippenses, quasi mysterium, quod

latet sub obscuritate horum verborũ, nobis aperire velit, hæc ponit: Is sensus sit in vobis, qui fuit etiã in Christo Iesu, qui cũ in forma Dei esset, nõ rapinã arbitratus est, esse æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum forma serui sumpta in similitudine hominũ cõstitut⁹, & habitu inuẽtus vt homo: humiliauit semetipsum, factus obediẽs vsq; ad mortẽ, mortẽ autẽ crucis, propter quod et De⁹ illũ in summã extulit sublimitatẽ, et donauit ei nomẽ, quod est supra omne nomẽ, vt in nõie Iesu omne genu flectat cælestiũ terrestriũ, & infernorũ, & omnis lingua cõfiteatur, quod dominꝰ sit Iesus Christus, ad gloriã Dei patris.

ARGV. PSAL. CXI.

Hymnus est, in quo prædicat sapientiam, & misericordiam Dei, qua ille præcipuè vsus est erga gentem Hebræam.

Alleluya, Psalmus. CXI.

CONfitebor tibi domine in toto corde meo, in consilio iustorum & congregatione.

Magna opera domini, exquisita ad omnes voluntates eorum.

Gloria, & magnificentia opus eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator dominus, escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui,

virtutem operum ſuorum annunciauit populo ſuo.

Cum daret illis hæreditatem gentium, opera manuum eius veritas, & iudicium.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate, & æquitate.

Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum, & terribile nomen eius, initiũ ſapientiæ eſt timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus ea, laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.

EXPLANATIO.

Magna opera Domini. *Significare videtur, opera Dei tam exquiſitè facta, tamque omnibus ſuis numeris eſſe perfecta, vt homines iuſti, et pij nihil in iis deſiderare queant. Sed hic verſiculus apud Hebræos eſt obſcurus, illũque alij aliter vertunt.*

Gloria, & magnificentia. *Id eſt, quicquid agit dominus, plenũ eſt gloria, & magnificentia, ac omnes mortales incitat ad celebrandam ſapientiam, & miſericordiam ipſius.*

Memoriam fecit. *Tam, inquit, illuſtria, et mirabilia ſunt ea, quæ geſſit Dominus, vt nulla temporũ longinquitate poſſit intercidere memoria eorũ. Videtur tamẽ loqui præcipuè de beneficijs,*

ijs, quibus, ille gentē Hebræā affecerat, quam etiā aluit in Aegypto in maxima caritate anno na, et in solitudine 40. annos cœlesti cibo sustentauit.

Memor erit. *Nunquam obliuiscetur Deus fœderis, quod fecit cum Abrahamo, & posteris eius, quibus iā illo tempore declarauit magnitudinem, & præstantiam potentiæ, & misericordiæ suæ, cū ipsos Aygyptiorū seruitute liberatos in fœcundissimis agris Cananæorum collocauit.*

Opera manuum eius. *Quicquid agit dominus, est plenū fide, & æquitate: quicquid itē agēdum præcepit, æquum & iustum est, tamq; fixū et immobile. Vt nulla ratione possit antiquari.*

Redemptionem misit. *Eripuit dominus gētem suam è durissima seruitute Aegyptiorum, sed ea lege, vt illa seruaret in perpetuum fœdus quod cum ipsa fecerat, & summa diligentia caueret, ne sanctissimas leges violaret, quod sanè omni studio obseruandum est: nam Dei nomen sanctum, & terribile est, & sapientiæ caput est plena sanctitatis religio, & pietas aduersus Deū, itaq; qui præcepta domini diligēter obseruāt, ij. vere sapiūt, & prudētia salutari præditi sunt, eorūq; laus, & gloria nunquā intermoritur: laudantur enim ij à Deo optimo maximo, & sempiternis honoribus afficiuntur.*

ARGV. PSAL. CXII.

Exponit, quam beati sunt, qui Deū colunt, eiusq;

benignitatem, & misericordiam imitantur.

Alleluya, Psalmus. CXII.

BEatus vir qui timet dominum, in mandatis eius volet valde.

Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur.

Abundantia & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumẽ rectis, mi sericors, & miserator, & iustus.

Vir bonus miseretur, & cómodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.

In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.

Quoniam firmum est cor eius sperãs in domino, confirmatum est cor eius, nõ commouebitur, donec vltionem videat in inimicis suis.

Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi: cornu eius exaltabitur in gloria.

Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit.

EXPLANATIO.

Beatus vir qui timet dominũ. *Timor domini, quemadmodũ alijs locis admonuimus, appellatur in literis sanctis pura, & syncera reli-*

gio,

gio, & pietas aduersus Deum: in quibus rebus Vir *sanctus* Vitam *beatam rite constituit, quisquis autẽ* Verè *pius, & religiosus est in mãdatis eius* Volet Valde, *id est, meditatione legum diuinarum* Vehemẽter *delectatur, neq; illarũ obseruatione quicquam habet antiquius.*

Et iustitia eius manet in sæculũ sæculi. *Nã eum migrantẽ è corpore sequitur in cœlũ.*

Exortum est in tenebris. *Deus (inquit) misericors, & clemens, & iustus lucẽ præbet hominibus pijs, dũ alij in tenebris iacẽt: tenebras autẽ* Vocat *res aduersas: lucem contrà appellat securitatem, &* Vit *æ prosperitatem.*

Vir bonus miseretur, & commodat. *Id est, liberalis est, & maximè propensus ad homines iuuandos, & benignè faciendum indigentibus, opera, pecunia, consilio.*

Disponet sermones suos in iudicio. *Hoc est: nihil temerè, aut inhumaniter effutit, neque linguam sinit præcurrere cogitationem, sed rei, loci & temporis magnam rationẽ habet,* Vt *quicquid loquitur,* Verũ, *rectũ, at q; audiẽti fructuosum, & salutare sit, illud autẽ scire oportet,* Vocabulum *Hebræum, tametsi propriè* Verbum *significat, sæpissimè tamen pro re ipsa* Vsurpari, *itaque Symmachus* Vertit *hoc modo, dispẽsabit res suas cum iudicio, quæ quidẽ* Verba *sentẽtiã significãt cum ea, quæ proximè antecedit, optimè cohærentem: est enim sensus,* Virum *bonum*

esse illum quidem, beneficum, & liberalem, de q̃3 re sua familiari libenter egẽtibus impartiri, sed iudicium in dando, & prudentiam adhibere, omniaque rectè atque ordine administrare, ita hunc locum explanat etiam Chimis.

In æternum non cõmouebitur. *Viri enim sancti nullis rerũ aduersarum fulminibus terrentur, nullis oppugnationibus improborum hominum franguntur, aut debilitãtur, persuasum enim habẽt, bonis nihil mali euenire posse, nec viuis, nec mortuis, itaq́3 nulli⁹ rei aduersæ auditione à lætitia, et trãquillitate animi depelli q̃ũt.*

ARGVM. PSAL. CXIII.

Hortatur ad hymnos canendos Deo, prædicans eius potentiã, & prouidentiam misericordiæ plenã.

Alleluya, Psalmus CXIII.

LAudate serui domini, laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen domini.

Excelsus super omnes gentes dominus, & super cœlos gloria eius.

Quis sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat, & demittit se vt aspiciat omnia, in cœlo, & in terra?

Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem.

Vt

Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.

EXPLANATIO.

Quis sicut Dominus. *Quamuis, inquit, maiestas Dei rebus omnibus in immẽsum excellat, nihil est tamẽ in vniuerso tam paruum, & humile, quòd se nõ demittat prouidẽtia eius, quod cũ ita sit, vitã sic colere debemus, tanquam ille omnibus nostris cogitationibus, verbis, & actionibus interfuerit: enim vera Deus omnia videt, omnia audit, atque omnium mẽtes, ac intimos animorũ sensus introspicit, licet plerisq; ex ijs, qui falso sapientiæ nomine gloriantur, secus videatur, quòd verò ait, Deũ se demittere, vt cælestia cernat, hoc intelligi vult ipsum mentibus quoq; cælestibus infinita altitudine celsiorẽ esse.*

Suscitans à terra inopem. *Hanc beneficentiam Dei expertus erat ipse Dauid, qui ex infimo loco perductus fuerat ad altissimum regiæ dignitatis gradum.*

Qui habitare facit sterilem. *Id est, qui sua misericordia facit, vt quæ adhuc sterilis fuerat, domũ habeat, id est familiam, & facta fœcunda, iucũditate liberorum oblectetur, cui rei testimonio sunt Sara, Rebecca, Anna, atque alia multa fœmina pudicitia & sanctitate illustres.*

PARAPHRASIS CARMINE.

Adeste castæ virgines, pueri integri
Adeste, mecum laudibus
Efferte nomen numinis sanctissimi.
Dum sol per oras ætheris
Cursu volubili rotabitur, diem
Aegris ferens mortalibus.
Minora dum micabit inter sydera.
Vindex animos usque trudit inferos,
Et pauperes in infimo
Gradu iacẽtes principum in solio locat
Sua benignus dextera.
Ipse & pudicam liberorum garrulo
Hilarat puellam examine.
Quæ prole sine dulci, diu in tristissimo
Mœrore vitam traxerat.

ARGV. PSAL. CXIIII.

Hymnus est elegãtissimus, in quo celebrat prodigia, quæ Deus edidit, cũ Hebræos ab Aegypto traduceret in regna Cananæorum.

Psalmus CXIIII.

CVm exiret Israel de Aegypto, domus Iacob de populo Barbaro.

Factus est Iuda sanctificatio eius, Israël potestas eius.

Mare

Mare vidit, & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum.

Montes subsilierunt vt arietes, & colles sicut agni ouium.

Quid est tibi mare, quòd fugisti? & tu Iordanis, quòd conuersus est retrorsum?

Montes cur subsilijstis sicut arietes, & colles sicut agni ouium?

A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.

Qui conuertit petram in stagna aquarũ, & silicem in fontes aquarum.

EXPLANATIO.

Factus est Iuda sanctificatio eius. *Id est, tunc præcipuè Deus Hebreos sibi asciuit, quos præ cæteris gẽtibus charissimos haberet, & suo sancto numine gubernaret: de quare illud est in Exod. Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta.*

Montes subsilierunt. *Sina, & vicinorum montium conquassationem, quæ acciderat, cùm Deus eo descenderet ad leges ferendas: cõparat arietibus, & agnis exultim ludentibus.*

PARAPHRASIS CARMINE.

Quum liberata seruitute Barbara
Iudæa gens Aegyptiorum finibus
Exiret, illamq; Deus ipse duceret,
Fugere fluctus aquoris perterriti,

Iordanis vnda retrofugit, & ſtupens
Gens illa vidit exilire maximos
Montes, vt agni prata per virentia
Saliunt nouelli, lacte dulce ebrij.
Quid accidit mare tibi, cur perterritum
Fugeres? ocelle fluminum quid accidit?
Cur pauidus ad fontem recurreres tuum?
Vos quæſo montes maximi quid impulit
Inuſitatis exilire motibus?
Senſere magni numinis præſentiam
Montes, & vnda fluminis, & altum
mare:
Senſere dura ſaxa ſolitudinum,
Cùm bis ea fontes verteret in vberes.

De inſcriptione xv. hymnorum qui ſequuntur.

Ter quinque, qui ſequuntur, hymni cantica
Graduum vocantur, iſtiuſq; nominis
Quæ vis in iſto ſit loco, iam plurimi
Interpretantes protulere plurima,
Sed illa ſic incerta, fabuloſáque,
Vt ipſe malim confiteri liberè,

Neſci

Nescire me, quod nescio, tu candide
Lector, quod istis continetur canticis,
Dum diligenter explicamus, obsecro
Attentum animum adhibe, tametsi
inscriptio
Quid ipsa sibi velit, explicare nõ datur.
Nam tótque tantáque poteris cognoscere
In his poëtæ versibus sanctissimi
Vitam beatam maximè attingentia,
Vt curiosus sis licet, animo tamen
Aequo ferẽdũ sit, quòd vniũ hoc nescias.

ARGV. PSAL. CXV.

Precatur Deum, vt defendat iniurias gentis suæ, quam impiæ nationes inuaserant, vt appareat, ipsum esse verum Deum, cæterorum autem Deos esse fictos, & commentitios

Psalmus. CXV.

NOn nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Propter misericordiam tuam, & veritatem tuam, quare dicant gentes, vbi est nũc Deus eorum?

Deus autem noster in cælo, omnia, quæcunque voluit, fecit.

Simulachra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.

Os

Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt.

Aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt.

Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, nō loquentur in gutture ſuo.

Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

Domus Iſrael ſperet in domino, adiutor eorum, & protector eorum eſt.

Domus Aaron ſperet in *Domino*, adiutor eorum, & protector eorum eſt.

Qui timent *Dominū*, ſperent in *Domino*, adiutor eorum, & protector eorum eſt.

Dominus memor erit noſtri, & benedicet nobis.

Benedicet domui Iſraël, benedicet domui Aaron.

Benedicet omnibus, qui timent *Dominum*, puſillis, & maioribus.

Adiiciet *Dominus* ſuper vos, ſuper vos & ſuper filios veſtros,

Benedicti vos à *Domino*, qui fecit cælum & terram.

Cæli, cæli *Domino*, terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te *Domine*, neq; omnes, qui deſcendunt in ſilentium.

Sed

Sed nos benedicemus Domino ex hoc nunc, & vsque in sæculum. Alleluya.

EXPLANATIO.

Non nobis Domine. *Non gloriæ nostræ causã & victoriã à te precamur, inquit, sed ne sanctissimũ nomẽ tuũ in dubrio sit gentibus impijs: itaque serua nos Domine pro tua benignitate, et fide, quã dedisti, te fore semper Deum nostrũ.*

Domus Israel speret in Domino. *Confidant impiæ gentes simulacris suis, tu gens Hebræa omnem tuam spem repone in Domino: ipse enim præstò est ijs, qui cõfugiunt ad eum, illosq; ab omni periculo incolumes seruat.*

Adiiciet Dominus super vos. *Id est, augebit in dies magis ac magis beneficentiam suam erga vos, & posteros vestros: vos enim præter alias nationes grati estis Domino.*

Cæli, cæli Domino. *Cælum, cælum, inquã Dominus sibi vẽdicauit, terras autem dedit habitãdas hominibus, à quibus inuiolatè coleretur, & perpetuis hymnis, & honoribus afficeretur, quod si Domine permittis, gentem tuã ab impijs nationib⁹ deleri, quis prædicabit laudes tuas? quis te piè, sanctèq; venerabitur? num hostes, qui sanctissimum nomẽ tuum nefariè execrantur? num mortuidat ij gloriam tuam terris celebrare qui possint? itaque nos Domine posteros q; nostros saluos, & incolumes conserua, non nostri quidem, sed tui nominis causa, vt semper*

aliqua

aliqua gens sit, quæ tuo sanctissimo numini preces, cultus, honores adhibeat.

ARGVM. PSAL. CXVI.

Vir sanctus liberatus maximo periculo gratias agit Deo, cuius benignitate salutem retinuerat.

Psalmus. CXVI.

DIlexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

Qui inclinauit aurem suam mihi, & in diebus meis inuocabo.

Circundederant me funes mortis, & angustiæ inferni inuenerant me.

Tribulationem & dolorem inueneram, & nomen Domini inuocaui.

Obsecro Domine libera animam meam, misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur.

Custodit paruulos Dominus, miser erã, & saluauit me.

Cõuerte anima mea ad requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animã meã de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.

Ambulabo coram Domino in regione viuorum.

Credidi propter quod locutus sum, ego autem afflictus eram nimis.

Ego dixi in præcipiti fuga mea, omnis homo mendax.

Quid

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem ſaluationum accipiam, & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam corã omni populo eius, pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.

O Domine quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſtivincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.

Vota mea nunc Domino reddam in conſpectu omnis populi eius, in atrijs domus Domini, in medio tui Hieruſalẽ. Alleluya.

EXPLANATIO.

Dilexi quoniam. *Omnem amorem meum in Domino fixi, & locaui: ille enim nunquam repudiat preces meas ſemper attẽtas aures præbet rogationibus meis, itaque quandiu viuã, ad eum ſolũ confugiam, ſolam ipſius opem, & miſericordiam implorabo.*

Miſericors Dominus. *Qui preces miſerorũ benignus exaudit, iuſtus Dominus, qui nõ ſinit innocẽtes opprimi, cuſtodiẽs paruulos Dominus, id eſt ſimplices, qui vt pueri parentum curæ, ſic ipſi tutelæ Dei ſe, ac ſua omnia committunt.*

Pedes meos à lapſu. *Significat his verbis omnis incommodi vitationẽ. Sed hic verſus vni cuique pio maximè conuenit, etenim omnes mi-*

seri & calamitosi nascimur: nam quæ maior calamitas esse potest, quàm Deum habere iratum? at ille amore Christi sui nos non solùm odisse desinit, sed etiã maximis beneficijs ornat, liberans animos nostros à morte, in qua perpetuò mansurierãt, oculos à lachrymis, ne amplius defleant damnationem suam: pedes à lapsu, ne grauiore aliquo casu denuo præcipitent in mortem. Eripit autem Deus animos nostros è manifesto exitio, cùm pœnitentibus omnia peccata condonat, Vnde incredibilis lætitia, lachrymarumq; finis existit. Liberat autem pedes nostros à lapsu, cùm suum spiritum sanctum nobiscum communicat, qui vires animi sic corroboret, vt stadium præceptorum suorum sine vlla periculosa offensione curramus.

Ambulabo coram Domino. *Ambulare coram Deo, vt alio loco diximus, est piè, sanctèq; viuere, & Deum semper ante oculos habere: diximus item, terrã viuentium appellari terras ipsas, in quibus hæc vita degitur. Significat igitur se adhuc vitã retenturum contra existimationem inimicorum, & omne studium in colẽdo, & contemplando Deo positurum.*

Credidi, propter quod. *Credo (inquit) & certissimam fidem adhibeo promissionibus Dei, propterea summa cum fiducia loquor, quinetiã cùm in maximis angustijs versarer, & fugerẽ præceps aduersarios mihi iam iamq; imminẽtes,*

tes, dicebam tamen, mentiuntur quidem omnes homines, sed Deus certè mentiri non potest, itaque ille me incolumem conseruabit, & hostibus de medio sublatis in regia dignitate constituet. Quam igitur gratiã referam Domino, qui mihi salutem attulit, & me, ac familiã meam tãtis beneficijs ornauit?

Calicem saluationum accipiam. *Solebant sacra celebrare conuiuia, cùm gratias agerent Deo periculo aliquo maiore liberati, itaque significat his verbis, se eiusmodi conuiuium ornaturũ, & apparaturũ, in quo nomẽ Domini inuocans poculum salutis accipiet, poculum inquam gratiarum actionis pro vita, & salute cõseruata beneficio Dei. Sic Hebraei quique doctissimi hũc locum explanant.*

Pretiosa in conspectu Domini. *Magno (inquit) æstimat Dominus mortẽ piorum, itaque non facilè permittit, eos ab impijs necari: id quod ego iam sapissimè expertus sum.*

ARGV. PSAL. CXVII.

Hortatur vniuersos mortales, ad gratias agendas Deo pro misericordia, quam adhibuit in eorum calamitatibus misso filio suo, qui eos erroribus inextricabilibus implicitos ad viam veritatis reuocaret, ac beatos faceret immortalitate donata.

Psalmus CXVII.

LAudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniam multiplicata est super nos mi

sericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

EXPLANATIO.

Quoniam multiplicata. *Verissimè prædicat, auctam esse & multiplicatam misericordiã Dei erga Hebræos, & cæteras omnes nationes Christo nobis donato: huius enim beneficentiæ tanta est magnitudo, vt ea nulla cogitatione comprehendi possit. Quanquam verò misericordia pertinet ad omnes mortales (quisquis enim salutem, & vitam beatam consequitur, illam dono, & benignitate Dei consequitur) tamen propriè veritas ad Iudæos, misericordia ad cæteras gentes referenda est: illis enim promissus fuerat Christus, istis nulla intercedẽte promissione exhibitus est, qua de re sic diuus Paulus in epistola ad Romanos scripta. Illud autem dico, Iesum Christum ministrum fuisse circuncisionis pro veritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum, cæterùm vt gẽtes pro misericordia glorificent Deũ sicut scriptum est, propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo canã, & rursum dicit, Gaudete omnes gẽtes cum populo eius, & rursus, Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.*

Et veritas Domini manet in æternum. *Veritatem appellat fidem, dictorumq; constantiam: quòd si fides Dei semper inuiolata manet, pro certo habere debemus, illum promissa nobis*

esse

esse facturum, promisit autem vitam beatam et sempiternã, si pietatem coleremus, atque omnẽ salutis nostræ fiduciam in Christi sanguine, & meritis reponeremus.

ARGV. PSAL. CXVIII.

Hunc pulcherrimum hymnum cecinit Dauid, cum superatis aduersariis regiam potestatem summa omnium voluntate acciperet, atque ab innumerabili gratulantium multitudine deductus ad tẽplum gratias ageret Deo.

Psalmus CXVIII.

COnfitemini Domino, quoniã bonus, quoniã in sæculum misericordia eius.

Dicat nunc Israël, quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron, quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicãt nunc, qui timẽt Dominum, quoniam in sæculum misericordia eius.

De angustia inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adiutor, nõ timebo quid faciat mihi homo.

Dñs est pro mecum auxiliantibus mihi, & ego optata videbo in inimicis meis.

Melius est confidere in Domino, quàm confidere in homine.

Melius est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

Omnes gentes circundederant me, in

nomine Domini, quia vltus ſum in eas.

Circundederant me, circundederant in quam me, in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.

Circundederunt me ſicut apes, extinctæ ſicut ignis ſpinarum, in nomine Domini quia vltus ſum in eos.

Impellens impulisti me, vt caderem, & Dominus audiuit me.

Fortitudo mea, & canticum Dominus & factus eſt mihi in ſalutem.

Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum.

Dextera Domini fecit fortitudinem, dextera Domini excelſa eſt: dextera Domini fecit fortitudinem.

Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini.

Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino, hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.

Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.

A Domino factum eſt iſtud, & hoc eſt mirabile in oculis noſtris.

Hæc

Hæc est dies quã fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.

Obsecro Domine salua nunc, obsecro Domine da nunc prosperitatem, benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis.

Redimite solennitatem frondibus vsque ad cornua altaris.

Deus meus es tu, & cõfitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

EXPLANATIO.

Et exaudiuit me in latitudine Dominus. *Id est, ex maximis illis periculis, & angustijs perduxit me in locum amplum, et spatiosum, nimirum ad quietem & securitatem.*

Extincti sunt sicut ignis spinarum. *Elegãtissima est similitudo, nam spinæ ignem facilè concipiunt, qui magnum fragorem edit, & vicina quaque consumpturus videtur, sed statim ipse extinguitur.*

Impellens impulisti me. *Videtur his verbis appellare Saulem, qui eum acerrimè oppugnauerat.*

Vox exultationis. *Personãt, inquit, omnia plausu, & faustis clamoribus bonorum gratulantium de salute, ac dignitate mea.*

Dextera Domini fecit virtutem. *Quòd vitam retinuerit, quòd hostes bello superarit, quòd regiam dignitatem adeptus sit, attribuit Deo: non prudētiæ, aut virtuti, & viribus suis.*

Castigans, castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. *Significat, se à Deo non hostilem in modum, sed paternum castigatum esse: castigat enim Dominus, quem diligit: verberibus cadit, quoscunque sibi adoptat.*

Aperite mihi portas iustitiæ. *Sic appellat fores templi.*

Lapidem quem reprobauerunt. *Abiecerāt, inquit, me ædificantes, id est, qui rerum potiebantur, tanquam lapidem inutilem, & nulli rei aptum: sed benignitate Dei cernunt, me nūc collocatū in capite anguli, nimirum in potiore, ac digniore ædificij loco, erat autē cōstitutus rex totius terræ Iudææ, in ea verò re imperiū Christi adumbrauit: quapropter ille apud Matthæū hunc versiculum Iudæis obiecit. Eundem appellat etiam Esaias lapidem angularem, vtpotè qui totum ædificium ecclesiæ contineat, & duos parietes in vnū angulum copulauerit, hoc est Hebræos, & cæteras nationes ab ijs religione, ac moribus dissidentes in vnum corpus coagmētarit, cuius corporis ipse caput est.*

Et est mirabile in oculis nostris. *Iure quidem mirabantur omnes, Dauidē vniuersa gente Hebræa amplissimo regis honore, ac nomine*

affect

affectum esse, qui loco humili natus erat, & regnãte Saule multos annos vitam vagam, inopem, acerbam vixerat, & post obitum regis diuturnis optimatum odijs exagitatus fuerat: sed multò magis mirabantur, qui Iesum viderãt à principibus sacerdotum tanquam hominem impium, & pestiferum in crucem tolli, cùm paucis pòst annis eundem cernerent pro salutari Deo, omnibus terrarum finibus coli, regnumq; illius hoc magis lõgè lateq; propagari, quo magis doctissimis viris, & potentissimis quibusq; regib⁹ omni conatu & crudelitate oppugnaretur, quod tamen defensores haberet exiguos numero, genere infimos, & lingua barbaros, quiq; profiterentur se nihil scire præter Iesum Christũ, & hunc quidem supplicio crucis affectum. Nõne qui hæc videbant, vel inuiti fateri cogebantur, ea non humanis opibus sed numine diuino geri? neq; post hominum memoriam quicquam tam inopinatum, tamq; admirabile contigisse?

Hæc est dies quam fecit Dominus. *Verba hæc sunt populi gratulantis, dum Dauid regiam dignitatẽ accipit. Sed eisdem verbis gratulatur longè maiore gaudio Ecclesia piorum Christo ad vitam redeunti, & imperium cælitum, atq; hominũ à patre accipiẽti: nullus enim alius dies vnquã ita latus, pulcher, sanctus, & salutaris generi hominum illuxit, hoc die tyrannis acerbissima diaboli euersa, peccatum subla-*

tum, mors extincta, lachrymæ miserorum abstersæ iustitiaq;, & vita sempiterna in omnes terrarum oras introducta est.

Obsecro Domine. *Hæc populus faustis & secundis acclamationibus pronuntiabat orans Deum, vt regem ac ciuitatem incolumem cõseruaret, & regnum fortunaret, quod Saulis culpa, & improbitate maximè labefactatũ erat. His eisdem vocibus populus Christum prosecutus est, cùm asina vectus Hierosolyma ingrederetur.*

Benedictus qui venit. *Videntur hæc verba esse sacerdotum excipientium regem, & populum intra fores templi.*

Deus Dominus, & illuxit nobis. *Deus (inquiũt sacerdotes) est Dominus noster, quare bono animo esse debetis: ille enim pro benignitate sua depulsis tenebris omnium calamitatũ, lucem nobis, & omnium rerum prosperitatem attulit, cùm tam pium, tam sanctum tamq; sapientem regem nõbis dedit.*

Redimite solennitatem. *Id est, die tam læto & fausto redimite atria templi frondibus festis vsq; ad cornua altaris. Sunt qui vertũt hunc versiculum hoc modo, alligate hostiam funibus ad cornua altaris.*

ARG. PSAL. CXIX.

Disserit beatam vitam positã esse in obseruatione legum diuinarum, itaque precatur Deum, vt illarum

rum doctrina, & amore animum suum imbuat, quo possit & pietatem colere, & ipsi Deo charissimus esse.

Psalmus CXIX.

ALEPH.

BEati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

Beati qui custodiunt testimonium eius, in toto corde exquirunt eum.

Non enim operantur iniquitatem, qui in viis eius ambulant.

Tu mãdasti mãdata tua custodiri valde.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Tunc non confundar, cùm respexero ad omnia mandata tua.

Confitebor tibi in directione cordis, cũ didicero iudicia iustitiæ tuæ.

Iustificationes tuas custodiam, ne me de relinquas vsquequaque.

BETH.

In quo corrigit adolescentior viam suã, in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisiui te, ne aberrare sinas me à mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas.

In

In labiis meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.

In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.

In iustificationibus tuis delectabor, non obliuiscar sermones tuos.

GIMEL.

Retribue seruo tuo, vt viuã, & custodiã sermones tuos.

Reuela oculos meos, & confitebor mirabilia de lege tua.

Aduena ego sum in terra, nõ abscondas à me mandata tua.

Attrita est anima mea præ desiderio iustificationum tuarum in omni tempore.

Increpasti superbos, maledicti, qui declinant à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium, & contemptũ, quia testimonia tua custodiui.

Etiam sederunt principes, & aduersum mẽ loquebantur.

Seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

Nam testimonia tua delectationes meæ sunt, & consiliarij mei.

DALETH.

Adhæsit pulueri anima mea, viuifica me secun-

secundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiaui, & exaudisti me, doce me iustificationes tuas.

Viam iustificationũ tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.

Liquefacta est anima mea præ anxietate, confirma me iuxta verbum tuum.

Viam iniquitatis amoue à me, & legem tuam dona mihi.

Viam veritatis elegi, iudicia tua mihi proposui.

Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum curram, cũ dilatabis cor meum.

HE.

Doce me Domine viam iustificationũ tuarum, & custodiam eam semper.

Da mihi intellectum, & custodiam legẽ tuã, & custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.

Auerte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.

Confirma seruo tuo eloquium tuum, quod incitat ad timorem tuum.

Aufer opprobrium meum, quod timui, quia

quia iudicia tua sunt bona.

Et concupiui mandata tua, in iustitia tua viuifica me.

VAV.

Et veniat super me misericordia tua Domine, saluare tuũ secũdùm eloquium tuũ.

Et respõdebo exprobrantibus mihi verbum, quia speraui in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudiciis tuis spẽraui.

Et custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sęculum sęculi.

Et ambulabo in latitudine, quia mandata tua exquisiui.

Et loquar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundar.

Et delectabor in mandatis tuis, quæ dilexi.

Et leuabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & meditabor in iustificationibus tuis.

ZAIN.

Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Hæc est consolatio mea in afflictione mea, quia eloquium tuum viuificauit me.

Superbi deriserunt me nimis, à lege autem tua non declinaui.

Mem

Memor fui iudiciorum tuorum à ſęculo Domine, & conſolatus ſum.

Horror tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantica mihi fuerũt iuſtificationes tuæ, in domo peregrinationis tuæ.

Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam.

Hoc factum eſt mihi, quia iuſtificationes tuas exquiſiui.

HETH.

Portio mea Domine, dixi cuſtodire verba tua.

Deprecatus ſum faciẽ tuã in toto corde meo, miſerere mei ſecũdùm eloquiũ tuum.

Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.

Feſtinaui, & non tardaui cuſtodire mandata tua.

Funes peccatorũ circumplexi ſunt me, & legem tuam non ſum oblitus.

Media nocte ſurgam ad confitendum tibi ſuper iudicijs iuſtitiæ tuæ.

Socius ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

Miſericordia tua Domine plena eſt terra, iuſtificationes tuas doce me.

TETH.

Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domi-

ca

ne ſecundum verbum tuum.

Bonum guſtum, & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.

Priuſquam tribularer, ego deliqui, nunc autem eloquium tuum cuſtodio.

Bonus es tu & beneficus, doce me iuſtificationes tuas.

Concinnauerunt aduerſum me ſuperbi mẽdacia, ego autem in toto corde meo cuſtodiam mandata tua.

Incraſſatum eſt ſicut adeps cor eorum, ego verò in lege tua delectatus ſum.

Bonum mihi, quia afflixiſti me, vt diſcerem iuſtificationes tuas.

Melior mihi lex oris tui, quàm millia auri, & argenti.

IOD.

Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me, da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua.

Qui timent te videbũt me, & lætabuntur, quia in verba tua ſperaui.

Scio Domine, quòd æquitas iudicia tua, & in veritate tua afflixiſti me.

Fiat miſericordia tua, vt conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo.

Veniãt mihi miſerationes tuæ, & viuã, quia lex tua delectatio mea eſt.

Confundantur ſuperbi, quia iniuſtè opprim

primere voluerunt me, ego autem exercebor in mandatis tuis.

Reuertantur ad me timentes te, qui nouerunt testimonia tua.

Sit cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar.

CAPH.

Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum speraui.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando consolaberis me?

Quia factus sum sicut vter in fumo, iustificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies serui tui? quando facies de persequentibus me iudicium?

Foderunt mihi superbi foueas, quod nō est secundum legem tuam.

Omnia mandata tua veritas, iniqui persecuti sunt me: adiuua me.

Paulò minus cōsumpserunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundùm misericordiam tuam viuifica me, & custodiam testimonia oris tui.

LAMED.

In æternum domine verbum tuum permanet in cœlo.

In generationem, & generationem veritas tua, fundasti terram, & permanet.

Ordinatione tua perseuerat dies, quoniā

omnia seruiunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tũc fortè perissem in afflictione mea.

In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.

Tuus sum ego, saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui.

Me expectauerunt peccatores, vt perderent me, testimonia tua intelligebam.

Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.

MEM.

Quàm dilexi legem tuam, tota die meditatio mea est.

Supra inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est.

Supra omnes docẽtes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.

Supra senes intellexi, quia mandata tua custodiui.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.

A iudiciis tuis non declinaui, quia tu do cuisti me.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, supra mel ori meo.

A mandatis tuis intellexi, propterea odi ui viam iniquitatis.

NVM.

NVM.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.

Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.

Afflictus ſum vſquequaque domine, viuifica me ſecundùm verbum tuum.

Voluntaria ſacrificia oris mei placeant tibi domine, & iudicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus.

Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & à mandatis tuis non erraui.

Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt.

Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.

SAMECH.

Iniquos odio habui, & legẽ tuam dilexi.

Latibulum meum, & ſcutum meum es tu, & in verbum tuum ſperaui.

Declinate à me maligni, & cuſtodiam mandata Dei mei.

Confirma me ſecundùm eloquium tuũ, & viuã, & ne confundas me ab expectatione mea.

Sustenta me, & ſaluus ero, & delectabor in iuſtificationibus tuis ſemper.

Conculcasti omnes discedentes à iudiciis tuis, quia iniusta cogitatio eorum.

Velut scoriam sustalisti omnes peccatores terræ, ideo dilexi testimonia tua.

Inhorruit timore tui caro mea, & à iudiciis tuis timui.

A IN.

Feci iudicium, & iustitiam, ne tradas me opprimentibus me.

Oblecta seruum tuum in bonum, non opprimant me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ.

Fac cum seruo tuo secundùm misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

Seruus tuus sum ego, da mihi intellectũ, vt sciam testimonia tua.

Tempus faciendi domine dissipauerunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua super aurum, & topatium.

Propterea omnia mandata omniũ recta iudicaui, & omnẽ viam falsam odio habui.

P H E.

Mirabilia testimonia tua, ideo custodiuit illa anima mea.

Ostium sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.

Os

Os meum aperui,& attraxi ſpiritũ,quia mandata tua deſiderabam.

Aſpice me, & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.

Greſſus meos dirige ſecundũ eloquium tuũ,& non dominetur mihi vlla iniuſtitia.

Redime me ab oppreſsione hominum, & cuſtodiam mandata tua.

Faciẽ tuam illumina ſuper ſeruũ tuum, & doce me iuſtificationes tuas.

Riuos aquarum profuderunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.

SADE.

Iuſtus es domine, & rectum iudicium tuum.

Mandaſti iuſtitiam in teſtimoniis tuis,& veritatem tuam valde.

Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.

Examinatum igne eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud.

Paruulus ſum ego,& contemptus,iuſtificationes tuas non ſum oblitus.

Iuſtitia tua, iuſtitia in æternũ, & lex tua veritas.

Tribulatio, & anguſtia inuenerunt me: mandata tua delectatio mea eſt.

Aequitas teſtimonia tua in æternum, intellectum da mihi,& viuam.

COPH.

Clamaui in toto corde, exaudi me domine, iustificationes tuas custodiam.

Clamaui ad te, saluum me fac, & custodiam mandata tua.

Præueni diluculum, & clamaui, verbum tuum expectaui.

Præuenerunt oculi mei vigilias, vt meditarer eloquia tua.

Vocem meã audi secundùm misericordiam tuã, secundum iudicia tua viuifica me.

Appropinquauerunt persequẽtes me iniquitati, à lege autem tua longè facti sunt.

Propè es tu domine, & omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognoui de testimoniis tuis, quòd in æternum fundaueris ea.

RES.

Vide afflictionem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.

Iudica causam meã, & redime me, propter eloquium tuum viuifica me.

Longé à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multæ domine, secundum iudicium tuum viuifica me.

Multi sunt, qui persequuntur me, & tribulant me, à testimoniis tuis non declinaui.

Vidi

Vidi præuaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mãdata tua dilexi domine, in misericordia tua viuifica me.

Caput verborum tuorũ veritas, in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

SIN.

Principes persecuti sunt me sine causa, & à verbis tuis formidauit cor meum.

Lætor ego super eloquio tuo, sicut qui inuenit spolia multa.

Iniquitatem ódio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi super iudiciis iustitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.

Expectaui salutare tuũ domine, & mandata tua obseruaui.

Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.

Seruaui mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

TAV.

Appropinquet clamor meus in conspectu tuo domine, iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea ad conspectũ tuũ, secundùm eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnũ, cùm docueris me iustificationes tuas.

Pronũciabit lingua mea eloquiũ tuum, quia omnia mandata tua æquitas.

Sit manus tua auxiliatrix mea, quoniam mandata tua elegi.

Cõcupiui salutare tuum domine, & lex tua delectatio mea est.

Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.

Erraui sicut ouis, quæ perijt: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

EXPLANATIO.

Beati immaculati in via. *Id est, qui vitam purè, & innocenter agunt.*

Tu mandasti. *Ostendit, quanto studio, & diligentia sint colẽda leges Dei, itaque optat vitã suã sic institui, & gubernari à Deo, vt nũquam ab earum obseruatione aberret. tunc ait futurum vt omnia sibi pulcherrimè succedãt, si semper eas leges ante oculos habuerit, & omnes actiones suas earum regula metietur: tunc etiã dicit se syncerè, & ex animo celebraturum laudes Dei.*

In quo corrigit adolescentior viã suam? *Deus in Genesi testatur hominẽ ab ineũte ætate ad vitia procliuem esse: at qualis est adolescẽtia: talis & senectus, vt Salomon inquit ita q3*

vir

Vir sanctus monet, dum ætas adhuc tenera est, & flexibilis, mores deprauatos emẽdãdos esse, atque ad normã legum diuinarum dirigendos, quia verò id facile quidem est ad præcipiẽdum, sed factu nihil difficilius, propterea in persona sua postea docet, qua via, & ratione ad hanc virtutis excellentiam peruenire adolescentes queant.

In corde meo abscondi eloquia tua. *Significat, se præceptis Dei sic affectum esse, vt ea tanquam pretiosissimũ thesaurũ in intimo animo recõdita seruet, cõtrà quàm multi facere solent, qui simulatione sanctitatis leges quidẽ diuinas semper ore iactãt, sed animum ab illarũ amore prorsus abhorrentem habent.*

Retribue seruo. *Retribuere apud Hebræos non solùm est beneficium reddere, sed etiam vltrò dare, atque in hanc sententiã accipitur hoc loco: orat enim vir sanctus Deum, vt liberalitate vtatur, & benignè sibi faciat, quò viuere, & præcepta ipsius obseruare possit: his enim violatis vita nulla est.*

Reuela oculos meos. *Verba hæc notatu dignissima sunt, indicãt enim id, quod etiã diuus Paulus asseueranter affirmat: mentẽ hominis cognitionẽ rerum diuinarum sine diuino auxilio capere non posse, quemadmodum neque oculus solem sine luce solis intueri valet.*

Aduena ego sum in terra. *Animus inquit.*

meus nõ capitur rebus terrenis & caducis, sed tanquã peregrinus hanc vitã transeo, ad regiones cœli summo desiderio festinãs: itaque domine ne me celes mysteria legum tuarum, quarũ scientia & observatione, ad vitam cœlestẽ, & beatam peruenitur.

Increpasti superbos. *Meritò, inquit, amo, & colo præceptiones tuas: nam superbos, & arrogantes, qui illas despiciunt, increpare, & execrari soles.*

Auferà me opprobrium. *Vindica me ab iniurijs, & contumelijs istorum superborũ, qui me acerbissimè infectãtur, propterea quòd vident, me tuarum legum studiosum esse.*

Seruus autem tuus. *Cũ principes ciuitatis maledictis me insectarentur, ego meditatione et observatione præceptorum tuorũ mitigabã me, illis me in rebus aduersis oblectabã, illa in rebus dubijs, & difficilibus in cõsilium adhibebam.*

Adhæsit pulueri anima mea. *In maximo periculo versor, vt penè iam oppressus sim, & proximus morti, at tu domine salutẽ mihi restitue, quẽadmodum te facturum promisisti, quoties homines ad tuam misericordiã cõfugissent: & profectò, cùm immineret mihi periculũ aliquod, aut aliquod graue & difficile mihi agendum esset, semper oraculũ tuum consului, semper auxilium tuum imploraui, semper te propitium, & misericordem expertus sum, itaque*

Domi

Domine hac fiducia fretus oro te vt doceas me cælestem scientiam sanctissimarum legum tuarum, vt earū meditatione corroboratus possim animo erecto atq; constāti resistere tantis calamitatibus, quibus vndique oppugnor.

Noli me confundere. *Id est, ne permitte, vt ea spes me fallat.*

Viam mandatorum tuorū. *Significat hominem præcepta Dei seruare nō posse, nisi Deus illi spiritum suū impertiat, viresq; suppeditet.*

Doce me Domine. *In his octo versibus apertissimè ostēdit, naturam hominis imbecillā esse, ad intelligendas, amandas, & sequēdas leges diuinas, nisi Deus ipse spiritu suo mentē illuminet, voluntatem inflammet, totumq; animum renouet, itaq; diuus Augustinus ad hāc sententiam probandam contra Pelagianos hos versus sæpenumero testes citat.*

Confirma seruo tuo eloquiū tuū. *Id est, in animo meo firmā fac & stabilem legem tuā.*

Et respondebo exprobrantibus. *Adsis, inquam Domine, & mihi salutem affer, vt sit, quod respondeam exprobrātibus mihi quod profiteri soleam me confidere promissionibus tuis.*

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis. *Ego quidē natura maximè proclivis ad errādū, imbecillus, timidus, nullius animi sum: at tu Domine, qui me in viam veritatis deduxisti, ne quæso permitte mentem meam ab illa*

vnquã aberrare, tantumq; animi, & firmitatis suffice, vt me nulla vis, aut metus inducere possit ad dicẽdum aliquid, quod doctrina & legibus tuis sanctissimis repugnet.

Et ambulabo in latitudine. *Cùm Dei spiritus abest, recta viuendi via difficillima est: cõtráque illo præsente, & leges Dei iucundas & amabiles efficiente, omnia aspera & angusta sese conuertunt in vias latas & planas.*

Et loquar de testimonijs tuis. *Hic versus eam sententiam continet, quam Christus apud Lucam exprimit clarius, cùm prædicit, discipulos suos ad Regum, & Iudicum tribunalia ductum iri, quò religionis, & doctrinæ suæ rationem reddant, eosq; monet, vt sine vlla præmeditatione defensionis accedant: se enim sapiẽtiã, & verba suppeditaturũ, quibus aduersarij resistere nõ possint. Hac sapientia fretus vir sanctus gloriatur se coram regibus de doctrina, & legibus Dei liberè locuturum, neque aliquẽ fore, qui possit ipsum redarguere.*

Et leuabo manus. *Id est, summa alacritate perficiam ea, quæ iubent leges tuæ.*

Memor esto verbi tui seruo tuo. *Id est, memento eorum, quæ mihi pollicitus es.*

Hæc est consolatio mea. *Iampridem (inquit) me animus, & vita defecisset præ magnitudine calamitatum, nisi verba tua afflictum & iacentem erexissent.*

Sup

Superbi deriſerunt me nimis. *Arrogantes, & oraculorum tuorũ contemptores me ſtultiſſimum iudicant, quòd verbis tuis fidem adhibeã, & retinẽdæ pietatis cauſa nullum incõmodum recuſem: ſed ego nulla re ab obſeruatione, & ſtudio legum tuarum deterreri poſſum.*

Memor fui iudiciorum. *Sæpe animo recolo, quãta benignitate ſemper tutatus ſis homines pios, quantis eos præmijs affeceris, & ea qui dẽ cogitatio mirandum in modum recreat me.*

Horror tenuit me. *Horror inuadit me, quoties cogito miſeriam, & impietatem eorum, qui negligunt leges tuas.*

Cantica mihi fuerunt. *Cùm in exiliũ pulſus fuiſſem, calamitates meas ſolabar cãtandis legibus tuis, hoc vnicum perfugium mihi fuit in tãtis malis: vel peregrinationem appellat vitã hanc, quæ degitur in terris.*

Memor fui nocte nominis tui. *Tanta eſt magnitudo voluptatis, quam de te cogitãs capio, vt dum alij ob leuãdos labores, & curas ſomno, & quieti ſe tradunt, ego vigilãs in rerum tuarum meditatione conquieſcam.*

Hoc mihi contigit. *Omnia, inquit, bona, quæ commemoraui, mihi contigerunt, propterea quòd leges tuas diligenter obſeruaui.*

Portio mea Domine. *Habeãt alij ſibi ſuas opes, honores & potentiam: tu Domine hæreditas, & luculentũ patrimonium meum, tu vnus*

mihi

mihi omnia bona es: itaque proposui, in colēdis legibus tuis omnem curam & diligentiam ponere. sed hoc ego qui potero exequi, nisi tu, qui hanc mihi mentem donauisti, incœptis, & conatibus meis exitus quoq; prosperos dones? propterea ad te confugio, & tuam misericordiam supplicitèr imploro, tu quæso illā mihi tribue, quemadmodum te facturum esse promisisti.

Cogitaui vias meas. *Ego quidem mores, rationes, atq; institutа vitæ meæ diligēter excussi, cumq; nihil boni in iis cōperirē, nulla interposita mora omne meū studium conuerti ad seruādas leges tuas, quanquā verò ob eam rem in maxima pericula, & angustias adductus sum ab hominibus sceleratis, & impiis, tamen vitā mihi eripi quàm harum legum obseruationem malo.*

Misericordia tua domine. *Tam liberalis, et benignus es Domine, vt neminem in toto terrarum orbe patiare expertē esse misericordiæ tuæ: hæc tu vtere aduersus me, potissimum ad docendas leges tuas.*

Bonum gustum, & sciētiam doce me. *Ea est humani iudicij depravatio, ea cæcitas animorum, & ignorantia, vt falsa pro veris, et mala pro bonis vt plurimum amplectamur. At tu Domine, qui iam seruo tuo benignè facere cœpisti, ita mentem meam illumina, vt perspiciam, quid appetendum, vitandúmque sit: ita gustū animi mei sana, vt verorum bonorum suauitatem*

tem sentiam, cætera omnia iudicem amara.

Priusquàm tribularer, ego deliqui. *Gratias ago tibi summe pater immortales, quòd multa mihi aduersa tuo cõsilio euenerint: cùm enim mihi omnia secũda cederẽt sic animo elato erã, & contra leges tuas multa committerem: nũc illis nihil mihi sanctius, nihil antiquius est: illarũ obseruatione ego omnia posteriora duco. At tu, qui bonus es, tuamq; bonitatẽ liberaliter impertis, harum sanctissimarum legum scientiam mihi trade.*

Concinnauerunt aduersum me. *Homines superbi, & doctrinæ tuæ cõtemptores multa cõfinxerunt ad spem sanctitatis adumbratæ, quò me à Via Veritatis ad sua subtilia cõmenta traducerent, at ego leges tuas colere summa cõstantia perseuero.*

Incrassatum est sicut adeps. *Habent isti homines mentẽ hebetẽ, & crassam quippe quam corporis Voluptatibus, & rerũ terrenarum cogitationibus alũt, propterea neque scientiam legum diuinarum tenẽt, neque ijs delectantur.*

Manus tuæ fecerunt me. *Tu me Domine tuis manibus effinxisti, tu rex, tu pater, tu creator meus es, ita que bonam mentem mihi dona, atque animum meum sic imbue scientia legum tuarum, & nihil cogitare, aut loqui, aut facere me delectet, quod à pulcherrimis illarum præceptis abhorreat.*

Scio

Scio Domine. *Persuasissimum habeo, quòd nihil nisi rectũ, & iustũ, à tuo sancto numine manat: itaq; nõ dubito, quin iure ac meritò me afflixeris, sed iã quæso mihi misericordiam tribue, & consolare afflictum, & iacẽtem: id enim pollicitus es seruo tuo.*

Reuertantur ad me. *Sublatis de medio impijs, reuertãtur ad me homines pij, qui metu perterriti vitam inopem, & vagam persequũtur.*

Defecit in salutare. *Defecit penè iam animus meus præsolicita expectatione auxilij tui, quo nititur omnis salus mea: ipsi etiã oculi mei iam defecerũt, in cælum dies noctesq; suspiciẽtes si qua fortè viderent salutem venientem, quam seruo tuo promisisti. Sed quãquam præmagnitudine calamitatũ, & assiduo mœrore confect' sum, atq; adeò exesus, vt cutis mea vtri ad fumum suspenso comparanda sit, nunquam tamẽ legum tuarum oblitus sum: sed tu quandiu permittes seruum tuum tanta crudelitate vexari? quãdo tandẽ de impijs aduersarijs meis supplicium sumes?*

In æternum Domine. *Prædicat, legem Dei non posse antiquari, & quicquid ipse cõstituerit, ratum, & fixũ esse, quod perennitas cæli & terræ apertissimè testificatur, quas ille res ea lege creauit, vt nullo tempore intertrent.*

Ordinatione tua. *Quicquid ab initio creauisti vsque in hodiernum diem ita consistit, vt*

à sap

à sapientia tua constitutum fuit, denique omnia imperio tuo parẽt, nihil temerè nihil fortuitò fit in vniuerso, omnia diuini numinis tui cõsilio administrãtur. Hæc nisi ego assiduè cum animo meo cogitassem, & meditatione legum tuarũ me ipsum oblectassem profectò magnitudine calamitatum interijssem.

Me expectauerunt. *Insidias machinantur mihi impij, at ego ad scientiam legum tuarũ me recipiam, earumq; præsidio tutissimo me communiam.*

Omnis consummationis. *Nihil tam absolutũ támque perfectum oculis meis cerno, cuius interitũ videre non possim: at lex tua nullis tẽporũ finibus circunscribitur, nulla vi, aut vetustate consumi, vel obliterari potest.*

Quàm dilexi legem tuam. *His octo versibus exponit, quàm præclarum fructum cœperit ex studio, & obseruatione legum diuinarum: se enim tantos progressus in prudentia, & cognitione rerũ præstantissimarum fecisse gloriatur, vt omnibus ijs, qui harũ virtutum laudibus florẽt, multò antecellat. Addit præterea, se amore pietatis, & iustitiæ sic incensum esse, vt hæc sibi antiquissima curæ sit, ne quid cõmittat vnquã, quod merito reprehendi queat.*

Quia in æternum mihi est. *Id est, quia semper in animo meo, et memoria infixa hærẽt præcepta tua.*

A mãdatis tuis intellexi. *Id est, meditatione, & scientia præceptionum tuarũ prudẽs fio.*

Lucerna pedibus meis. *In tenebris vitæ huius ingredienti, lex tua tanquã fax prælucet, ne quid offendã, néve aberrem ab ea via, quæ ducit ad vitam beatam, & immortalem.*

Voluntaria sacrificia oris mei placeant tibi Domine. *Hymnos præcipuè, quos Deo cãtabat, appellat voluntarium sacrificiũ: ea enim sacrificia, quæ neque præcepto legis, neq; pro expiãda culpa, sed pro gratiarum actione fiebãt, sic vocabantur.*

Anima mea in manibus. *Id est, nunquàm leges tuas obliuiscor, etsi nunquã non versor in maximo periculo. Nam apud Hebræos, animam manibus ferre, est vitam omnibus periculis propositam habere, hinc illud in libro primo Regũ: Posui animam meam in manu mea.*

In æternum propter retributionem. *Id est, propter ampliſsima dona, quæ pro tua maxima liberalitate ſtudioſis legum tuarũ promiſisti. In his donis ipſe Deus numerandus eſt, quo fruentur in perpetuum, qui conueniẽter præceptis ipſius viuere perſeuerãt. Sed illud ſcire oportet vocabulum Hebræum non minus ſignificare finem quàm mercedem, quapropter alij ſic vertunt, in ſæculum, & vſque in finem.*

Ideò dilexi teſtimonia tua. *Amatores enim legum diuinarum pœnas defugiunt, quas*

earum

earũ contemptores sustinent, & maximis praetere à honoribus afficiuntur à Deo.

Inhorruit timore tui caro mea. *Toto (inquit) corpore cohorrui, dum cogitarem, quàm graues pœnas dare soleant qui à tuis legibus desciscunt.*

Oblecta seruũ tuum in bonum. *Sic animum meum amore virtutis, et pietatis inflãma, vt omnes meas voluptates, & delectationes in his rebus constitutas habeam.*

Tempus faciendi. *Iã tempus appetit, quo tẽpore supplicium sumes de ijs, qui leges tuas violant eurtunteq;.*

Propterea omnia mãdata tua. *Propterea omnia præcepta rerum omnium, quas præcepisti, recta, & iusta esse existimaui.*

Ostium sermonum tuorum. *Id est, non modò si quis in intima arcana legũ tuarũ ingrediatur, & penetret, sed etiam si uel ostium earum tantùm attingat, & primoribus (vt aiunt) labris scientiam illã diuinam deguſtet, statim cœlesti quod lumine illustratur, vt facilè perspicere possit, quid sequendum, quid fugiendum, hanc verò intelligentiam non superbi, & impuri sed simplices, & innocentes homines consequuntur.*

Os meum aperui. *Allegoria est, qua exprimit animum anhelantem præ desiderio cœlestis sapientia.*

Et miserere mei secundum. *Miserere inquam mei, méque ita tracta, vt eos tractare soles, qui piè colunt nomen tuum.*

Gressus meos dirige. *Fac vt omnes meæ viuendi rationes ad normam legum tuarũ dirigantur, méq; ab omni peccato, & scelere purũ, integrumq; conserua.*

Riuos aquarum profuderunt. *Exprimit amorem, & studium suum erga leges diuinas: quas cùm videret ab impijs negligi, & violari, præ dolore incredibilem vim lachrymarũ profundebat.*

Iustus es Domine. *Qui nihil potes velle, nisi quod iustum, rectum, & sanctũ est: ex quo fit, vt non possint esse non iusta, & salutaria cuncta quæ nobis inuiolatè seruãda præcepisti, itaque incredibili dolore cõficior, quòd inimici mei verba tua despiciant, ac pro nihilo putẽt: verba enim tua puriora sunt auro, quod artifex sæpe, ac sæpius igne purgauit. Sed quàm volent impij contemnant excellentissimas leges tuas, contemnant etiam, & nihil faciant me, propterea quòd illas plurimi facio, certè prius obliuiscar mei, quàm cælestem hanc doctrinam ex memoria deponere possim: iustitia namque tua iustitia est sempiterna, lex tua veritatis regula est, perfugiumq;, & dulcissimum solatium omniũ curarum, & calamitatum: iustitia inquã legis tuæ semper viget, ac floret, nulla eam temporis*

poris circunscriptio metiri valet, itaque fac Domine, & illam intelligã, amplectar, amem, sequar, & ego quoque immortalis ero, & vita sempiterna fruar.

Clamaui in toto corde meo. *Imploro misericordiam tuã Domine, conscius imbecillitatis meæ, at tu quæso supplicis tui voces propitius exaudi, vt possim obseruare leges tuas.*

Præueni diluculum. *Antelucanis horis euigilo, atque opem tuam magnis clamoribus imploro, propterea quòd omnis mea spes nititur promissionibus tuis.*

Præuenerunt oculi mei vigilias. *Significat se vsq; eò studiosum fuisse legum diuinarũ, vt totas noctes in earum meditatione consumeret.*

Propè es tu Domine. *Abeunt quidẽ improbi longè à legibus tuis, at tu semper es præstò colentibus nomen tuum.*

Principes persecuti sunt me. *Quanquam homines potentissimi me capite, ac fortunis oppugnabant, nunquam tamen tam eorum vim formidaui quàm ne aberrarem ab obseruatione præceptionum tuarum.*

Septies in die laudem dixi tibi super iudiciis iustitiæ tuæ. *Quotidie tibi gratias ingẽtes ago, tuamq; bonitatem & sapiẽtiã crebris laudibus effero propterea quòd omnia iustè, rectè, atq; ordine administras, et in mandatis legũ tuarum testatum reliquisti quæ sequenda*

fugiendaue sint, & ad vitam beatam & immortalem peruenire possimus.

Pax multa diligentibus legem tuam. *Amãtes enim legum diuinarũ Deo charissimi sunt, eoque fauente in tempestate quiescunt, in tenebris vident, ex rebus nocentibus vtilitatẽ capiunt, inimicos amant, omnia quæcunque faciunt, euentus prosperos habẽt: honores, opes, vitam, & cætera fragilia, & caduca contẽnunt, Deum colunt, verentur, diligũt, atque ab illo diliguntur, eamque beneuolentiæ charitatẽ fore sempiternam persuasum habent, quæ opes, qua imperia aut quæ voluptates cum hoc cæleſti vitæ ſtatu, & tam dulci pace, & tranquillitate animi conferendæ ſunt?*

Et non eſt illis ſcandalum. *Spiritus enim Dei infuſus in animos piorũ, viã virtutis planam, & facilẽ reddit, atq; omne impedimentũ de medio remouet: non illi falſis opinionibus inducti à veritate deſciſcunt, nẽ maleficia alterius intoleranter ferũt, quin potius imbecillitatẽ, fragilitatémque humani generis miserantur, & multa accipiũt in meliorẽ partẽ, ad ſummam aliena peccata legum diuinarũ cultores non ſolùm non impediũt, ſed etiam ad virtutẽ iuuãt: Deus enim ſuos hoc pulcherrimo dono afficit, vt omnia illis ad beatam vitam conſequẽdam ſint vtilia.*

Quia omnes viæ meæ. *Intelligo Domine*

omn

omnes meas nõ modò actiones, verum etiã cogitationes, & intimos animi sensus tibi notissimos esse, propterea operam do, vt præcepta legũ tuarum diligenter observem.

Erraui sicut ouis quæ periit. *Ego miserdum longius à te recedo, procul à rectæ viuẽdi via decerraui, neque sponte redire possum, vnde digressus sum. At tu Domine pro tua infinita bonitate quære seruũ tuũ ne tanquam ouis imbecilla luporum præda existam, meq; reduc ad herbas illas saluberrimas, & prata lætissima, vbi propter fontes & riuos gregem tuum scientia pascis, & iudicio. Hoc ergo, fretus misericordia tua fidenter oro, quin necdũ præcepta tua sum oblitus, quanquam illa (nisi me adiuuas) sequi & seruare non possum.*

ARGV. PSAL. CXX.

Queritur vir sanctus se patria pulsum inter homines improbos, & fraudulentos vitam agere.

Canticum graduum. Psal. CXX.

AD Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me.

Domine libera animam meam à labiis mendacij, & à lingua dolosa.

Quid dabit tibi, aut quid adicijet tibi lingua dolosa?

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus iuniperorum.

Hei mihi quòd incolatus meus apud

Mesech est, & habito cum tabernaculis Cedar, multum incola fuit anima mea.

Apud eos, qui oderunt pacem, ego vir pacis sum, & cùm locor de pace, ipsi ad bellum incitantur.

EXPLANATIO.

Canticum graduum. *Cur hic Psalmus, & xiiij. qui deinceps sequuntur, appellantur Cãtica graduum, vel ascensionum, nihil certi à quoquam afferri video: fabulis autem Iudæorum nos minimè delectamur.*

Domine libera animam meam. *Exponit quid petierit à Deo, cùm magnis clamoribus eius opem implorraret.*

Quid dabit tibi. *Orationem ad eum cõuertit, qui mendacijs & fraudibus delectabatur, quem (inquit) fructum quodve emolumentum tibi afferet lingua fraudulenta?*

Sagittæ potentis acutæ. *Comparat mẽdacia et calũnias hominum impiorum sagittis ab homine valentissimo contortis, intima quæq; penetrantibus: item prunis iuniperi, quas aiũt et vrere vehementius, & ignẽ retinere diutius.*

Hei mihi quòd. *Homines illos impios, & fraudulentos apud quos exulabat, comparat Ismaëlitis hominibus immanibus. & truculẽtis quĩ partem Arabiæ incolunt, & omnia incursionibus, & latrocinijs infesta habent. Cedar Ismaëlis, Mesechus Iapheti filius fuit.*

Para

PARAPH. CARMINE.

Oppugnat hostis impius caput meum,
Meásque fortunas, ego
Contra piarum me tegam scuto precum
Nam vocibus dexter meis
Aures amicas admonet semper Deus,
Vt filio dulcis pater:
A viperino dente acerbo, à vulnere
Oris dolosi Domine me
Defende, sæua lingua ne vitam mihi
Suis venenis auferat:
Dolosa lingua quem tibi fructum feret?
Quid turpibus mendaciis
Lucrabere præter odium Dei miser,
Et omnium mortalium?
Qualis sagitta militis à fortissimo
Contorta, qualis ignea
Nutrita vis iuniperi olentis caudice,
Talis venenata impij
Lingua est. Miser, miser ego iam ni-
mium diu
Cum gente viuo barbara:
Me pax iuuat, & mutui concordia

Amoris ardens ignibus:
At iſta gens de pace cùm loquor, mihi
Crepat niſi necem & ſanguinem.

ARGV. PSAL. CXXI.

Docet, in periculis ad miſericordiam Dei confugiẽdũ eſſe, qui ſolus & poſsit, & velit nos incolumes conſeruare, & omnibus bonis augere, & cumulare.

Canticum graduum, Pſalmus CXXI.

LEuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram.

Non dedit in cõmotionem pedem tuũ, neque dormitabit, qui cuſtodit te.

Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui cuſtodit Iſraël.

Dominus cuſtodit te, Dominus vmbra tua ad manum dexteram tuam.

Per diem ſol non vret te, neque luna per noctem.

Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam Dominus.

Dominus cuſtodiet introitũ tuũ & exitum tuum, ex hoc nunc, & vſq; in ſæculum.

EXPLANATIO.

Leuaui oculos meos in montes. *Alij cælum ſic appellari putant, alij montes illos deſignari, vbi poſita erat Hieroſolyma: viri enim ſanc-*

ſanẽti cùm peregrè Deũ precarentur, ad eam partem ora conuertere ſolebãt, quòd in ea vrbe foret templum illud auguſtiſſimum, in quo ſe colí inſſerat Deus.

Auxilium meum. *Ille, cuius auxiliũ expecto, cælũ, & terram creauit, atque ex nihilo fecit vt exiſterent vniuerſa: quid igitur mihi nocere poſſit illo propugnante, qui vitam, et mortem, & cætera omnia in ſua ditione, ac poteſtate habet.*

Non dabit in cõmotionem pedem tuũ. *Hæc ſunt verba plena fiducia, quibus animum ſuũ cõfirmat in periculo. Nõſinet (inquit) Deus vacillare conſtantiã tuam: ille tibi tantum animi, & fortitudinis præſtabit, vt omnia pericula, ommẽſq; difficultates facilè ſuperaturus es.*

Neque dormitabit. *Sæpe quidẽ Deus dormire nobis videtur, neq; cernere, quæ geruntur in terris, cùm pij vexantur ab improbis: ſed ille noctes, & dies excubat, vigilatq; pro ſalute omnium piorum, neque patitur quicquam illis euenire, quod ad vitam beatam vtile non ſit.*

Dominus vmbra tua. *Hærebit, inquit Dominus ſemper ad latus tuũ, & inſtar vmbræ cuius te defendet ab æſtu omnium malorũ, vt nihil tibi neq; interdiu neq; noctu nocere poſſit.*

Dominus cuſtodiet introitum tuum, & exitum tuum. *Id eſt, ſiue domi fueris, ſiue foris ille ſemper erit ſalutis tuæ fidiſſimus cuſtos, &*

propi-

propugnator. Vtinam misericordiæ parẽs hanc gratiam nobis faciat, vt de sua prouidentia, & benignitate erga nos ea sentiamus, quæ cõtinẽtur his versibus: profectò tantus amor viciſsim in animis nostris aduersus illum exardescet, tãtaq; lætitia, et quies, & securitas consequetur, vt status noster penè cum cælestium vita possit comparari.

PARAPHRASIS CARMINE.

Dum me cruentus vrget hostis, lumina
Montes ad altos sustuli,
Vnde ille rerum præpotẽs pater omnium
Terræ, poliq; conditor,
Frustratus hostem barbarũ, mittet mihi
Opem benigno numine,
Nunquam ille sæuis impiorum cursibus
Tuam siner constantiam
Labare vitam, dormiet nunquam tuæ
Salutis ille negligens:
Qui ciuitati præsidet sanctissimæ,
Nunquam profectò dormiet.
Hærebit ille semper ad dextrum latus
Fidissimus comes tuum,
Vmbraculique tecum amabilis vice

Fung

Fungetur optimus pater,
Ne feruidus te tangat aut sol, aut grauis
Luna insalubris lumine:
Quodcunque ages, vbicunque eris, domi, foris,
In vrbe, in agro: tecum erit
Semper beatus cælitum rex, & pater,
Fortunet vt tibi omnia:
Suásque tandem ducet ad domos, vbi
Aeterna viues sæcula.

ARG. PSAL. CXXII.

Solebant omnes tribus Hierosolymæ conuenire ter in singulis annis ad agendos dies festos, & solemnes: inducit igitur homines pios gratulantes venisse tempus eiusmodi conuentus, & vrbem sanctã laudibus celebrantes, illique omnia bona precantes.

Canticum graduum, Psalmus CXXII.

LAetatus sum, cùm dicerent mihi: in domum Domini ibimus.

Stabunt pedes nostri in portis tuis Hierusalem.

Hierusalem ædificata est vt ciuitas, quę coniuncta est sibi ipsi simul.

Illuc ascenderant tribus, tribus Domini, testimonium Israëli ad confitendum nomini Domini.

Quia illic constitutæ sunt sedes ad iudi-

cium.

cium, ſedes domus Dauid.

Precamini pacem ipſi Hieruſalem, ſit bene ijs, qui diligunt te.

Sit pax in mœnibus tuis, & abundãtia in domibus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos nunc precabor pacem tibi.

Propter domũ Domini Dei noſtri, quęſiui bona tibi.

EXPLANATIO.

Hieruſalem ædificata eſt. *Ait in ædificanda vrbe ſancta eã deſcriptionẽ, & elegantiam adhibitam eſſe, quæ conuenit vrbibus, illãq; pace, & ciuium cõcordia florentem eſſe, illuc conuenire omnes tribus ad colendum, & venerãdum Deum, quod quidem oraculo diuino præceptum eſt Iſraël, id eſt, genti Hebrææ ibi iudicia exerceri, & ſolium regni conſtitutum eſſe: quare optandam eſſe pacem, & omnium bonorum affluentiam huic præſtantiſſimæ ciuitati, in qua nititur pax, & ſalus cæterarum ciuitatum terræ Iudææ.*

PARAPHRASIS CARMINE.

O quale cœpit gaudium
Cùm dicerent, adibimus
Templum Dei ſanctiſsimum.

Te

Te magna visam ciuitas
Tectis, viis, & mœnibus,
Et ciuium concordia
Florentem, & almi numinis
Tutela agris ex omnibus,
Et oppidis gens plurima
In te piorum singulis
Annis ter ad festos dies,
Et sacrosancta conuenit,
Vt legibus mandat suis
Rector supremus cœlitum:
Tui ura claris vrbibus
Legésque das tu maximos
Reges alis, te Dauidis
Proles frequentat inclyta
Stipata semper nobili
Turba ducum: Precamini
Ciues boni bona omnia
Huic ciuitati, sit bene,
Fœlicitérque amantibus
Te, mater alma, nec tuis
Vnquàm recedat finibus
Pax, & beata faustitas,

Salus

Salus meorum ciuium
Tua salute nititur:
Templum Dei sanctissimum
Te reddit omnibus pijs
Amabilem, igitur vsque dum
Ego vixero, semper tibi
Bona precabor omnia.

ARGV. PSAL. CXXIII.

Homines pij ab impijs oppressi, misericerdiam D
mini implorant.

Canticum graduum.

Psalm. CXXIII.

AD te leuaui oculos meos, qui habit
in cælis.

Ecce sicut oculi seruorum ad manus d
minorum suorum.

Sicut oculi ancillæ ad manus domin
suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deũ no
strum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere no
stri, quia multũ repleti sumus despection

Quia multum repleta est anima nost
derisione abundantium, & despectione su
perborum.

EXPLANATIO.

Ecce sicut oculi seruorum. *Elegantissim*
similitudo est, quæ naturam Sera piotatis p

nè oculis subijcit, Et enim seruus vi potentioris oppressus, fidem et præsidium Domini implorat, in vnum illum spectat, neque aliud & illum se putat habere perfugium: ita vir pius, qui se in seruitutem Deo sanctè dicauit, atque omnem spē suā in illius benignitate reposuit, cùm vexatur ab impijs, et importunis hominib', ad misericordiā sanctissimi numinis confugit, Deum intuetur, is est vnus, in quo nitatur eius salus, cætera omnia præsidia pro nihilo habet.

Donec misereatur nostri. Ita se gerit vera pietas in rebus aduersis: est enim perferens more, neq; oculos à Deo deijcit, aut orare intermittit, quoad misericordiam clemētissimi numinis exoret: cæteri, nisi quamprimùm obtinent quæ volunt, ad præsidia infirmissima se conuertunt: & quem honorem soli Deo tribuere debebant, vt illi cōfiderent, eum honorem ad homines, atque alias res caducas, & inanes transferūt, quæ maxima est impietas.

PARAPHRASIS CARMINE.

Ad te, beatas qui beatus incolis
Oras nitentis ætheris,
Attollo lumina lachrymis manantia,
Vitæ meæ spes vnica:
Iniurioſa verberatus vi manu,
Manus heriles aſpicit

Flens seruus, implorans opẽ domini sui:
Vt serua serui dextera
Pulsata, dominæ dexteram aspicit suæ:
Sic te pater sanctissime
Nos intuemur maxima fiducia,
Donec querelis tristibus
Aures benignas applicans adsis tuo
Nobis secundo numine.
Iam quæso, iam tuére supplices tuos
Vultu sereno: ista quoniam
Abominata gens sua superbia
Nos enecat miserrimè,
Miserrimè nos enecat gens impia
Irrisione & iurgiis.

ARGV. PSAL. CXXIIII.

Gens sancta præsenti periculo mortis liberata gratias agit Deo.

Canticum graduum, Psalmus. CXXIIII.

NIsi Dominus fuisset in nobis, dicat nunc Israël, nisi Dominus fuisset in nobis.

Cum exurgerent homines in nos, tunc viuos deglutissent nos.

Cum irasceretur furor corũ in nos, tunc aqua absorbuisset nos.

To

Torrens transiſſet ſuper animã noſtram tunc tranſiſſent ſuper animam noſtrã aquę intollerabiles.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Adiutorium noſtrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram.

EXPLANATIO.

Niſi dominus. *Hic hymnus elegantiſſimus eſt, et ſanctitatis plenus: ſcir enim pius lõginqui temporis ſcſu, & periclitatione doctus nullam ſcim habere humana præſidia, acceptum refert ſcni Deo, quòd ciuitas ſancta ab imminenti exitio liberata ſit, comparat autem impetũ, & ſciolentiam hoſtium impiorum, torrentibus incitatis: crudelitatem feritati beluarum: inſidias, laqueis aucupum: populum ſcerò ſimplicem, & imbecillum auicula, quatamen neque ſci, neque dolo potuerit opprimi, tantum in omnes partes ſcalet pietas ſcni Deo confidens.*

PARAPHRASIS CARMINE.

Niſi nos benigni numinis
Tutela ſeruaſſet, piæ
Nunc dicat vrbis incola,
Niſi nos benigni numinis

Tutela seruasset feri
Inuaderent cùm barbari:
Instar leonum, hiantibus
Nos deuorasseni faucibus,
Cùm gens veniret impia
Furens, minásque & sanguinem
Spirans, malorum altissimo
Nos obruisset gurgite:
Torrens malorum maximus
Agros, & urbem, & omnia
Iam perdidisset funditus.
Supreme cœlitum pater,
Te sempiternis laudibus
Seruata tollet ciuitas,
Quam noluisti immanibus
Patere prædam beluis:
Vt implicata vinculo
Pudica turtur, aucupis
Crudelis effugit manum,
Si fortè laqueus frangitur:
Sic impiorum è dextera
Spem præter ipsi euasimus.
In posterum anxius timor

Noſtris faceſſat finibus,
Quando omnium rerum potens,
Terræ, polique conditor
Suo benigno numine
Noſtræ ſaluti conſulit.

ARGV. PSAL. CXXV.

Deſcribit lætitiam gentis Hebrææ, è Babylone domum redeuntis.

Canticum graduũ, Pſalmus. CXXV.

QVi confidunt in domino ſicut mons Sion, immobilis in ſæculũ manens.

Hieruſalẽ, montes habet in circuitu ſuo, & dominus eſt in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.

Benefac Domine bonis, & rectis corde.

Declinantes autem ad prauitates deducet dominus cum operantibus iniquitatẽ. pax ſuper Iſraël.

EXPLANATIO.

Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion. *Ille purè ac ſyncerè Deo confidit, qui perſpecta cæterarum rerum imbecillitate, ſe ac ſua omnia in illo ponit, quod nemo ſine inſtinctu diuino facere poteſt: qui verò ſe tam altè extulit,*

eum omnibus humanis casibus superiorem esse, necesse est, atque animum ipsius vel ruēte cælo immobilem persistere, quæ vis enim ad illū aspirare possit, qui se, ac sua omnia in Deum abdidit? sed hanc fiduciæ præstantiam non ita multi consequuntur: quo autem quisque ad illam propius accedit, eo plus fortitudinis, cōstantiæ ac securitatis acquirit. Hæc ita esse, qui harum rerū vsum habēt, certò sciunt: cæteri fabulas putant.

Hierusalem montes habet in circuitu. *Quemadmodum, inquit, Hierosolyma circūcirca montibus muniuntur, sic Dominus præsidio suo populum suum sepit, ac munit.*

Quia non relinquet. *Tutabitur Dominus gentem suā, neque permittet pios tyrānide impiorum oppressos teneri, ne fortè legibus & iudicijs extinctis, et religione conculcata, etiam ipsi ad peccata & scelera impellantur, exemplo & prosperitate improborum incitati.*

PARAPHRASIS CARMINE.

Quicunque verè spes suas locat in Deo.
Immobilis semper manet
Sionis instar, nulla quem suo potest
Mutare vis vnquàm loco.
Vt sancta vallo montium circundata
Est vndecunque ciuitas,
Sic ipse rector cœlium dextro pios

Valla

Vallabit vsque numine,
Illósque nullis improborum viribus
Premi diutius sinet,
Ne fortè virtus fracta rebus asperis
Deo recedat à suo.
Fac affluenter manet ad bonos tua
Quæso benignitas pater.
At qui secutus impiorum pessima
Consilia, deseruit viam
Legum tuarum perditus, illum precor
Vltrice puni dextera.
Vtinam quies, & alma pax nostros agros,
Nostras & vrbes incolat.

ARGV. PSAL. CXXVI.

Describit lætitiam gentis Hebreæ, è Babylone domum redeuntis.

Canticum graduum, Psalmus CXXVI.

CVm conuerteret dominus captiuitatẽ Sion, facti sumus sicut somniantes.

Tunc repletum est risu os nostrũ, & lingua nostra exultatione.

Tunc dicebant inter gentes, magnificè fecit dominus cum istis.

Magnificè fecit Dominus nobiscum, facti sumus lætantes.

Reduc domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in auſtro.

Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.

Veniẽtes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

EXPLANATIO.

Sicut ſomniãtes. *Cùm liberati ſeruitute illa acerbiſſima rediremus in patriam, tãta erat lætitiæ magnitudo, eáque res tam nobis inopinata cõtigerat, vt ſomniare nos putaremꝰ, nõ re ipſa tanta voluptate ac iucunditate potiri.*

Magnificè fecit dominus cum iſtis. *Tunc homines vulgò admirantes dicebãt: magna profectò ſunt, quæ Deus facit pro ſalute, & cõmodis iſtorum.*

Reduc Domine. *Non omnes Hebræi ſimul redière in Iudæam ex Babylone, ſed partim regnante Cyro, partim Dario partim Xerxe Darij filio, qui igitur primi redierãt, precãtur Deũ pro libertate eorum qui remanſerant, vt ſcilicet multitudo reuertẽtium imitetur torrentes abũdantes fluente auſtro: is enim ventus & pluuijs gignendis, & niue liquefaciendæ torrentes plurimùm auget, & magno impetu impellit. Hoc modo explanant Græci hunc verſiculum, & ſimpliciùs, opinor, ac meliùs quàm Hebræi.*

Qui

Qui seminant in lachrymis. *Cõparat lætitiam Hebræorum ab exilio redeũtium, agricolarum gaudio, qui magnam ẽim frugum perceperint ex agris, in quibus iecerãt semina lachrymantes, ac penè desperãtes propter sterilitatem soli: seuerant autem homines pij lachrymantes, cùm in exilio illo calamitoso Deum precarentur, & misericordiam eius implorarent, neque vlla calamitate à religionis studio, & pijs actionibus deterrerentur: ex qua quidem satione pulcherrimos fructus libertatis, & lætitiæ perceperũt. Hoc idem omnibus pijs cõtingit, nemo enim Christi discipulus esse potest, nisi crucem suam tollat quotidie, atque illum sequatur: itaque vita Christiani lachrymis redundat, id est, rebus asperis, & calamitosis, sed quo maior lachrymarum sementis facta fuerit, hoc vberior lætitiæ, & iucunditatis futura est messis, sunt autẽ omnia, quæ mala corporis & fortunæ vulgò nominantur, breuissima: bona verò, quæ fortibus & patientibus parata sunt in cælo, sempiternis sæculorum ætatibus manent.*

PARAPHRASIS CARMINE.

Quum liberati barbaræ gentis iugo
Dulcem rediremus domum,
Se somniare quisque, non vero frui
Existimabat gaudio:

O quæ voluptas, quanta nobis commoda
Tuo fauente numine
Tum contigêre, cœlitum rex maxime.
Tum barbarus mirans ait,
En quanta pro salute gentis istius
Pater Deorum conficit:
Et magna certè fecit, haud iniuria
Tanto exilimus gaudio
Vt Auster vdus imbriũ vim maximam
Fundens, iugísque collium
Niuem albicantium liquans suas super
Ripas alit torrentia
Flumina, vagantur illa, latéque omnia
Tenent: ita pater optime
Fac, vt tuorum multitudo ciuium
Plenis vijs ad patriæ
Dulces fluat agros, omniáque passim occupet.
Lætóque plausu repleat.
Vt glareoso tristis arno semina
Mandans colonus, vberem
Si fortè messem percipit, gaudet magis,
Quàm cultor agri fertilis:

Sic

Sic nos per annos ſeptics denos grauem
Et ſeruitutem, & cætera
Paſſi mala omnia, cùm lares amabilis
Reuiſeremus patriæ,
Cunctis viciſsim gaudijs inceſsimus,
Tuæque rex ſanctiſsime
Benignitati gratias ſemper agimus,
Sempérque habemus maximas.

ARGV. PSAL. CXXVII.

Docet, & domus, & familiæ, & ipſius ciuitatis ſalutē, & cuſtodiā in vnius Dei prouidētia cōſtitutam eſſe, & ab eodē victū, & cultū omnibus ſuppeditari.

Canticum graduum, Pſalmus CXXVII.

NIſi Dominus ædificauerit domū, in vanum laborauerūt, qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatē, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

Vanum eſt, vos ante lucem ſurgere, & tardare ſeſsionem manducantes panem dolorum.

Sic dabit dilectis ſuis ſomnū, ecce hæreditas Domini filij, merces fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij iuuentutis.

Beatus vir, qui impleuit pharetram ſuam ex ipſis, non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta.

EXPL

EXPLANATIO.

Nisi dominus ædificauerit domum. *Cùm dicit ædificationem domus, ex consuetudine linguæ Hebraeæ omnia complectitur, quæ pertinent ad tuendam, & amplificandã rem priuatam: itaque sensus est, nisi dominus & liberos, & familiam, & honores, & diuitias largiatur, inaniter laborant, qui rebus his comparandis student.*

Nisi dominus custodierit ciuitatem. *Significat, omnẽ salutem, & rectam administrationem rerũ publicarum Dei ope, ac præsidio niti, sine quo nihil neque domi, neque belli feliciter administrari potest, & tã publicè, quã priuatim summa veneratione, ac pietate Deus colendus sit.*

Vanum est vobis. *Vos admoneo, quicunque vobis victum summa cũ solicitudine comparatis, frustra surgitis ante lucem ad labores obeũdos, frustráque illos protrahitis ad multam noctem, nisi dominus vos iuuet.*

Sic dabit dilectis. *Concludit, & omnes labores, & conatus hominum sine auxilio Dei, sunt irriti, sic illo fauente hominibus pijs quietẽ, & tranquillitatem contingere, & summa cũ facilitate omnia ad victũ, & cultũ necessaria suppeditare: cuius rei magnifica promissio extat in Leuitico cap. 26.*

Ecce hæreditas domini filij. *Filij sunt hæredi*

reditas Domini, id est dono, & liberalitate Dei nobis contingũt, & fructus ventris, id est fæcunditas mulierum est merces, & munus eiusdem Dei: mercedem enim appellant Hebræi etiam quæ vltrò dono dantur. Comparat autem vim, & robur filiorũ, quos Dominus donat, sagittis, quas iacit homo valentissimus: & ait illum esse beatum qui ijs sagittis, id est, liberis abũdat: neque enim eiusmodi pater, & filij afficiẽtur ignominia, cũ disceptandum erit cũ aduersarijs in porta, id est, in iudicio: nam apud Hebræos, & alio loco dictum est, iudicia exercebãtur ad portas ciuitatum. significat autem, illos ea integritate, ac innocentia fore, vt nullo negotio obiectas criminationes depulsuri sint. Quòd verò hos appellat filios iuuentutis, hoc intelligit Deũ cultoribus suis maturè liberos donare, quò possint eos rectè, ac piè instituere, & diutiùs eorum virtutibus frui: quæ quidem non contingerent iis qui iam senes liberos procrearent.

PARAPHRASIS CARMINE.

Nisi coniugem Deus bonam, & agrum
fertilem,
Dulcésque donet liberos,
Frustra laborat, si quis hæc studio suo
Sese paraturum putat.
Nisi ciuitatem, & ciuium concordiam

Defen-

Defendat optimus Pater,
Et ciuitatem, & ciuium concordiam
Frustra tuentur principes:
Frustra ad labores ante lucem surgitis
Frustra laboratis diem
Totum, labores nisi Deus vestros suo
Fortunet ipse numine.
Ipse & parabilem facit victum, & pii
Præbet quietem ciuibus:
Ipse & frequentat liberis domum: & ipsius
Vxor pudica munere
Contingit, ac decora, & optimis simu
Ornata proles moribus:
Talisque robore, qualis à fortissimo
Sagitta torta milite.
Beatus ille, qui pharetram talibus
Implet sagittis, non ei
Erit timendum, si quod vnquã euenerit
Certamen, illum iudices,
Et cuncta ciuitas, suis cum filiis
Bonum & beatum prædicant.

ARG

ARGVM. PSAL. CXXVIII.

Prædicat, in summa rerum prosperitate vitam acturum, quicunque Deum pie sancteq; coluerit.

Canticum graduum, Psal. CXXVIII.

BEati omnes, qui timent *D*ominum, qui ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.

Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicet tibi *D*ominus ex Sion, & videbis bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videbis filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

EXPLANATIO.

Labores manuum. *Id est, non frustra laborabis in colendis agris, sed magnos fructus inde percipies, & perceptis latus, tranquillúsque perfruexis.*

PARAPHRASIS CARMINE.

Beatus ille, qui piam sese Deo
In seruitutem dedicat,
Semper paratus exequi, sanctissimis

Quod

Quod ille verbis imperat:
Non is paterna rura inaniter colit:
Sed quæ feraci semina
Sinu recepit fundus, illa maximo
Reddit colenti fœnore.
Uxor pudica bene regit domum, & optimis
Exornat ipsam liberis,
Fœcundæ vitis instar, apta, diligens
Quam curat arte vinitor.
Proles nouella crescit, vt virentibus
Oliua pulchra ramulis:
Et mensa turba garrula circundata
Cumulat parentes gaudio.
Hæc est piorum vita, eósque talibus
Remuneratur præmiis
Summi benignitas patris: quem si coles,
Vrbis sacratæ commodis
Lætus frueris, vsquedum viuas, tua
Prolis beatæ liberos
Florere cernes, patriis felicitas
Regnabit alma finibus.

ARG

ARGVM. PSAL. CXXIX.

Gratias agit Deo, quòd populum suum ab impiis semper oppugnatum, saluum, incolumémque semper conseruauerit.

Canticum graduum Psalmus CXXIX.

SAepe oppugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel.

Sæpe oppugnauerunt me à iuuentute mea: attamen non prævaluerunt mihi.

Supra dorsum meum arauerunt arâtes, prolongauerunt sulcum suum.

Dominus iustus concidit funes impiorum: confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant sicut herba tectorum, quæ, priusquam euellatur, exaruit.

De qua non impleuit manũ suã qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit.

Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos, benedximus vobis in nomine Domini.

EXPLANATIO.

Attamen non prævaluerunt mihi. *Id est, non potuerunt me extinguere.*

Supra dorsum meum. *Significat his verbis contumelias, & verbera, quibus affectus fuerat à Babyloniis in dirissima illa seruitute, cuius tandem se exitum esse à Domino gratulatur.*

Fiant sicut herba tectorum. *Herba, q*
nascuntur in tectis, propter sterilitatem soli,
teaquam ad iustam magnitudinem perueni
& fructũ aliquem ferant, ardore solis exar
scũt: sic igitur impios de medio tolli, & imma
ra morte precatur extingui.

Et non dixerunt. *Viatores, si cernunt seg*
tes vberes & latas, laudare solent diligentia
agricolarium, et bene precãtur metentibus illa
ijs verò, qui herbam tectorum metunt, nemo
ne precari solet.

PARAPHRASIS CARMINE.

Me barbarorum sæpe vexauit furor,
Nunc sancta dicat ciuitas,
Me barbarorum sæpe vexauit furor
Ab vltima vsque origine.
Sed nulla vis, nec vllus hostium dolus
Me quiuit vnquam extinguere.
Arauit heu mea terga longis verberum
Sulcis nefandus barbarus,
Laboribus me, vinculisque asperrimis
Duráque vexauit fame.
Sed vincla rupit ferrea, & tandem mihi
Dulcem quietem præbuit,
Vberrimóque me locauit in solo

Cal

Cælestium summus pater.
Qui ciuitatem numinis sanctissimi
Vult perditam pereat malè,
Vt verba tectis orta summis ædium,
Humore vitali caret,
Nequit profundiore radices humo
Agere: itaque antè exarnit
Percussa sole feruido, quàm dextera
Vellatur alicuius: neque
Manum repleuit ea metens, suum neq;
Sinum, manipulos colligens:
Nec qui viator præterit, verbis ei
Bene precatur optimis,
Talis sit impius hostis, & quisquis pios
Odit, Deus quos diligit.

ARGV. PSAL. CXXX.

Precatio est hominis conscientiæ peccatorum grauissimè cruciati, séque misericordiæ diuinæ fiducia consolantis.

Canticum graduum, Psalm. CXXX.

DE profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, propterea timeris, expectaui Dominum.

Expectauit anima mea, & in verbo eius speraui, anima mea Dominum expectat.

Magis quàm custodes mane, quàm custodes mane, speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.

EXPLANATIO.

De profundis. *Profunda, et barathrum vocat, ingentes illas mortis angustias, atq; acerbitates, quas animus eius sustinebat ob conscientiã peccatorum, & metum iræ diuinæ.*

Si iniquitates obseruaueris. *Affirmat, eos etiam, qui sanctissimi iudicãtur, graues pœnas daturos, si Deus in quemque animaduertere velit pro eo ac cuiusque peccata promerẽtur, itaq; diuus Augustinus hunc locum explanans, ita scribit, Non dixit, ego non sustinebo, sed quis sustinebit? Vidit enim propè totam vitam humanam circumlatrari peccatis suis, accusari omnes cõscientias cogitationibus suis, non inueniri cor castum præsumens de sua iustitia, si ergo cor castum non potest inueniri, quod præsumat de sua iustitia, præsumat omnium cor de misericordia*

Dei,

Dei, & dicat Deo, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? quæ autem spes est? quoniam apud te propitiatio est, quæ est ista propitiatio, nisi sacrificiũ? et quod est sacrificiũ, nisi quod pro nobis oblatum est? sanguis innocens fusus deleuit omnia peccata nocentium: pretium tantum datũ, redemit omnes captiuos de manu captiuãtis inimici, ergo est apud te propitiatio: nã si nõ esset apud te propitiatio, si iudex solũ esse velles, et misericors esse nolles, et obseruares omnes iniquitates nostras, et quæreres ea, quis sustineret? quis ante te staret, & diceret, innocens sum? quis staret in iudicio tuo? Spes ergo vna est, quoniam apud te est propitiatio. Hæc diuus Augustinus.

Quia apud te propitiatio. *Id est, propterea quòd homines norunt clemẽtiam, & infinitam misericordiam tuam, idcirco reuerentur, & colunt sanctissimum numen tuũ, quòd si in peccatis condonãdis inexorabile esses, nemo profectò te ex animo veneraretur, sed omnes ferè tanquã tyrannum aliquem horrerent. Timorem autem appellari in literis sanctis pro reuerentia, et pietate aduersus Deum, sæpe iam diximus.*

Et in verbo eius speraui. *Id est, in promissionibus eius omnem meam spem locatã habeo, promisit autem Dominus, se veniã diuersum resipiscentibus, & ad misericordiam suam cõfugientibus opem allaturum.*

Anima mea Dominum magis quàm. *Animus, inquit, meus ardẽtiore desiderio expectat auxilium Dei, quã vigiles nocturni, qui somno grauati lucem auidissimè expectant, quo possint corpora defatigata tradere quieti, sic Abrahamus Esdra vir doctissimus inter Hebraos interpratatur hunc locũ, et eleganter quidẽ, ni fallor. Ista autẽ geminatio verborum & vim habet & leporem, eaq; exornatio vsurpatur etiam alijs in locis huius libri.*

Speret Israël in Domino. *In certamine cõscientiæ, cũ lex, diabolus, & sensus peccati nos accusant ad tribunal Dei, quòd maximè quidemeuent imminẽte morte, difficillimũ est desperationi resistere: sed optimè sperandum est, neque verẽdum, si nos pœniteat, quin summus ille rector omnium delictorum gratiam faciat: infinitis enim partibus maior est misericordia illius, quã totius humani generis improbitas, & copiosa apud eum est redẽptio: quamobrem si captiuus est, implora confidenter benignitatẽ Dei: ille suo sanguinis precio redimet te, atq; ab omni vitio & impuritate liberatum traducet in regnum suum.*

PARAPHRASIS CARMINE.

Malis profundis obrutus
Tuam pater fidem imploro,
Ne quæso supplicis tui

Audi

Audire vocem respue.
Si vindicaris omnia
Peccata, cunctáque
Quæ iure debentur tibi,
Quis sustinebit ò pater?
Quis tam piè, tam puriter
Vitam colit, quin sit tibi
Pœnas daturus maximas?
Incomparabilis tua
Certè benignitas facit,
Vt numen à mortalibus
Tuum colatur: hac ego
Confisus auxilium tuum
Expecto certum: animus meus
Et lenitate tua, & tua
Promissione nititur.
Non sic morantem languidus
Expectat auroram vigil,
Qui nocte tota sedulus
Ambiuit orbis mœnia:
Votis vt omnibus expeto
Ego te morantem, ò refugium
Meæ salutis vnicum.

Iudæa gens Deo tuo
Confide: nam Deus tuus
Benignus & placabilis,
Et promptus est ignoscere.
Tua ipse peccata omnia
Delebit, & maculas sua
Absterget omnes dextera.

ARGV. PSAL. CXXXI.

Monet nos exemplo suo, fugiendam esse superbiam, & importunitatem, atque in sola Dei misericordia spem ponandam esse.

Canticum graduum, Psalm. CXXXI.

DOmine nō est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.

Si non depressi, & humiliaui animam meam.

Qualis ablactatus erga matrem suam, qualis ablactatus, talis in me anima mea.

Speret Israël in Domino ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

EXPLANATIO.

Neque ambulaui. *Nihil vnquam conatus sum quod vires, & vitæ meæ statum superaret, id quod arrogantes facere solent.*

Si nō depressi. *Oratio est imperfecta cuiusmodi,*

modi oratione vti solent scriptores Hebræi, cùm adhibita execratione aliquid asseuerare volũt: eã sic explere, atque interpretari possumus, nisi modestiã, atq; animi submissionẽ semper colui, hic Domine grauissimas arrogantiæ pœnas luã.

Qualis ablactatus. *Cùm vellet ostendere, quã demissè, ac humiliter de seipso sentiret, elegantissimè animum suum comparauit infanti, quẽ modò mater lacte alere desiit, vt enim ille totus in materna charitate cõquiescit, propterea quòd neque per ætatem corpus curare, neq; sine alterius adminiculo pedibus insistere valet: ita vir sanctus tota cogitatione pendebat ex Deo sine cuius auxilio se neque rectum aliquid vel conari, vel cogitare, neque ipsum quidẽ spiritum ducere posse intelligebat. Hæc est illa sancta animi summissio, qua hominẽ Deo, Deũq; homini charissimũ facit: vtrumque inter se arctissimo amoris vinculo coniungens.*

Speret Israël in Domino. *Hortatur populum vt exemplo suo omnem spem salutis ponat in misericordia Dei.*

PARAPHRASIS CARMINE.

Supreme rector cæluum
Nonipse regium ob decus
Inflatus efferor, neque
Perambulans sublimia

Mentis superbæ somniis,
Maiora viribus meis
Tribuo, tribuere quàm decet
Hominem caducum, inanis &
Imaginis simillimum.
Si non modestiam colo,
Si sumo magnos spiritus:
Turpissimæ arrogantiæ
Pœnas grauissimas luam.
Qualis pusillus est puer,
Quem lacte dulci blandula
Vix alere desit parens,
Talis animus, & mens mea est.
Vt ille totus optima
Matre acquiescit in sua,
Sic ipse toto pectore
Et charitate pendeo
Cælestis optimi patris.
O te beatum, quisquis es,
Quispem tuam in Deo locas.

ARGV. PSAL. CXXXII.

Describit studium Dauidis in parando loco, vbi templum ædificaret. Inducitur etiam Deus loquens ac promittens, familiam Dauidis sempiterno regno

potituram: quod quidem perfectum est Christo rege cælitum, atque hominum constituto.

Canticum graduum, Psal. CXXXII.

MEmento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.

Qui iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei.

Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

Donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.

Ecce audiuimus eum in Ephrata, inuenimus eum in campis ſyluæ.

Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus ante ſcabellum pedum eius.

Surge Domine in requiem tuam tu, & arca fortitudinis tui.

Sacerdotes tui induantur iuſtitia, & ſancti tui exultent.

Propter Dauid ſeruum tuum ne auertas faciem Chriſti tui.

Iurauit Dominus Dauid veritatẽ, & nõ fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodierint filij tui teſtamentũ meũ, & teſtimonia mea, quæ docebo eos.

Etiam filij eorum vſque in ſæculum ſedeb

debunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion, desiderauit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo, quoniam concupiui eam.

Victum eius benedicẽs benedicam, pauperes eius saturabo panibus.

Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabunt.

Illic germinare faciam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo.

Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit diadema eius.

EXPLANATIO.

Memento Domine. *Populum inducit loquentem.*

Votum vouit Deo. *Existimant explanatores Hebræi hoc votum à Dauide fuisse nũcupatum, quo tempore pestilentia grassabatur in populum, cuius rei mentio fit in libro primo Paralipo. Eodem loco scriptum est, Vatem, cui nomen erat Gad, iussu Dei mandasse Dauidi, vt in area Orne Iebusæi aram ædificaret ad sacrificia facienda id fortasse accidit, cũ Dauid esset Bethlehem: quã vrbem etiam Emphasim appellabant, & propterea subiungitur, Ecce audiuimus de eo loco in Ephrata, Verisimile est enim, Dauidem cogitasse locum illum fore aptissimum ædificando templo, quem locum ipse Deus indi*

indicasset ad extruendam aram, quod eius consilium comprobauit ostentum illud insigne, cum Deus de cœlo demisit ignem, qui hostiam consumeret: legimus enim, hac rei nouitate commotum Dauidem eum locum templo destinauisse, atq; ob eam causam ex tota Iudæa operarios coegisse, quorum partim lapides caderēt, partim cæsos cò cōportarēt, hoc significare videtur vir sanctus, cū dicit, inuenimus eū in campis syluæ: sic enim nominatam existimant aream Ornæ Iebusæi.

Si introiero. *De hac iurandi formula dictū est in explanatione superioris Psalmi: dicit autem Dauidem iureiurando cōfirmasse, se neque limē domus suæ intraturum, neque corpus quieti traditurum, antequā aream ædificando templo reperisset.*

Introibimus in tabernaculum. *Populus pollicetur, se celebraturū, & piè sanctèq; veneraturum templum Dei, cui ædificādo iā inuentus erat locus. Appellat autem arcam fœderis scabellum pedum Dei, vt etiam in Psal. 99.*

Surge Domine in requiem tuam. *Id est, relinque Domine Gabaonem, teq; recipe in locum perpetuæ quietis tuæ destinatum: nam antequā ædificaretur templum, nullum certum domicilium habebat arca fœderis.*

Propter Dauid. *Precatur populum pro Salomone filio Dauidis: ne auertas, inquit, faciem Christi tui, id est, ne regis nostri, qui seruus tuus est,*

est, preces repudia, néve illum tutela, et præsidio tuo spoliatum à te reijce, hac enim dicendi figura vtitur Hebræa lingua in hanc sententiam.

Hæc requies mea. *Significat, se nō amplius mutaturum locum, sed vates sanctus cùm hæc scriberet, oculis meis cœlestem Sionem intuebatur, id est, ecclesiam Christi, in qua Deus perpetuum domicilium sibi collocauit.*

Sacerdotes eius induam salutari. *Id est, virtute, ac pietate: omnis enim salus nostra posita est in his rebus.*

Illic germinare faciam. *Significat, nunquam extinctum iri splendorem et gloriam familiæ Dauidis, & regnum eius in posteros propagandum esse.*

PARAPHASIS CARMINE.

Sis memor vsque pij rex maxime Dauidis, & quàm,
Ciues in omnes mitis extiterit suos.
Ille tui sancto incensus iurauit amore,
Votúmque lingua nuncupauit hoc modo,
Ne tibi sim charus, vita mihi charior ipsa,
Neu verba post hac supplicãtis audias,
Aniè meæ si chara domus ad limina adibo,

Oculóſ

Oculósve somnus antè clauserit meos,
Quàm præclara tuo fuerit pater optime templo,
Tuisq; dedicata sacris area.
Sic ait, & paruo post tempore dedicat illam,
Qua se beatis sylua campis porrigit,
Cùm tu clara prius Bethleem signa dedisses,
Tuam introibimus pater domum, tua
Perpetuo castis venerantes numina sacris:
Tu mensionem dexter ad certam veni,
Mysticáque arca vacans stabili iam sede quiescat:
Fac vt sacerdos mente pura te colat,
Et sua cuiq; pio da gaudia: néve tueris
Omitte prolem Dauidis tui inclytam,
Quam patris aurato in solio tu sancte locasti.
Iurauit ille, peierare qui nequit,
Omnipotens dulci affatus sic Dauidem amore,
Tua sedebunt sede liberi tui:

Qui si constantes in religione manebũt
Quam Mosis ore sanximus, neq; inclyta
Fœderis antiqui violarint iura, nepotum
Serie propago nobilis longissima
Dulci pace fruens solio regnabit auito.
Sionis arcem præfero cunctis locis,
Hic ego longa libenti animo per sæcula
degam,
Hic supplicantium preces ego ciuium
Audiam, & optanti mea sancta oracula
pandam:
Florebit agris fructuum lætissima
Omnigenum uberias, atque hinc procul
omne fugata
Per ævum egestas exulabit horrida:
Casta sacerdotes ornabit vita, colemque
Domos piorum pura semper gaudia.
Ac veluti lauro pulchro densissima
sylua
Radice ab ima pullulat, sic Dauidi
Candida succrescet proles, quæ splẽdida
facta
Parentis augeat optimi, neque hostium

Vlla

Vlla domum poterit vis hanc euertere,
non si
Coniuret omnis impiarum gentium
Barbaries latas per terras dissita, cũctis
Optatus ille piis fluet ab origine
Ista, qui populos omnes, & maxima põti
Aequora, globósque syderum micantium,
Et diuos supra cœli conuexa morantes
Mecum gubernet sempiterna sæcula.

Canticum graduum, Psalmus. CXXXIII.

ECce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.

Sicut vnguentum optimum super caput effusum, quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimẽtorum eius, sicut ros Hermon, qui descẽdit in mõtes Sion,

Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum.

EXPLANATIO.

Sicut vnguentum. *Comparat suauitatem concordiæ vnguento suauissimo, quo sacerdotes, & vasa templi illinebantur, de quo in Exodo.*

Sicut ros Hermon. *Comparat concordiam*

ri, qui montem Hermonem, & loco montana Sionis fœcunda, & feracia reddit: Verbum autẽ ros in hoc versu repetendũ est hoc modo, sicut ros Hermon, sicut ros, qui descẽdit in mõtes Siõ.

Quoniam illic. *Ostendit, se iure concordiã laudibus efferre, ac rori cõparare, quo terra sit fœcundior, ubi enim homines se concordi amicitia, & sancta charitate cõplectuntur, ibi Deus suppeditat omnium bonorum copiam, & vitam sempiternam.*

PARAPHRASIS CARMINE.

O quàm beatum est pacis insolubili
Fratres ligari vinculo!
O qualia bona, & quãta secum gaudia
Apportat alma charitas!
Quales odores spirat vnguenti liquor
Stillans Aaronis sacro
E vertice aureas adoras vestium,
Tales odores candida
Pax, atque amoris mutui concordia
Afflant piorum mentibus:
Vt ros Sionis decidens, iugum, & auia
Hermonis alti pascua
Fœcundat: ita quas incolit domos pia
Pax, ditat omnibus bonis.

Nam

Nam degit vbi pax & beata charitas,
Ibi cœlitum degit pater.

ARGV. PSAL. CXXXIIII.

Hortatur Leuitas, & alios viros religiosos, qui noctu vigilias agebant in templo, vt precibus, atq; hymnis Deum venerentur.

Cantiũ graduum, Psalmus. CXXXIIII.

ECce benedicite dominum omnes serui domini, qui statis in domo Domini.

In noctibus extollite manus vestras ad Sancta, & benedicite dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

EXPLANATIO.

Ad sancta. *Id est, versus eas templi partes: quæ vocantur Sancta sanctorum.*

PARAPHRASIS CARMINE.

Dum nox fauet, suoq; nos silentio
Inuitat, agite, laudibus
Deum efferamus ædis ô sanctissimæ
Casti, beatiq; incolæ.
Tollamus agite supplices simul manus,
Aditisq; in intimis Deum
Aures amicas applicantem, plurima
Prece inuocemus, vi sua

Ope ſoſpitet ciues, bonáque det omnia
Larga benignus dextera.

ARGV. PSAL. CXXXV.

Hoc hymno prædicat potentiam Dei, eiuſq; præcipuam benignitatem erga gentem Hebræam.

Alleluya Pſalmus. CXXXV.

LAudate nomen domini, laudate ſerui Dominum.

Qui ſtatis in domo domini, in atriis domus Dei noſtri.

Laudate dominũ, quia bonus Dominus, pſallite nomini eius quoniam ſuaue.

Quoniam Iacob elegit ſibi dominus, Iſraël in poſſeſsionem ſibi.

Quia ego cognoui, quòd magnus eſt Dominus, & *D*eus noſter præ omnibus Diis.

Omnia, quæcunque voluit, dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſsis.

Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuia fecit.

Qui producit ventos de theſauris ſuis, qui percuſsit primogenita Aegypti ab homine vſque ad pecus.

Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonem, & oẽs ſeruos eius.

Qui percuſsit gentes multas, & occidit reges fortes.

Seon

Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israël populo suo.

*D*omine nomen tuum in æternum, domine memoria tui in generationem, & generationem.

Quia iudicabit dominus populũ suum, & in seruos suos erit placabilis.

Simulacra gentium argẽtum, & aurum, opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

Aures habent, & non audient: nq; enim est spiritus in ore ipsorum.

Similes illis fiant, qui faciũt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israël benedicite domino, domus Aaron benedicite domino.

Domus Leui benedicite domino, qui timetis dominum, benedicite domino.

Benedictus dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem. Alleluya.

EXPLANATIO.

Educes nubes ab extremo terræ. *Extremũ terræ appellat terrã ipsam, quæ est vltima pars mũdi: sic interpretatur Abrahamus Esdra, vel extremũ terræ vocat ipsa viscera terræ: constat autem, nubes cogi ex terræ exhalationibus.*

Fulgura in pluuia fecit. *Hoc tanquàm admiratione dignum commemorat, quòd Deus cõiungat ignem cum aqua, neq; tamen altera res alteram perdat.*

Producit ventos de thesauris suis. *Thesauros appellat loca occulta, atque abdita, vnde exire videntur venti.*

Iudicabit dominus populũ suum. *Id est, illum suo patricinio tuebitur, ac reget.*

ARGVM. PSAL. CXXXVI.

Argumentum huius hymni est idem, ferè atque superioris.

Alleluya, Psalmus. CXXXVI.

CONfitemini domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

Confitemini Deo Deorum, quoniam in æternum misericordia eius.

Confitemini domino dominorum, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui fecit cœlos in intellectu, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui extendit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia eius.

Solem,

Solem in potestatem diei, quoniam in æternum misericordia eius.

Lunam, & stellas in potestatem noctis, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui percussit Aegyptum in primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui eduxit Israël de medio eorum, quoniam in æternum misericordia eius.

In manu potenti, & brachio extẽto, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui diuisit mare rubrum in diuisiones, quoniam in æternum misericordia eius.

Et eduxit Israël per medium eius, quoniã in æternum misericordia eius.

Et excussit Pharaonem, & exercitũ eius in mari rubro, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui traduxit populũ suum per desertũ, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui percussit reges magnos, quoniam in æternum misericordia eius.

Et occidit reges fortes, quoniã in æternum misericordia eius.

Seon regem Amorrhæorum, quoniã in æternum misericordia eius.

Et Og regem Basan, quoniam in æternum misericordia eius.

Et dedit terram eorum hæreditatem

quoniam in æternum misericordia eius.

Hæreditatem Israël seruo suo, quoniam in æternum misericordia eius.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, quoniã in æternũ misericordia eius.

Et redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in æternum misericordia eius.

Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius.

Confitemini Deo cœli, quoniã in æternum misericordia eius.

Cõfitemini domino dominorum, quoniam in æternum misericordia eius.

EXPLANATIO.

Fecit cœlos in intellectu. *Id est summo artificio, & sapientia.*

Solem in potestatem diei. *Id est, Vt praesset diei.*

In humilitate nostra. *Hoc est, cùm magnis calamitatibus oppressi iaceremus.*

ARGV. PSAL. CXXXVII.

Gens Hebræa in Babyloniam adducta commemorat hoc dulcissimo carmine luctum, & mœrore suũ, & prædicit excisionem imperij Chaldæorum.

Psalmus CXXXVII.

IVxta flumina Babylonis sedimus, & fleuimus cùm recordaremur tui Sion.

In salicibus in medio eius suspendimus citharas nostras.

Quia

Quia illic petierũt à nobis, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum.

Et pro vlulatu noſtro lætitiã, cãtate nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?

Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuiſcatur artis ſuæ dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.

Si non poſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.

Memor eſto domine filiorum Edon, in die Hieruſalem.

Dicẽtium, exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in eo.

Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.

EXPLANATIO.

Et pro vlulatu noſtro lætitiam. *Cùm nos in perpetuo luctu, & lamentis verſaremur, ij petebant à nobis carmina læta, & iucũditatis plena. Sed hæc verba alio quoq; modo verti poſſunt ex Hebræo, propter ancipitem ſignificationem.*

Cantate nobis. *Cantate nobis (aiebant Babylonij) de ijs hymnis, quos olim in templo Dei*

vestri canere solebatis. Nos contrà, quomodo po
simus animum inducere, vt cantemus hymnos
sanctitatis plenos apud exteras nationes? Nol
bāt homines religiosi res sanctas dare canibus
& proijcere gemmas ante porcos.

Si oblitus fuero tui Hierusalem. *Si vllo*
tēpore oblitus fuero tui ciuitas sancta, obliuiscatur,
& dediscat psaliere dextera mea, adhæreat
lingua mea faucibus meis, ne possim canere, si
nō meminero semper tui, si vlla re lætabitur ani
mus meus, antequā Hierosolyma instaurētur,
& in antiquum dignitatis locum restituantur.

Memor esto domine. *Precatur mala Idu*
mæis, qui incitauerant Babylonios contra He
bræos diem verò Hierosolymorum appellat tem
pus illud, quo tēpore captæ, & vastatæ fuit vrbs
ab hostibus.

Filia Babylonis misera. *Prædicit calamitatem imminētem Babylonijs, quos Cyrus bello*
superauit, & maximis incommodis affecit.

PARAPHRASIS CARMINE.

Dum nos ferarum gentium crudelitas
Desideratæ patriæ dulci solo
Exterminatos detinet, vtinam procul
A ciuitatis barbara frequentia
Sedere solos sola propter littora
Euphratis, hîc comantium nostras lyras

Suspen

Suspendimus ramis salicũ, & vberrimã
Vim lachrymarum fundimus, tui Sion
Dulcis recordantes, tuámque maxime
Rex cœlitum orantes opem more supplici.
At interim adiens pastor errãtis gregis,
Cantate nobis, ait, aliqua de canticis
Vestris, quid istæ pendulæ tacent lyræ?
Quî nos queamus obsecro animum indu-
cere
Vt canticum sanctissimum nostri Dei
Cantemus istis exultantes in locis?
Si oblitus vnquàm fuero sancta ciuitas
Tui, meæ quoque oblita dextra psallere,
Amabiles nunquàm lyra eliciat sonos:
Adhæreat lingua mea faucibus meis
Ne canere possim, nisi ego meminero
tui,
Nisi cuncta acerba erunt mihi, & a-
marissimo
Amariora felle, donec mœnia
Tuum g3 templum restituta videro.
At tu, nefanda facta qui mortalium,
Vlrice punis dextera, teterrimi

Idu-

Idumæorum sceleris vsque sis memor,
Qui dum periret ciuitas tua, impios
Hostes furentes vocibus nefarijs
Sic incitabãt, Pergite agedum, & omnia
Vastate, ferro & igne cuncta euertite.
Babylon superba & omnium miserrima:
Beatus is qui talibus pro iniurijs
Te digna soluet præmia, atque idem tibi
Largè reponet, paruulos à pectore,
Natos reuellens matrum, & illos aspera
Ad saxa frangens, teq; funditus eruens.

ARGV. PSAL. CXXXVIII.

Gratias agit Deo pro beneficiis acceptis, eiúsque in se benignitatem prædicat.

Psalmus Dauid CXXXVIII.

CONfitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Deorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Propter misericordiam tuam, & veritatem tuam, quoniam magnificasti super omnia nomen tuum, & verbum tuum.

In die, quo inuocaui te, exaudisti me: multiplicasti in anima mea fortitudinem.

Co

Confitebuntur tibi Domine omnes reges terræ, audierunt verba oris tui.

Et cantabunt in viis Domini, quòd magna est gloria Domini.

Quòd excelsus est Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.

Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me, & contra iram inimicorum meorum extendes manum tuam: & saluum me faciet dextera tua.

Dominus perficiet pro me, Domine misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum ne derelinquas.

EXPLANATIO.

In conspectu Deorũ. *Deos appellat homines claros, & insigni aliqua præditos potestate.*

Quoniam magnificasti super omnia. *Celeberrimũ (inquit) reddidisti & nomen & sermonẽ tuũ: alterum propter admirabilem misericordiam, qua cõmuniter cæteris aduersus omnes mortales, & separatim aduersus homines pios, & iustitiæ amantes: & alterũ propter veritatem & summam fidem, qua promissa perfoluis.*

Confitebuntur tibi. *Omnes finitimi reges excitabuntur ad celebrandum augustissimum nomen tuum, cùm audierint, quàm benignè, quãq; prolixè mihi perfolueris, qua pro tua misericordia promiseras, promiseras autẽ fore, vt ego humili, & obscuro loco natus, & à potentiss-*

simo

simo rege capitali odio multos annos oppugnatus, ad regiam dignitatem peruenirẽ, & imperium Hebræorum longè latéque propugnarem. cantabunt itaq; reges vias Domini, id est facta, & consilia eius admirabilia: immensam scilicet esse gloriam, & maiestatem summi rectoris, et illum quidem excelsissimum esse, humiles tamẽ amare: & eos, qui se summissè gerunt, in sublime extollere: elatos contrà, & de se magnificè sentiẽtes eminus cognoscere, quippe qui indigni sint, qui à Deo amentur, & familiariter ab eo cognoscantur.

ARGVM. PSAL. CXXXIX.

Prædicat admirabili orationis magnificentia prouidentiam, & cognitionem Dei, cui singula quæque hominum dicta, & facta, & cogitata sint notissima.

Victori, Psalmus Dauid. CXXXIX.

DOmine exploraſti me, & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſsionem meam & reſurrectionem meam.

Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam, & accubationem meam, circundediſti.

Et omnes vias meas aduertiſti, quia non eſt ſermo in lingua mea.

Et ecce tu Domine cognouiſti totum illum retro, & antè tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

Mira

Mirabilior est sententia tua quàm vt ego consequar: exaltata est, & non potero ad eam pertingere.

Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?

Si ascendero in cœlum, tu illic es: si lectum mihi strauero in inferno, ecce ades.

Si sumpsero alas auroræ, & habitauero in extremitate maris,

Etiam illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Si dixero, forsitan tenebræ occultabunt me, nox quoque lux erit circa me.

Nec tenebræ habent tenebras apud te, & nox sicut dies illuminat: similes sunt tenebræ, & lux.

Quia tu possedisti renes meos, operuisti me in vtero matris meæ.

Confitebor tibi, quia stupendis, & mirãdis modis formatus sum, mirabilia opera tua, & anima mea id cognoscit nimis.

Non fuit occultum vllum os meum tibi quando formabar in occulto, & miro artificio texebar in inferioribus terræ.

Informem fœtum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia membra mea scripta erant, quæ per dies formata sunt, & nullum in eis.

Quàm præciosæ sunt mihi cogitationes tuæ

tuæ Deus, quàm multiplicatæ sunt summæ illarum.

Dinumerabo eas, & super arenam multiplicabuntur: vigilaui, & adhuc sum tecum.

Si occideres Deus peccatores, viri sanguinum declinate à me.

Qui loquuntur contrà te scelerate, assumunt nomen tuum fruſtra hostes tui.

Nónne qui oderunt te Domine, odio habui? & contra inimicos tuos indignor?

Perfecto odio odi illos, inimici facti sunt mihi.

Scrutare me Deus, & cognosce cor meũ: explora me, & cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est, & deduc me per viam æternam.

EXPLANATIO.

Tu cognouisti sessionem meam. *Omnia inquit, tibi nota sunt, quæ sedẽs stans, ambulãs, cubans cogito, atque ago.*

Quia non est sermo. *Antequã lingua mea enũciet sensa animi, tu nosti quid sim locutur⁹. neq; id mirandũ accidere debet, siquidem tu mihi animũ ipsum largitus es, et omnes partes corporis mei finxisti, et tua ipse manu me totũ perfecisti. Sed superat cæptũ ingenij mei, incredibilis magnitudo sciẽtiæ tuæ, neque ad eius infinitam altitudinem possum aspirare.*

Quò

Quò ibo à spiritu tuo. *Canit Deum vbique præsentem esse.*

Si sumpsero alas auroræ. *Si mihi cõtingat velocitas solis, & auroræ, vt possim volare ad vltimas oras maris, non tamen occultare me potero, quin imò tuo vis cò me perferet, atque in tua potestate semper ero.*

Quia tu possedisti. *Tu Domine omnes intimos sensus, & cogitationes meas in tua potestate habes, neque id mirũ, cùm tu formaueris me in vtero matris meæ, meq; operimẽto carnis, & cutis obduxeris.*

In inferioribus terræ. *Ita vocat vterũ matris, quòd sit tanquam antrum abditum terræ.*

Informem fœtum meum. *Cùm adhuc essem fœtus informis, tu me intuebaris, & omnia membra mea, quæ suo quaque tempore formanda, & fingenda erant, tanquam in libro descripta habebas, nullum ex ijs, antequam existeret, tibi notum non erat.*

Dinumerabo eas. *Si velim numerare cogitationes, & præclarissima consilia, atque inuẽta tua, frustra susciperetur omnis labor, superãt enim multitudine arenã maris. Ego certè istis considerandis semper inuigilo, neq; à contemplatione sapientiæ tuæ vnquam animum auerto.*

Si occideres Deus impios. *Cùm vir sanctus ob præclaram istam contemplationem prouidẽtiæ Dei animaduerteret, quàm piè, quàm*

sanctè ille ab omnibus colendus esset, merito candescit in impios qui illum contemnūt, & nihilo habent. O si perdas impios, & sangui rios Deus, facessite inquā impij, & sangui à me: non enim ferre possum qui de te Dom impiè loquuntur, quiq; nomē tuum tum cont ptione usurpant. Verbum illud si, habet vim ptandi, vt etiam apud Latinos.

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto, inquit Virgili

& Horatius,

O si angulus ille Proximus accedat.

Perfecto odio. *Id est, maximo, & cui ni accedere possit.*

Scrutare me Deus. *Quanquam affirm cerat, se pietatis studiosissimum esse, tamē con derans, quanta latebræ sint in animis homi veretur, ne quid fuci, et doli insit in spiritu si itaque ait, Domine fac quaso periculum in centia mea, atq; vt aurū, & argentū igne pe spiciunt, sic tu intimos sensus, & cogitation animi mei diligenter explora, & vide, nū e imprudens de recto vita curriculo deflectar tuq; pro tua infinita bonitate duc me per ea viuendi rationem qua itur ad vitam beatam & immortalem. Hic vides, quantum inter inter pium, atque impium, alter si possit, ni de rebus suis Deum non celatum velit: alter n solùm non molestè fert singula quaque Deo n*

tacs

ta esse, sed etiam in maximi beneficij loco numerat, quòd ille omnes latebras, atque intimos recessus animi sui diligenter explorat.

ARGV. PSAL. CXL.

Orat auxilium aduersus vim, & insidias inimicorum.

Victori, Psalmus Dauid CXL.

ERipe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.

Qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die congregantur ad prælia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitauerunt supplantare gressus meos, absconderũt superbi laqueum mihi.

Et funibus extenderunt rete, iuxta semitam offendicula posuerunt mihi.

Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi vocem deprecationis meæ.

Domine Deus fortitudo salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne permittas Domine, vt desideria impii fiant, cogitationem eius ne perficias, ne exaltetur.

Caput circundantium me: afflictio labiorum eius operiat eum.

Cadent super eos carbones igniti, deii-

cias eos in foueas, ne resurgant.

Vir linguosus non dirigetur in terra, virum iniustũ malum venabitur ad interitũ.

Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.

Vtique iusti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

EXPLANATIO.

Caput circundantium me. *Id est, maledicta & mendacia, & fraudulenta consilia eius, qui dux, & impulsor est illorum, qui mihi insidiantur, in ipsius caput recidant.*

ARGV. PSAL. CXLI.

Precatur à Deo, etiam sibi mentem dari, vt impiorum quamuis potentiam, gratiam, & amicitiam semper repudiet, & familiaritatem bonorum amplectatur. Inuehitur etiam in aduersarios suos.

Psalmus Dauid CXLI.

DOmine clamaui ad te, festina ad me, intende voci meæ cũ clamauero ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone Domine custodiam ori meo, custodi ostium labiorum meorum.

Ne inclines cor meum in rem malam, ne tentem operationes impias.

Cũ hominibus operantibus iniquitatem, neq; cõmedam de ijs, quæ eis sunt iucunda.

Perc-

Percutiat me iustus in misericordia, & increpet me, oleum autem pretiosum ne frangat caput meum.

Quoniam adhuc oratio mea contra malitiam eorum: præcipitentur in locis petrosis iudices eorum.

Vt audiant verba mea, quoniam suauia sunt, sicut cùm agricola terram proscindit & frangit.

Ita dissipata sunt ossa nostra secus infernum, quia

Ad te Domine Deus oculi mei, in te speraui, ne effundas animam meam.

Custodi me à laqueo, quem extenderunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatẽ.

Cadent in rete eius peccatores simul, donec ego transeam.

EXPLANATIO.

Dirigatur oratio mea. *Quoniam vir sanctus in exiliũ pulsus non poterat interesse sacrificijs, quæ fiebant in templo, loco thuris et hostiarum, dedicat Deo sanctas preces.*

Pone Domine custodiam ori meo. *Hoc ait vir sanctus intelligens, quã difficile sit, linguam coercere, ne de fama detrahas innocẽtis, ne per iram contumelias dicas, ne multa loquaris ad voluntatẽ alterius, contra quã sentis, ne plurima inutilia, leuia, inania temerè effutias, quorũ omniũ reddituri sunt homines rationẽ, vt*

Christus minatur apud Matthæum. Quocirca semper orãdus est Deus, vt linguã nostrã moderetur, ne quid vnquã loquamur, quod ad gloriã ipsius atq; aliquẽ fructum aliorũ non redũdet.

Neque comedam. *Neque tam mala mẽte vnquam sim, vt delecter ijs voluptatibus, quas impij studiosè persequuntur.*

Percutiat me iustus. *Malo (inquit) castigari atq; etiam vapulare ab hominibus pijs, quã ab impijs vnguento quãuis pretioso deliniri: castigationes enim, & verbera piorũ morbos animorũ sanant, at impiorum vnguenta, id est blãditiæ, deliciæq; caput frangunt, id est mẽtem, & rationem dissipant. Ita explanat hunc locũ Abrahamus Esdra vir doctus in primis.*

Iudices eorum. *Sic appellat Saulem, et cæteros viros primarios, quos optat interire, vt cæteri eorum exemplo territi resipiscant, & libenter audiant admonitiones, & exhortationes suas ad pietatem, cæteraſque virtutes.*

Sicut cùm agricola. *Vt solet agricola subigendo, & glebas frangendo terrã dissipare, ita viri impij ossa et vires meas, & meorum infregerunt, nosq; in eas angustias coegerunt, vt mortis iam propinqui simus.*

Quia ad te Domine. *Cũ, inquit, in tua misericordia omnis spes mea posita sit, ne quaso permitte, me ab impijs vita spoliari.*

Cadent in rete eius. *Incident hostes mei in ea ma-*

ea mala, quæ mihi machinatur eorum dux, & caput: at ego incolumis euadam.

ARGV. PSAL. CXLII.

EXponit, qua precatione Deum veneratus sit, cùm desperata penè salute se in specum abdidisset, fugiés Saulem: quæ historia scripta est lib. 1 Regum.

Eruditio Dauid, cùm esset in spelunca.

Oratio, Psal. CXLII.

VOce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundam in conspectu eius orationem meam, tribulationem meam coram ipso pronunciabo.

Cùm deficit in me spiritus meus, & tu cognouisti semitas meas.

In via, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognosceret me.

Periit fuga à me, & non est, qui requirat animam meam.

Clamaui ad te Domine, dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.

Intende ad deprecationem meam, quia afflictus sum nimis.

Libera me à persequentibus me, quia roborati sunt super me.

Educ de carcere animam meam, vt confitear nomini tuo, me circundabunt iusti.

cùm retribueris mihi.

EXPLANATIO.

Et tu cognouisti semitas meas. *Tu certè Domine nosti me iniuria ab inimicis tanta mala pati: tibi enim nota est vita, & innocentia mea.*

Et non erat qui quæreret. *Nemo erat, cui cura esset salus mea.*

Portio mea in terra viuentium. *Alio loco ostendimus, viuentiũ appellari in literis sanctis terram hanc, in qua degitur vita: significat igitur, reliqua omnia sibi erepta esse in hac vita præter misericordiam Dei.*

Educ de carcere. *Carcerem vocat speluncam illam, in qua conclusus latitabat.*

Me circundabunt. *Si mihi dederis hoc beneficiũ, homines pij, ac religiosi ad me læti accurrent seq; mihi studio gratulãdi circunfundent.*

ARGV. PSAL. CXLIII.

Hic Psalm. est eiusdem argumenti atque superior.

Psalmus CXLIII.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam, in veritate tua exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi, & anxiatus est in me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sitiens ad te.

Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.

Ne auertas faciem tuam à me, ne similis fiam descendentibus in foueam.

Fac me audire mane misericordiam tuam, quia in te speraui.

Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te cõfugi, doce me facere veritatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum Domine viuificabis me in iustitia tua.

Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum.

EXPLANATIO.

Auribus percipe. *Opem tuam Domine sup-*

plicitèr imploro, tu quæso succurre laboranti pro singulari bonitate & fide tua: pollicitus enim es, te præsidio futurum omnibus, qui sanctissimum nomen tuum invocassent.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo. *Nam si me voces in iudicium, deq; vita et moribus meis quæstionẽ exerceas, nulla misericordia severitatem iuris mitigante, nihil ostenditur mihi ad spem salutis: quis enim tã piè tam sanctè vivit in terris, vt rationẽ reddere iussus ad tribunal tuum, causam suã defendere, ac tueri possit, si velis exigere omnia, quæ tibi et meritissimo, et optimo iure debentur? Si iniquitates observaueris Domine, domine quis sustinebit? Has sententias significat verba viri sancti, cùm ait, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs. Itaq; diuus Augustinus in explanatione huius versiculi, cùm dixisset neminem in terris atq; in humano corpore viuentem excipi, ne Apostolos quidem, multaq; in hanc sententiã disseruisset, concludit his verbis. Dicent ergo Apostoli, dicant, Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: & cum eis dictũ fuerit quare hoc dicitis? quæ debita vestra? respondeant, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs. Idem in sermone 49. de tempore, explanans hunc eundem versiculum scribit hæc: Nõ intres in iudicium cum seruo tuo, quid est, nõ intres in iudicium cum seruo tuo? nõ stet mecum*

mecũ in iudicio, exigẽdo à me omnia, quæ præcepisti, et omnia, quæ iussisti, nam me inuenies reũ. si in iudicium intraueris mecũ &, opus est ergo, inquit, misericordia tua potius, quã liquidissimo iudicio tuo. Sed verbis Augustini libet adiungere sententiã quoque Bernardi viri sanctissimi: is in primo sermone quem scribit in diẽ festum omnium sanctorum, loquitur ad hunc modum. Sed quid potest esse omnis iustitia nostra coram Deo? nonne iuxta prophetam velut pannus menstruata reputabitur? et si districtè iudicetur, iniusta inuenietur omnis iustitia nostra, et minus habẽs? Quid ergo de peccatis erit quãdo ne ipsa quidem per se poterit respondere iustitiæ? propterea obnixè cũ propheta clamantes. Non intres in iudicium cũ seruo tuo Domine, tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest saluare animas nostras.

Collocauit me in obscuris. *Ita vocat spelunças & latebras, in quas se abdebat metu Saulis: mortuos verò seculis appellat eos, qui iampridem mortem obierunt.*

Memor fui dierum antiquorum. *Dum in tãtis angustijs, & periculis versor, memoria repeto monumenta misericordiæ tuæ, quod videlicet, et quãtis calamitatibus liberauerit maiores nostros quãta benignitate tentatus sis Abrahamum, Iosephũ, Mosem, vniuersam denique nationem nostram. Hæc assidua cogitatio recreat*

anim-

animũ meum, meq; ad implorandam misericordiã tuam adhortatur, itaque supplices manus tendo. Vt terra sitiens auidissimè pluuiã expectat, sic ego auxilium tuum cõtinenter imploro.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem. *Vt scilicet euadam ex insidijs inimicorũ, & recto itinere ad te perueniam.*

Spiritus tuus bonus deducet me in terrã rectã. *Id est, per eã viã, quæ ducit ad te.*

ARGV. PSAL. CXLIIII.

Gratias agit Deo, cuius benignitate hostes bello superare soleat: & ipsius auxilium implorat aduersus impias nationes.

Psal. Dauid CXLIIII.

BEnedictus Dominus fortitudo mea, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, & refugium meum, adiutor meus & liberator meus.

Clypeus meus, & in ipso speraui, qui subdit populum meum sub me.

Domine quid est homo, quòd agnoscis eum? filius hominis, quòd reputas eum?

Homo vanitati similis est, dies eius sicut vmbra præteriens.

Domine inclina cœlos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt.

Fulgura fulgur, & dissipa eos, mitte sagittas tuas, & disturba eos.

Dem

Demitte manum tuam ex alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienigenarum.

Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.

Deus canticum nouum cantabo tibi, in psalterio, & decachordo psallam tibi.

Qui das salutem regibus, qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno, eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienigenarum, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.

Vt sint filij nostri sicut plantulæ crescentes in iuuentute sua.

Filiæ nostræ sicut anguli ornati ad similitudinem templi.

Promptuaria nostra plena sint, eructantia ex vno genere annonæ in aliud.

Greges nostri mille pariant, pariant decem millia in compitis nostris, boues nostri sint ferendis oneribus apti.

Non sit interruptio, non emigratio, non clamor in plateis nostris.

Beatus populus cui hæc sunt, beatus populus, cuius Deus est Dominus.

EXPLANATIO.

Homo vanitati similis est. *Vanitatem appellat inanitatem, & ipsum nihilum.*

Dom-

Domine inclina cœlos. *Implorat auxilium Dei contra reges falsorum Deorum cultores, vtitur autem ornamentis orationis elegantissimis, de quibus explicauimus in explanatione Psal.* XVIII.

Vt sint filij. *Descriptio est plena leporis, & venustatis, qua cõplectitur omnes prosperitates & cõmoda vitæ, quæ optari possunt reipublicæ.*

Filiæ nostræ sicut anguli. *Angulos ædium magnificarum significat, qui solebant eleganter exornari.*

Non sit interruptio. *Ne perrũpantur mœnia machinis hostium, ne abducãtur ciues in seruitutem, neve lamentæ, aut ingens audiãtur in compitis nostris. Sic Abrahamus Esdra interpretatur hunc locum.*

Beatus populus cui hæc sunt. *Hoc ait, quoniã Deus in suis legibus testatum reliquerat horum bonorum copiam, et affluentiam sua in populum benevolentiæ signum certissimum fore, cõtrarij, morbos famem, et bellum. Vrbes & agros vastaturæ, cũ ipse iratus foret, ac sui fœderis violati pœnas à populo repeteret.*

PARAPHASIS CARMINE.

Aeterne mũdi Domine quas grates tua
Clementiæ possim agere, vel tuum quibus
Efferre nomen laudibus sanctissimum?
Tu præliari dexteram meam doces,

Et om

Et omnium discriminum fidissimus
Comes per hostes obuios, & horrida
Por arma tutũ tuere, & incolumẽ facis.
Tu ciuitates subijcis meas mihi,
Latisq; donas imperare genibus.
Domine quid est homo, quòd honore maximo
Dignaris illum, & tam benignè amplecteris?
Homo est imago vana, & vmbræ somnium,
Inanis, ipsa inanitate inanior.
Descende cælo, & irruentes hostium
Acies coerce fulminante dextera,
Illos procellis, igne, grandine dissipa,
Illos sagittis perime, nosq; iam obruptos
His nationum Barbarorum fluctibus
Tuere. Summe rex tuas laudes ego
Cãtabo semper: tibi cithara semper mea
Hymnos sonabit, tu salutem regibus
Donare gaudes. Dauidem tu maximis
Periculorum liberasti casibus.
Tu nunc furores impiarum gentium

Compe-

Compesce, quas nefanda semper dicere
Iuuat, nefanda semper agere. fac, pius
Miles triũphum nobilẽ referat domum,
Fac, alma pax, quiesq; nostris finibus
Regnent tumultu barbarorum libera.
Proles nouella crescat agris omnibus,
Vt valle myrtus auia nitentibus
Se ramulis subiecit, amica limpidi
Rigat a fontis lymphula: sint virgines
Nostræ decoro corpore spectabiles:
Sint plena semper horrea bonis frugibus,
Plenis redundet cella semper doliis,
Redundet oleo, melle, pomis dulcibus:
Sint prata gregibus tecta fœcũdissimis,
Fortes inuenci plaustra onusta ducere,
Fortes feracem glebam aratro findere.
Neu sæuus hostis nostra rũpat mœnia:
Neu patriæ iucundæ amabiles agros
Abducta gens relinquat, aut ciuilibus
Sonent platea iurgijs. Ter, & amplius
Beata gens, quæ talibus fruitur bonis,
Beata gens, quam maximus cœlestium
Pater suo præsens tuetur numine.

ARG

ARGV. PSAL. CXLV.

Hymnus est, in quo celebrat maxima verborum & sententiarum grauitate potentiam, bonitatem, prouidentiam, & misericordiam Dei, qua is vtitur promiscuè aduersus omnes animantes, tum præcipuè erga homines pios, & iustitiæ cultores.

Hymnus Dauid Psalmus. CXLV.

EXaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magnus *D*ominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.

Generatio generationi laudabit opera tua, & potentiam tuam annunciabunt.

Decorem gloriæ magnificentiæ tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium operum tuorum dicēt, & ego magnitudinem tuam memorabo.

Memoriam eximiæ bonitatis tuæ loquē tur, & iustitiam tuam prædicabunt.

Clemens & miserator *D*ominus: tardus ad iram, & multum misericors.

Bonus Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.

Confiteantur tibi domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.

Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.

Regnum tuum regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generatione.

Fidelis dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

Sustentat Dominus omnes qui corruũt, & erigit omnes depressos.

Oculi omnium in te sperant domine, & tu das escam illis in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Iustus dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.

Custodit dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet.

Laudationem domini loquetur os meũ, & benedicet omnis caro nomini sancto ius, in sæculum & in sæculum sæculi.

ARGV. PSAL. CXLVI.

Prædicat iustitiam, & misericordiam Dei, & monet nemini confidendum esse, præterquam eius benignitati.

Psalmus. CXLVI. *Alleluya.*

LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo, quandiu fuero.

Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus eorum, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cuius adiutor est Deus Iacob, cuius spes est in domino Deo suo, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quę in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, qui facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurientibus.

Dominus soluit compeditos, dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit depressos, dominus diligit iustos, dominus custodit aduenas, pupillum, & viduam subleuauit, & vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula, *Deus* tuus Sion in generationem, & generationem.

ARGVM. PSAL. CXLVII.

Hortatur populum ad laudes Dei canendas, promittens fore, vt gens Hebræa de exilio reducta in finibus patriæ secura conquiescat: vtq; ita futurum esse, certam spē habeant, prædicat potentiam Dei, eiúsque benignitatem singularem aduersus hanc legem.

Psalmus. CXLVII. *Alleluya.*

LAudate dominum, quoniam bonum est psallere Deo nostro, quoniam iucunda decoraque laudatio.

Aedificans Hierusalem dominus, dispersiones Israēlis congregabit.

Qui sanat contritos corde, & alligat vulnera eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.

Magnus dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.

Subleuans mansuetos dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram.

Canite domino cū gratiarum actione, psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam.

Qui producit in montibus herbam.

Qui dat iumentis escam suam, & pullis coruorum inuocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluptatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum

Bene

Beneplacitum est domino in timentibus ipsum, & in eis, qui sperant in misericordia eius.

Lauda Hierusalem dominũ, lauda Deũ tuum Sion.

Quoniam roborauit seras portarũ tuarum, benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius.

Qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.

Proiicit glaciem suã sicut buccellas, ante faciem frigoris eius, quis sustinebit?

Emittit verbum suum, & liquefacit ea, flat spiritus eius, & fluunt aquæ.

Qui annunciat verba sua Iacob, præcepta sua, & iudicia sua Israëli.

Non fecit taliter vlli nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Alleluya.

ARGV. PSAL. CXLVIII.

Hortatur omnes res animatas, & inanimatas ad prædicandas laudes.

Psalmus. CXLVIII.

LAudate dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnis exercitus eius.

Laudate eum sol, & luna, laudate eum omnes stellæ fulgentes.

Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

Statuit ea in sæculum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.

Laudate dominum de terra dracones, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, vapor, spiritus procellarum faciens verbum eius.

Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri,

Bestiæ, & vniuersa pecora, serpentes, & volucres pennatæ,

Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes iudices terræ.

Iuuenes, & virgines, senes cum iuniorib. laudent nomen domini, quia exaltatũ est nomen eius solius.

Gloria eius super cœlum, & terram, & exultauit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis eius, filiis Israël, populo appropinquãti sibi. Alleluya.

EXPLANATIO.

Hymnus omnibus sanctis eius. *Nulla quidem res est in Vniuerso, quæ non debeat hymnos Deo*

Deo canere, in primis tamen homines pios, et religiosos, quales sunt Hebræi, decet hymnus.

ARGV. PSAL. CXLIX.

Hortatur Hebræos ad canendas laudes Dei: prædicens fore, vt liberati seruitute Chaldæorum non solum in patriam reuertantur, sed etiam imperium longè, latéque propagent.

Psalmus CXLIX. *Alleluya.*

CAntate domino cáticum nouum, laus eius in ecclesia sanctorum.

Lætetur Israël in eo, qui fecit eum, & filiæ Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen eius in choro, in tympano, & psalterio psallant ei.

Quia beneplacitũ est domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

Vt faciãt in eis iudiciũ cõscriptũ, gloria hæc est in omnibus sanctis eius. Alleluya.

EXPLANATIO.

Ad faciendam vindictam. *Hæc quidem omnia euenere imperantibus Machabæis, de quo*

rum rebus gestis, & magnitudine imperij multa scribit Iosephus, Verùm hæres fuerũt umbra atq; imagines earum rerum, quæ à Christo, & Apostolis gesta sunt.

Vt faciant in eis iudicium conscriptum. *Id est, Vt exerceant in eos iudiciũ, de quo scriptũ est in Deuteronomio, Vbi pollicetur Deus se suppliciũ sumpturũ de ijs, qui genti suæ afflixerint.*

ARGV. PSAL. CL.

Hortatur populum ad prædicãdã potentiam Dei.

Psalmus CL. *Alleluya.*

LAudate dominũ in sanctitate eius, laudate eum in firmaméto potentiæ eius.

Laudate eum in viribus eius, laudate cũ secundũ multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet dominum.

EXPLANATIO.

Laudate dominum. *Laudate, inquit, dominum ob præstãtissimã sanctitatẽ eius, & ob mirabile opificium cæli, quod sedes est potentiæ suæ.*

Omnis spiritus. *Id est, quicquid vita et spiritu fruitur.*

FINIS.

AD LECTO-REM.

HAec nostra, Lector Christiane, carmina
Sic temperauimus, fauente numine
Diuino, vt ipsa cùm legas, sit idem ferè,
Ac si poeta Dauidis sanctissimi
Hymnos legas, tametsi enim neque reddita
Fuere verbis verba, neque nobis fuit
Religio, multa addere: bonam, & certam tamen
Spem habemus, additum nihil quod ab ipsius
Abhorreat sententia vatis, nihil
Obscura quod non monstret, instar luminis
Aut pulchritudini poëmatis aliquid

Decoris addat: virgini pulcherrimæ
Quale decus addit arte purpureæ rosæ,
Violæq; flauis crinibus circundatæ:
Quòd si labores hos meos perspexero
Fuisse gratos, & legentium fauor
Scribentis adinuerit, vt æquum, industriam:
Vltrò recipio, & tibi meam astringo fidem,
Curam mihi hanc vnam fore antiquissimam,
Vt quæ reliqua sunt Dauidis poëmata,
Oratione pura, & arte musica
Ornata possint mox Latinis auribus
Intelligi, hoc ego vt queam cito exequi,
Vtinam optimi faueat benignitas Dei.
Quod oro, votisque omnibus equidè expeto.
Non in meæ, sed in ipsius spem gloriæ.

DE

DE DAVIDE IVDÆORVM REGE.

ERã paterna abiectus in domo puer,
Cunctisq; fratribus meis
Minor pusillum in monte pascebam gregem.
Hîc ego sub vmbris arborum
Dum læta tondet gramina pecus, maximi
Laudes canebam numinis,
Sonora tangens fila cithareæ, quam mea
Paruæ laborarant manus.
At ille sanctus cælitum Rex, & pater,
Qui summa tangit fulmine
Corusco, humóque gaudet ima tollere,
Suum repentè nuncium
Ad parua misit tecta, qui meum sacro
Liniret vnguento caput,
Abiecit ille viribus præstantia

Fratrum meorum corpora,
Nec forma quicquã profuit, nec aſperi
Spectata virtus prælijs:
At ego puſilli paruulus cuſtos gregis
Ad regum decus efferor.

DE FRVCTV LECTIONIS PSALMORVM,

EOBANI HESSI CARMEN.

QVisquis habes variis obnoxia pectora curis,
Acceptoq; aliqua vulnere quæris opem,
Nec potes humana, quæcunque sit, arte iuuari:
Hæret, & est soli spes tua fixa Deo:
Inspice psalmographi diuina poemata Vatis,
Inuenies quæ te cura leuare queat.
Siue tuis nocuit grassator finibus hostis,
Non alia melius pellitur hostis ope.
Seu

Seueres est peculata tuas manus impro-
bafurum,
Inde quod ablatum reddere posit, e-
rit.
Exactum patria premit inuidiosa ty-
rannis,
Hinc tua soleris tristia fata licet.
Insidias posuere tui tibi, & vndique ca-
piant:
Cum Dauide Deum consule, tutus
eris.
Pignoribus viduata domus tua luget
ademptis,
Auxiliū luctus non aliunde feres.
Pauperie premeris, domus esurit, vrget
egestas,
Hunc pete, ab hoc diues copia fonte
fluet.
Iam tua carnifices populantur corpora
morbi,
Hinc veniet morbis certa medela
tuis.

Pres

Pressus es inuidia, vulgo contemptus
haberis,
Huius ab exemplo, tu quoque fortis
eris.
Pulsus es è summis, deiectus ad infima,
luges,
Hunc sequere, euades infera, sum-
ma feres.
Assiduis culti sterilescunt solibus agri,
Hinc pete fructifero qui riget imbre
solum.
Imbribus assiduis sunt obruta semina
terræ,
Hinc pete qui instis solibus arua iuuet.
Ah miseros qui signa notant, & sydera
spectant:
Et spes inde hominum vanáque vo-
ta trahunt.
Denique quicquid erit, quæcunque in-
commoda rebus
Humanis aliqua clade nocere queãt.
Omnia psalmographi diuina poemata
vatis

vatis
Spe certa, & forti pectore ferre docent.
Et non ferre modò, verùm quoque pellere, si quis
Pectore, quo cecinit qui dedit ista canat.
Nec modò fortunæ dubiisve me debere rebus,
Manat ab hoc animæ maxima fonte salus.
Tam non vlla malæ mens est sibi conscia culpæ,
Quæ non inde habeat quo sua damna leuet.
Tam nullum miseros grauat intolerabile sensus,
Quod non hîc aliqua parte leuetur onus.
I nunc, fatidicis humana volumina scriptis
Confer, & istorũ quodlibet inde pete.

Tam

Tam malè falléris, quàm qui sub imagine somni
Inuenit, & falsa continet æra manu.
I nunc humanas morbis medeare per artes,
Quódque Deo debes quære aliunde bonum.
Ne faceres, melici monuit sapientia Psaltæ,
Qui sacrũ lyrico pectine pulsat ebur.
Hoc opus exposuit doctorum cura virorum,
Vt quæcunque iuuet voce, vel ore loqui.
Quamuis nunc vario Dauid sermone loquatur,
Ast mihi Romano dulcius ore sonat.
Sic psalmos vatis nostrorum prosa recluſit,
Vt nos iam doctis addere pœniteat.
Et iam quæ patribus fuerant incognita priscis,

Cognita nunc ſtudiò cuilibet eſſe queunt.
Ipſe quoque è multis hæc pauca, nec optima legi,
Quæ fierent elego carmina noſtra pede.
Non quia poſſe putem præſtare, quod ille nequiſſet,
Cui certè nimium vel placuiſſe fuit.
Sed quia materia fieri meliori poetam
Iuuit, & hæc ratio prima probata mihi eſt.
Tum quia doctiloquo non ſorduit iſta Philippo,
Dignato tali ludere ſæpe modo.
Huic certè debes, ſi te mea fortè iuuabunt,
Carmina, quæque legis, carmina quæque leges.
Hactenus eſt ratio tibi reddita, cur mea nuper
Facta ſit abiecta pſaltria Muſa lyra.

Qui q

Quisquis Iessæi legis hæc monumenta Poetæ,
Dij faciant fructu non pereunte legas.

FINIS.

AD DO. GERALDVM RAPINAT. *sacerdotem Ioannis Mensarei, ad legendum hunc librum.*

EXHORTATIO.

Iribus hunc totis, quæso, complectere librum,
Hunc semper teneas, ne cadat è manibus.
Nam pulcherrima sunt diuini cantica vatis,
His nostro laudes dantur vbique Deo.
Est melius Christi quis de deitate locutus?
Vindicat iniustos, præmia dátque bonis.
Hunc quoque venturum cecinit, qui dęmonis astu.
Morte sua vinctos solueret, atque iugo,
Quodque foret superas viuus rediturus ad auras,
Regnáq; deberet scandere sancta patris.
Prædixit pariter, venturi iudicis ora,

Formi

Formidanda malis, non metuenda piis.
Quantáque sit Domini nostri clementia, quantis
Afficiat iustos concinit officijs.
Inuenies illic celeberrima cantica, semper
Quæ in laudem nostri sunt modulanda Dei.
Si fueris tristis, poterunt sedare dolorem,
Aut hunc in magnam vertere lætitiam.
Quod si te quædam vexat tẽtatio, psalmos
Concine, sic vinces, protinus effugiet.
Concine, quod Dauid vexatus ab hoste canebat,
Si te fortè virum maxima turba premat.
Denique vis laudare Deum? vis reddere grates?
Hæc (quinam fiant) continet iste liber.
Perpendas igitur, mysteria magna latere
Sub psalmis, multis nec manifesta viris.
Si te forte latent, hunc semper consule librum:
Est facilis, breuis est, vtilis, atque bonus.
Te decet, & cuncto qui mystica sacra ministrant:
Hunc lege, si rectè psallere percupias.

FINIS.

PSALMORVM OMNIVM INDEX SECVNDVM SERIEM Literarum.

A

120 AD Dominum, cùm tribularer 663
28 Ad te Domine clamabo 233
25 Ad te Domine leuaui animam 211
123 Ad te leuaui oculos meos 673
29 Afferte Domino fiij Dei 235
78 Attendite populo meus 461
49 Audite hæc omnes gentes, auribus 339

B

1 BEatus vir, qui non ambulauit 17
112 Beatus vir, qui timet Dominum 614
41 Beatus, qui intelligit super pauper. 299
119 Beati immaculati in via, qui 635
128 Beati omnes, qui timent Dominum 687
32 Beati quorum remissæ sunt 251
34 Benedicam Dominum in omni 258
144 Benedictus Dominus fortitudo 732
103 Benedic anima mea Domino, & 564

104	Benedic ãia mea Domino, Domine	569
85	Benedixisti Domine terram tuam	492
92	Bonum est confiteri Domino	530

C

96	CAntate Domino canticũ nouũ	543
98	Cantate Domino canticum nouum, quia	549
149	Cantate Domino canticum nouum	743
19	Cæli enarrant gloriam Dei, &	164
9	Confitebor tibi Domine in toto	76
111	Confitebor tibi Domine in toto	611
138	Confitebor tibi Domine in toto	716
75	Confitebimur tibi Deus	452
105	Confitemini Domino, &	176
106	Confitemini Domino, quoniam	584
107	Confitemini Domino, quoniam bonus	592
118	Confitemini Domino, quoniam	629
136	Confitemini Domino, quoniam	710
16	Conserua me Domine, quoniam	123
126	Cùm conuerteret Dominus	679
114	Cùm exiret Israël de Aegypto	618

D

44	DEus auribus nostris audiuimus, patres	316
63	Deus Deus meus ad te	393
50	Deus Deorũ Dominus loquetur &	344
70	Deus in adiutorium meum intende	429
54	Deus in nomine tuo saluum	363
72	Deus iudicia tua regi da	434

59	109	Deus laudis meæ ne tacueris	598
92	22	Deus meus Deus quare me	183
30	97	Deus misereatur nostri, &	407
	83	Deus ne sileas, ne taceas	485
43	46	Deus noster refugium, & virtus	329
m,	60	Deus repulisti nos, &	383
49	82	Deus stat in Synagoga Deorum	483
43	79	Deus venerunt gentes in	473
54	94	Deus vltionum Domine	535
16	130	De profundis clamaui ad te	191
11	36	Dicit iniquitas impij in medio	268
16	116	Dilexi quoniam exaudiet Dominus	624
52	28	Diligam te Domine fortitudo mea	144
76	39	Dixi custodiam vias meas, vt	285
94	110	Dixit Dominus Domino meo	603
92	14	Dixit insipiens in corde suo	111
29	53	Dixit insipiens in corde suo	362
10	141	Domine clamaui ad te	724
33	7	Domine Deus meus in te speraui	62
79	8	Domine Dominus noster quàm	70
18	88	Domine Deus salutis meæ, in	507
	101	Domine exaudi orationem meã, &	558
a-	143	Domine exaudi orationem meam	728
16	139	Domine exploraſti me, &	718
23	21	Domine in virtute tua lætabitur	178
44	38	Domine ne in furore tuo arguas	280
19	6	Domine ne in furore tuo	53
3	131	Domine non est exaltatum cor	696
4	3	Domine quid multiplicati	35

15	*Domine quis peregrinabitur in*	118
24	*Domini est terra, et plenitudo eius*	204
27	*Dominus illuminatio mea &*	226
23	*Dominus pascit me, nihil mihi*	196
90	*Domine refugium factus*	524
97	*Dominus regnauit, exultet*	545
99	*Dominus regnauit, contremiscant*	551
93	*Dominus regnauit magnificentiam*	533

E

134	*Ecce benedicite Dominũ omnes*	707
133	*Ecce quàm bonum, & quàm*	705
140	*Eripe me Domine ab homine malo*	723
59	*Eripe me de inimicis meis*	379
45	*Eructauit cor meum verbum bonum*	320
145	*Exaltabo te Deus meus rex*	737
30	*Exaltabo te Domine quoniam*	238
61	*Exaudi Deus deprecationem meam*	387
55	*Exaudi Deus orationem meam*	365
64	*Exaudi Deus orationem meam*	396
17	*Exaudi Domine iustitiam meam*	130
20	*Exaudiat te Dominus in die tribu-*	174
40	*Expectans expectaui Dominum*	291
81	*Exultate Deo adiutori nostro*	479
33	*Exultate iusti in Domino*	255
68	*Exurgat Deus, & dissipentur*	410

F

87	*Fvndamenta eius in montibus*	503

I

86	*Inclina Domine aurem tuam*	499

In De

11	*In Domino confido, quomodo*	93
31	*In te Domine sperani, ne*	246
71	*In te Domine sperani, non*	430
4	*Inuocantem me exaudi Deus*	41
66	*Inbilate Deo omnis terra*	403
100	*Inbilate Deo omnis terra*	553
35	*Iudica Domine iniuriam facientes*	263
26	*Iudica me Domine, quoniam ego*	221
43	*Iudica me Deus, & discerne*	314
137	*Iuxta flumina Babylonis sedimus*	712

L

122	*Laetatus sum, cũ dicerent mihi*	669
146	*Lauda anima mea Dominum*	739
117	*Laudate Dominum omnes gentes*	627
147	*Laudate Dominum quoniam*	740
148	*Laudate Dominum de cœlis*	741
150	*Laudate Dominũ in sanctitate eius*	744
135	*Laudate nomen Domini*	708
113	*Laudate serui Domini*	616
121	*Leuaui oculos meos in montes*	666

M

48	*Magnus Dominus & laudabilis ni.* 335	
132	*Memento Domine Dauid, &*	699
56	*Miserere mei Deus, quoniam*	369
51	*Miserere mei Deus secundùm*	350
57	*Miserere mei Deus, miserere*	373
101	*Misericordiam, & iudicium*	556
89	*Misericordias Domini in aternum*	510

Nisi

N

127	NIsi Dominus ædificauerit	683
124	Nisi Dominus fuisset in nobis	674
37	Noli irritari propter malignantes	273
115	Non nobis Domine non nobis	621
76	Notus in Iudea Deus, in	455
58	Num verè ò congregatio iustitiam	376

O

47	OMnes gentes plaudite manibus	33

P

180	PAratum cor meum Deus	597

Q

84	QVàm dilecta tabernacula tua	489
2	Quare fremuerunt gentes	29
42	Quemadmodum desiderat	304
125	Qui confidunt in Domino	677
52	Quid gloriaris in malitia potens?	360
91	Qui habitat in latibulo	527
80	Qui pascis Israël intende	466

S

69	SAluum me fac Deus, quoniam	421
12	Saluum me fac Domine, quoniã	101
129	Sæpe oppugnauerunt me à	689

T

65	TE manet hymnus Deus in	398

V

95	VEnite exultemus Domino	540
5	Verba mea auribus percipe	47
142	Voce mea ad Dominum clamaui	727

77	*Voce mea ad Dominum*	457
13	*Vsquequo Domine oblivisceris*	107
62	*Vtique ad Deum silet anima*	389
73	*Vtique bonus est Deus Israëli*	441
74	*Vt quid Deus repulisti*	447
10	*Vt quid Domine recessisti.*	84

FINIS INDICIS.